10
2

XXXVI. n. 5.

10
9 D
42

10-8-8-2

DECLARATIO

ARTICVLORVM A VENERANDA FACVLTATE THEOLOGIAE LOVANIENSIS:

aduerſus noſtri temporis Hæreſes, ſimul & earundem reprobatio,

Per eruditiſsimum virum S. Paginæ profeſſorem D. RVARDVM TAPPAERT, ab Encuſia eccleſia collegiata S. Petri Louan. Decanum, necnon florentiſsimæ Academiæ Cancellarium, de religione Chriſtiana optimè meritum.

Ex Bibliotheca Observantiae

VIRTVTI S:  CEDIT INVIDIA.

S. MINERVAM BIBLIOTHECA ORD. PRAED.
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Lugduni,
Apud Mauricium Roy, & Ludouicum Peſnot.

1554

CVM PRIVILEGIO REGIS.

De septé ecclæ sacris —— ar. p' fo

PRÆFATIO.

In progreſſu harum annotationum hic ferè ordo obſeruabitur. Primùm declarabitur sẽſus ipſius articuli. Secũdò oſtendetur eiusveritas, tum per ſacrarum ſcripturarum teſtimonia, tum per conciliorum generalium definitiones, tum per concordem patrum doctrinam. Poſtremò explicabitur in quo aduerſarij à nobis diſsideant: & rurſus in quo nobiſcum conueniant. In primo igitur articulo de ſacramentis in genere inchoatur: deinde reliqua ſacramenta in ſpecie tractantur, quod eò factum eſt, quoniam circa ſacramenta (quorum

tum ſumma vt eſt efficacia: ita & neceſsitas in Dei eccleſia, vt in quibus poſt fidem ipſa fundatur) ita errores ſunt valde pernicioſi; ijque valde populares, quoniam (ex quo ſunt res externæ, & in ſpeciem contemptibiles) facile eſt adducere populum in eorum contemptum.

Primus articulus.

CREDENDVM eſt ſeptẽ eſſe eccleſiæ Dei ſacramenta à Chriſto inſtituta, quæ ſunt, Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, extremà Vnctio, Ordo & Matrimonium: per quæ (quanquàm externa & corporalia ſigna ſint) Deus tamen inuiſibiliter, ſiue per bonos, ſiue per malos miniſtros noſtram operatur ſalutem.

ARTICVLVS iſte quatuor nobis proponit: numerũ, authorem, vſum, & miniſtros ſacramentorũ. Pro declaratione igitur huius articuli, primùm explicandũ eſt, quid ſit Sacramentum: nam ex huius definitione ignorata, ſicut ex fonte prouenit omnis error, qui eſt circa ipſa ſacramenta. Vocant igitur maiores noſtri ſacramenta, ſigna quædam externa & ſenſibilia, quæ videlicet ſunt poſita in rebus corporalibus externis & ſenſibilibus, hoc eſt, aliquo exteriori ſenſu perceptibilibus, per quæ miſericors Deus ſalutares gratiæ effectus operatur, quos ipſa repręſentãt. Hoc eſt, quod dicit Magiſter in j. diſt. iiij. ex Aug. Sacramẽtũ eſt inuiſibilis gratię viſibilis forma, imaginem ipſius gerẽs & cauſa exiſtens. *Sacramẽtum quid?* Vox quidem ſacramenti non habet ſignificationẽ iu-

Ethymologia vocis ſacramenti.

xta Latini ſermonis proprietatē(nam iuxta hanc ſignificat ſacramentū iuſiurandū,ſiue obligationē iuramēto confirmatam cū interpoſitione diuini nominis,)verùm ex appropriatione rei nouæ impoſitum eſt nouū vocabulū propter ordinem,quē habent ſacramēta ad ſanctitatē, cuius ipſa ſunt ſigna & cauſæ:aliâs enim & ſacrum ſecretū diceretur ſacramentū,quòd in ſe ſanctitatem aliquam occultam habeat,ſic dicitur Thob.xij. Sacramentū Regis abſcondere bonum eſt.Et ad Eph. iij. Quę ſit diſpenſatio ſacramenti abſcōditi à ſœculis in Deo.Quòd ſi per ſingula ſacramenta diſcurreris,facilè perſpexeris ipſorū vnūquodq; in ſigno aliquo externo & ſenſibili conſiſtere.Baptiſmus nánque in externa ablutione ſitus eſt. Pœnitentia in contritione, ſatisfactione & confeſſione. Confirmatio in vnctione chriſmatis in fronte. Euchariſtia in ſpeciebus panis & vini permanentibus. In ordine eſt actio Epiſcopi tradentis calicem, librum, & eiuſmodi. Denique Vnctio extrema, vt ipſum nomen indicat, in vnctione certarum quarundam partium corporis.Demū in matrimonio ſunt perſonæ contrahentes. Adhæc in vnoquoque ſacramento præter has res externas quæ tantùm materia ſunt ſacramentorum, accedunt certa quędam & determinata verba,in quibus conſiſtit forma ſacramentorū.Hinc ait Aug.Accedit verbū ad elementum,& fit ſacramentum.Et quemadmodū in his omnibus actiones trāſeunt &non permanēt,ita & ipſa ſacramenta non manent, ſed ſimul cùm exhibentur, ſunt & tranſeunt (excepto ſacramento Euchariſtiæ, quod tandiu conſeruatur, donec ſpecies panis aut vini permanent) ſed quanquam reipſa tranſeant, relinquūt tamen in ſuſcipiente effectum aliquem gratiæ

Singula ſacramenta in aliquo ſigno externo conſiſtere probatur.

Augu. ſuper Ioann.

tiæ, quem in eo producunt ſimul dum miniſtrantur, niſi per ſuſcipientem ponatur obex, aut impedimentum ſiue per indiſpoſitionem, ſiue per contrariam diſpoſitionem. Hunc ſalutarem effectum vocat articulus ſalutem, ne quis fortè putet intelligi, duntaxat ſaluationem à peccatis. De numero ſacramentorum nihil expreſſis verbis dicunt ſcripturæ, verùm cùm ſeptem meminerint & non plurium, colligendum, relinquunt eſſe ſeptem & non plura, ſicuti colligimus tantùm eſſe quinque lib. Moyſi, & quatuor euang. quum ſcripturæ non plura continent. Sic D. Dionyſ. colligit eſſe iij. hierarchias Angelorũ, & ix. choros, non quod id expreſſis verbis ſcripturæ edoceát, ſed quòd tot meminerint, non pluriũ facientes mentionẽ, quàm vniuſcuiuſque ſicuti ipſe enumerat. Ad hæc celeberrimũ concilium Florentinum quam de hac re ex ſcripturis & apoſtolica traditione didiſcerat ſententiam declarat, & definit Grę cis & Armenis, vt pote dictis argumentis Catholicorum conſentientibus re prius diligentiſſimè diſcuſſa, argumentis validiſſimiſque examinata, quæ hinc inde adducebantur, iuxta quod acta iſtius concilij ſcribit Blondus eiuſdem concilij notarius. Ibi (inquit) pronunciatum eſt eſſe ſeptẽ eccleſiæ ſacramenta, & hęc eadẽ ipſa, quæ in articulo enumerantur. De his dicitur, quòd gratiam continent, & dignè ipſa ſuſcipiẽtib. conferunt, quod & articulus dicit, dũ aſtruit Deũ per ea noſtram operari ſalutem, conformiter ad ſcripturas quæ dicunt, Hominẽ ex aqua & ſpiritu ſancto renaſci: itẽ mundari eccleſiam per lauacrum aquę in verbo vitę: rurſus ſaluos nos fieri per lauacrum regenerationis. Verùm de his diffuſius, vbi de ſingulis ſacramentis in ſpecie fiet ſermo. Eãdem de numero &

Numerus ſacramentorũ.

Dionyſius.

Conci. Flor.

Blondus Notarius.

efficacia ſacramentorum ſemper habuit & tenuit ſententiam ante illud conc.Florent. ſub Eugenio quarto celebratum Catholica eccleſia.Hinc in tit.de hæreſib. ca.vj.Ad abolendā,anathematizātur vniuerſi quicunque de ſacramento corporis & ſanguinis D. N. Ieſu Chriſti,vel de baptiſmo, vel de peccatorum cōfeſſione,matrimonio,vel reliquis ſacramentis aliter ſentire aut docere non metuunt, quàm ſancta Romana eccleſia prædicat & conſeruat.

Eugenius quartus.

De ſacramentorum inſtitutione.

Sacramentorū inſtitutio.

NOTANDVM ſacramenta ab eo inſtitui,à quo habent quòd ſint ſacramenta. de ratione autem ſacramenti ſunt tres.Res ſenſibiles,ſignificatio gratiæ, & eiuſdem virtus effectiua. Chriſtus autem eſt, qui & res certas elegit, certamque verborum formam præſcripſit: idem ipſe eſt, qui illis rebus ſignificationem indidit, quique eis efficaciam conferendi gratiam contulit, meritoriè quidem inquantum homo, & inter homines & Deum eſt mediator:effectiuè autē inquātum Deus vnius naturę & ſubſtātiæ eſt cum patre & virtutis eiuſdē.Cōſequitur ergo ſacramēta eſſe à Chriſto inſtituta.verbi gratia.Chriſtus dominus ex omnibus elemētis elegit aquā,vt eſſet materia baptiſmi ſimul,& certā formā pręſcripſit,ſub qua baptiſmus fieret:rurſus aquæ ſiue ablutionis corporalis quę in aqua eſt:ipſe quoq; merito mortis ſuę ablutionis virtutē cōtulit operādi quod ſignificat.De hac re D.Aug.trac.vj. ſuper euan.Ioā.ſic loquitur.Potuit quidē dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſi voluiſſet,dare poteſtatē alicui ſeruo ſuo,vt daret baptiſmū ſuū tanquàm vice ſua,& trāſferre à ſe baptizandi poteſtatē,& conſtituere in aliquo ſeruo,

ſeruo ſuo,tantam vim daret baptiſmo tranſlato,in ſeruum,quantam vim haberet baptiſmus datus à domino, ſed hoc noluit ideo vt in illo ſpes eſſet baptizatorum à quo ſe baptizatos agnoſcerent:noluit ergo ſeruum ponere ſpē in ſeruo.Ideoq; clamabat Apoſtolus, cum vellent homines ponere ſpem in ſeipſo:nunquid Paulus pro vobis crucifixus eſt, aut in nomine Pauli baptizati eſtis?Baptizauit ergo Paulus tāquā miniſter non tanquam ipſa poteſtas: baptizauit autem dominus tanquam poteſtate ipſa, & potuit hanc poteſtatem dare ſeruis ſed noluit.Si enim daret hanc poteſtatem ſeruis,id eſt, vt ipſorum eſſet, quod domini erat, tot eſſent baptiſmata, quot eſſent ſerui. Quod ne fieret ſibi tenuit dominus baptizandi poteſtatem, ſeruis miniſterium dedit.hactenus Auguſtinus. Quibus verbis dicit Chriſtum quidem potuiſſe dare hominibus poteſtatē inſtituendi ſacramēta, eiſq; dandi ſuam efficaciam,vtilitatem & virtutem,verum id non cōgruiſſe ſeruandæ vnitati eccleſiæ:ſic enim facile fuiſſet ſubiecta diuerſis ſciſmatibus, ſi ex traditione miniſtri & eius cōditione extitiſſet qualitas & efficacia ſacramēti:ſi,inquam,virtutem ſuam ex miniſterio ſortirentur.

De determinatione autem materiæ ſacramenti,aut etiam formæ atque ipſius miniſtri,tenēt quidam probabiliter hanc fieri potuiſſe ab Apoſtolis, imo factam eſſe re ipſa in nonnullis ſacramentis ex inſtinctu ſpiritusſancti, vt de confirmatione & extrema vnctione tradunt Magiſter ſententiarum & Hugo de.S.Victore. Quin & in baptiſmo iuſta & rationabili cauſa id exigente aliquid circa formam ex eiuſdem ſpiritus occulta ſuggeſtione immutarent, tradentes illud in nomine Chriſti,quod ipſe dominus diſpoſuerat conferri

Lombardus Hugo de S. Victore.

in nomine patris filij & ſpiritusſancti. Verùm circa efficaciam ac virtutē ſacramentorum quanquā habere potuerunt, nullam tamen habuerunt poteſtatem, nec dandi eis virtutem, nec remouendi, nec augendi, nec minuēdi. Atq; hoc certa fide credendū eſt, quod vult articulus, dùm aſtruit credendum quòd hæc ſacramēta ſint à Deo inſtituta. Eſt præterea notandū, vt priùs attigimus, ſacramenta non ſolùm eſſe à Christo inſtituta vt homine, ſed principaliùs etiam à Deo patre, ex cuius mandato & materiam elegit, & formā præſcripſit, & ſignificationem certam indidit, ſicut ipſe aſſerit, ſe non à ſe facere quicquam, ſed ex mandato patris ſui. Ioan. v. Apud quem patrem hoc meruit, vt ipſe ſacramentis eam largiretur virtutem, quam habent, nēpe operandi ſalutem noſtram. Hactenus de efficacia & vſu ſacramentorum dictum eſt ex ſcripturis & definitione Conc. Floren. ſimul & antiqua traditione & obſeruatione totius eccleſiæ, quæ manat ab Apoſtolica traditione.

Chriſtus inſtitutor ſacramentorum nedum vt homo ſed etiam vt Deus.

Additur in articulo. Quamuis externa & corporalia ſigna. Quæ aduerſatiua particula additur ad remouendam obiectionem aduerſariorum indignè ferentium, quòd rebus externis atque corporalibus, & in ſpeciem vilibus nos ſubijcimus ab ipſis ſalutem quęrentes. At huius diuinæ ordinationis pulcherrimā rationē annotauit Hugo lib. j. de ſacra. parte. ix. cap. v. Quandoquidem, inquit, nos Deum dereliquimus per creaturas, voluit Deus vt nos creaturis ſubijciamus, quatenus homo dum ſenſibilibus rebus, quæ infra ipſum ſunt ex præcepto creatoris reuerendo ſe ſubijcit, ex hac humilitate & obediētia Deo magis placeat, & apud Deum mereatur, cuius præcepto ſalutē quærit

in infer

in inferioribus ſe, & ſi non ab illis, ſed per illa à Deo. Poſtremò reſtat vt de miniſtris aliquid dicamus. Dicit igitur articulus, Deum operari noſtram ſalutem ſiue per bonos, ſiue per malos miniſtros. Cuius originalis & prima ratio ex dictis poteſt eſſe manifeſta, quia homo conferens ſacramentum ſolùm per modum miniſterij & inſtrumenti operatur, bonitas autem & malitia conditiones ſunt impertinentes miniſterio: non enim ideo miniſtri ſunt, quia boni, ſed accidit miniſtris, quòd ſint boni: quare conferunt nihilo ſecius verum ſacramentum etiam ſi mali exiſtant. De hac re Auguſtinus ſcripſit integros libros quàmplurimos contra Donatiſtas, contra Parmenianum, contra Creſconium grãmaticum, vt non ſit opus inhærere huius particulæ probationi: non deſunt etiam ſcripturę euidenter ad id ſtabiliendum, quas licet videre paſſim ab Auguſtino adductas lib. præfatis. Hîc iam quæritur, inquit Apoſt. inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur. Erant etiam igitur tempore Pauli plurimi diſpenſatores myſteriorum Dei mali & infideles. Rurſus teſtatur Euangeliſta quendam poſitum ſuper familiam domini, cuius pars pòſtmodum à domino poſita eſt cum hipocritis: quia percuteret conſeruos & inebriaret ſe &c. At iterum apertiſſimè ſcripſit D. Paulus primo Corin. primo, dicens, ex merito miniſtri nullam omnino pendere virtutem ſacramenti, ſed ex virtute domini, ita neque à bono melius, neque à malo peius eſt quod adminiſtrat ſacramentum. Non timeo adulterum (inquit Auguſtinus) neque homicidam: ſecurum me fecit ille, qui dixit. Hic eſt qui baptizat. Rurſus: quid tibi facit malus miniſter, ſi bonus eſt dominus? Plantat quidem Paulus, *Auguſtinus.*

& rigat Apollo, at qui incrementum dat & gratiæ fructum vnus eſt Deus, gratiam nanque & gloriam dabit tibi dominus. Intelligimus autem nõ ſolum verum eſſe & ratum ſacramẽtũ quod à malo confertur, verum etiam habere effectum in ſuſcipiente, ita quòd malicia nec ſacramentũ impediat nec effectum eius, dummodo occaſione maliciæ miniſtri non ponatur obex gratiæ ex parte ſuſcipientis vt fieret, ſi ſcienter participaret in crimine cum miniſtro cooperans ei ad peccatũ: ſic enim nullum reciperet fructũ, quoniam reddit ſe incapacem ad ſuſcipiendum effectum.

Miniſtri ſacramẽtorum qui. Secundò aduerte arti. loqui de malis miniſtris in genere qualeſcũque demũ illi ſint, ſiue fideles, ſiue infideles, Turchę, Iudæi, hæretici, ſchiſmatici, publici peccatores, vſurarij, cõcubinarij, nulla prorſus malicia poteſt per ſe impedire ſacramentum, aut eius efficaciam, dummodo adſit poteſtas miniſtrandi cum intentione. Secus ſi eſt excommunicatus, tunc enim non ob maliciam nihil faciet attentans, ſed ob excommunicationem, quod intellige iuxta mitigationem factam in Conc. Conſtantien. Si eſt publicè & nominatim excõmunicatus, vel ob notoriam percuſſionẽ clerici, alias quandiu ab eccleſia toleratur, etiam ſi excommunicatus ſit, rectum eſt quod facit (quanquam grauiter peccet adminiſtrando) & effectum ſortitur in ſuſcipiente, ſi modo obicem non ponat, vel conſentiẽdo ei in crimine, aut ſit contra præceptum eccleſiæ, vel quacunque alia cauſa, quoniã in maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. *Sapi. 1.* Declaratione articuli præmiſſa & eius probatione, reſtat vt oſtendamus in quibus aduerſarij nobiſcum cõueniant, & in quibus non, quam rem difficilem

cilem facit ipſorum inter ſe diſſenſio, imo eiuſdem frequenter à ſeipſo diſſenſus. Re ipſa comperimus verum eſſe quòd Athanaſius de hæreticis, ipſos videlicet nõ ſecus tradere ſua dogmata quàm homines condunt teſtamenta: quoniam vt hi ſua teſtamenta immutandi vt libuerit ſibi habẽt poteſtatem, ita illi poteſtatem ſibi retinent, quoties libuerit, ſua dogmata immutandi. Verùm vt ad rem veniamus, cõueniunt nobiſcum aduerſarij in eo quòd ſacramenta fateantur eſſe ſigna externa & ſenſibilia, & à Chriſto inſtituta. rurſus & in eo pleriq; ipſorum quòd Deus per ipſa noſtram ſalutem operatur. Id enim cõcedunt Lutherus, Philippus, & Caluinus, refragantibus autem Zvvinglianis, & his in hac parte cõſentit Bucerus. Rurſus & in hoc nobiſcum cõueniunt, quòd malitia miniſtri non impediat veritatem & efficaciam ſacramenti.

Athanaſius. Notabile dictum de hæreticis.

Martinus Lutherus, Philippus Melanch. Zvvingliani, Caluinus, Bucerus.

Diſſentiunt autem in principalibus punctis articuli, & primum quidem in numero ſacramentorum, nec mirum, ſi in numero nobiſcum diſſentiant, cum in ratione ſacramenti non conueniant, vt prorſus futilis ſit & vana diſputatio, quæ aduerſus ipſos de numero ſacramentorum ſuſcipitur: cùm nec in ratione ſacramenti conueniant. Certe ratio quam ſuperius ex Auguſtino ſumpta ſuper Leuiticum, Lutherus igitur, & poſt eum Philippus dicunt tãtùm eſſe tria ſacramenta. Baptiſmus, Pœnitẽtia, Panis (ſic enim cõtemptibiliter loquuntur de ſacratiſſimo corporis domini ſacramẽto) Quodam autem loco dicit Lutherus verius dici tantum vnum eſſe ſacramẽtum, nam reliqua duo pœnitentia & cæna domini potius, inquit, ſigna ſunt ſacramentalia. Reliqui tamen ponunt duo ſacramenta, baptiſmum & cænam domini ſiue panẽ. nam pœniten-

Dogma Lutheri & Philippi de numero ſacramentorum.

tiam non dignantur nomine ſacramenti appellare.

Secundò diſſentimus ab eis in re facta per ipſa ſacramenta. Bucerus poſt Zvvinglianos valde impiè aſſerit ſcribens in cōment. ſuper Matt. ſacramenta ſolùm eſſe externas quaſdam notas Chriſtianę profeſſionis apud homines, per quas videlicet poſſint dinoſcere quempiam initiatū eſſe Chriſtianiſmo, ac incœpta profeſſione perſeuerare. Baptiſmum nanq; dicit eſſe externam quandam cerimoniã, per quam Chriſti militiæ aſſcribitur, Cœnam autem domini ſignum continuationis & perſiſtentiæ in ea profeſſione, quemadmodum habitus monachalis ſignum eſt profeſſionis monaſticæ iuxta ordinem Franciſci, Benedicti, aut alterius. Hanc ſententiam adeò impiam & abſurdam deſpicit ipſe Lutherus, vt nec dignetur eam inter opiniones recenſere. ex ea nanque conſequitur, quod & ipſe Bucerus concedit, quempiam nec ideo ſaluari, quia baptizatus eſt, nec ideo damnari, quia baptizatus non eſt: vt enim cucullа non facit monachum, ita nec iuxta ipſum baptiſmus facit Chriſtianum. At quomodo ergo verum eſt, quod ait Dominus nos renaſci ex aqua & ſpiritu-ſancto, & niſi quiſquis hoc modo renaſcatur, eum nõ poſſe ſaluari? Quomodo aſſerit Paulus, quòd dominus ſaluos nos facit per lauacrũ regenerationis? Quomodo Petrus vult pœnitentes baptizari in remiſſionem peccatorum? Erroris ſui abſurditatem & impietatem poſtea attendens Bucerus, aliam commentus eſt ſententiam, qua docet ſacramẽta eſſe ſigna bonæ voluntatis Dei erga nos propter Chriſtum & propitiationis eius, qua nos Deo patri propitiauit: vnde vocat ea ſigna rememoratiua promiſſionis Dei, quæ facta eſt hominibus propter Chriſtum, quibus videlicet

Buceri & Zvvinglianorum de effectu ſacramentorum dogma.

cet reducamur in memoriam illius promiſſionis, cui credentes certo ſtatuẽdo nobis à Deo remitti peccata, in Chriſti gratiam aſſequimur remiſſionem peccatorum, quemadmodum viſa iride recordamur promiſſi diuini quod promiſit Noë ſe non ampliùs deleturum mundum diluuio, & memores promiſſi credimus Deum hoc præſtiturum quod promiſit. In hacſententia penè omnes Lutherani conueniant, cùm tamen neq; in ſcripturis, neq; in ſcripturis ſanctorum veterũ doctorum vlla huius ſignificationis fiat mentio. Verũ tamen eſt, quod cùm omnia gratiarum dona nobis proueniãt à Dei bona voluntate erga nos aliquo modo ipſa eſſe gratiarum ſigna, ita & fauoris Dei erga nos ſiue bonæ voluntatis, quæ eſt illarum præcipua cauſa. Verùm alienũ hoc eſt, tam à conſuetudine ſcripturarum quàm ſcriptorum eccleſiaſticorum.

Tertiò à nobis diſſident aduerſarij in modo & ratione, quibus dicimus Deum operari ſalutem noſtram per ſacramenta. Volunt enim ſacramenta duntaxat eſſe ſigna & non inſtrumenta operatoria: ſic ꝙ præcipuum fructum ipſorum aſſerunt eſſe ſignificationem & non operationem, niſi inquantum conſequitur ſignificationem, non ſecus quàm Euangelium auditum & creditum dicitur à Paulo eſſe virtus Dei ad ſalutem omni credenti propter reuelationem myſteriorum ſalutis, putà iuſtitiæ Dei ex fide, quomodo rurſus dicit in alio loco. Ego vos genui in Euangelio per Ieſum Chriſtum. quin hic ſermo fidei permiſtus, id eſt, fide creditus hominem regenerat & renouat. Ad hunc igitur modum aduerſarij tribuunt ſacramenti ſalutem, quoniam ipſa dum diuinas promiſſiones ad mentem noſtram reducunt *Item aliud.*

fidem excitant,quæ apprehendat diuinam miſericordiam,remiſſionem peccatorum & iuſtitiam: hinc ſequitur ſacramenta nullum habere effectum in his,qui cum ipſa ſuſcipiunt, ea eorúmve formas non intelligunt,aut ſi ea intelligant ad ea non aduertunt: quare infantes baptiſmum ſuſcipientes nullum fructum recipiunt,cum ſignum illud non intelligant, nec verba ſub quibus baptiſmus adminiſtratur. Ad quod Bucerus & poſt eum Caluinus reſpōdēt paruulos & intelligere & credere myſteria fidei: vident enim niſi hoc fateātur,feneſtram apertam anabaptiſtis, & cum ipſis neceſſariò fatendum baptizandos non eſſe infantes, niſi poſtquam ad adultam ætatem peruenerint. At quid abſurdius quàm dicere infantem intelligere & credere quem videmus toto corpore reniti, vt patet, actionibus quæ circa ipſum exercentur dum batizatur natura abhorrente ab ijs,quæ ibi peragūtur quòd pœnam habeant nonnullam adiunctam? Circa illud: Iam vos mundi eſtis propter &c. adferunt in confirmationem ſuæ doctrinę dictum Auguſtini tract.80. ſuper Ioan. Quare non inquit dominus,mundi eſtis propter baptiſmum,quo aqua abluti eſtis,ſed ait:propter verbum quod locutus ſum vobis, niſi quia & in aqua verbum mundat, detrahe verbum, & quid eſt aqua niſi aqua,accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum.Vnde iſta tanta virtus aquæ, vt corpus tangat & cor abluat niſi faciēte verbo, non quia dicitur,ſed quia creditur.Verum ſi circunſtantiæ diligenter conſiderentur: liqueſcit nihil ſolidi adferri eorum ſententiæ per iſta verba.Loquitur nanque ibi Auguſtinus non de verbo, quod eſt forma ſacramenti, ſed de verbo quo inſtitutum eſt ſacramentum,quo ſecluſo nih

Auguſtinus ſuper Ioan.

ſo nihil efficaciæ habet ſacramentum, cuius fidem ſi excludas, quis ſacramenta ſuſcipiat, vt per ea ſanetur aut iuſtificetur, niſi credat ſacramento datam virtutem ad eiuſmodi effectus? Ex eodem fundamēto colligunt hæreticam eſſe eorum ſententiam, qui tradunt ſacramenta ex opere operato conferre gratiam: nolunt enim ea eſſe dūtaxat ſigna ad hoc ordinata vt fidem excitent, qua apprehendamus promiſſionē Dei, ſiue miſericordiam à Deo nobis promiſſam propter Chriſtū: vnde contendunt ea in vulgari idiomate administranda, quo intelligantur à ſuſcipiētibus, quibus alioquin nihil ſunt profutura. Probant ſuam concluſionem ex ca.iiij.ad Rom.quòd teſte Apoſtolo, Abraham non ex circuncisione iuſtificatus eſt, verùm circuncisio in eo fuit duntaxat ſignum iuſtificationis. At huic argumento palàm ſatis fit, primùm quoniam Abrahæ circuncisio non ſolùm ſignum fuit, ſed & ſignaculum iuſtitiæ fidei. Præterea, vt docet Auguſtinus lib.iiij.contra Donatiſtas, c.xxiiij. tametſi circuncisio in Abraham non effecit iuſtitiam, quoniam iuſtitia in eo circunciſionem præuenerat: effecit tamen eam in poſteritate, quæ ad hoc iuſſa eſt circuncidi, vt nō periret de populo Dei. Aliam rationem adfert Lutherus paulò probabiliorem ea, quam ponit Philippus in Apologia nomine principum proteſtantium Cæſ. Mai.exhibita, ea autem eſt hæc. Scripturæ docent iuſtum ex fide viuere, non igitur ex ſacramētis. Verùm & hoc quoque argumentum facillimum eſt ſolutu: quanquam enim ijs locis quibus docent iuſtum ex fide viuere, ſcripturæ non doceant ex ſacramentis viuere, alia tamen loca id palàm demonſtrant. Si enim ſacramentis attribuunt munditiem animę, & regene-

Contra prædicta.

Auguſtinus.

Ratio Lutheri & Philippi.

rationem, & peccatorum remiſſionem, nunquid non & vitam non tribuunt? aut forte regenerare poſſunt ſacramenta & non viuificare, ceu vitam influere. Certè vt non repugnat nos viuificari fide & Chriſti ſanguine, item iuſtificari fide & operibus: nam vtrunque palàm teſtantur ſcripturæ, ita nec repugnat nos iuſtificari fide & ſacramentis. Et vide anne Auguſtinus, quem pro ſua ſententia citant, id palàm confirmet, loco præallegato, quod Scholaſtici more in ſcholis recepto approbant. Primùm (inquit) per ſeipſum ſacramentum multùm valet, quæ quidam verba quid precor aliud ſignificant, quàm ſacramentum ex ſe multùm valere, hoc eſt autē quòd ſcholaſtici dicunt, ipſum valere ex opere operato. Quod Auguſtini dictum ne putes extortè à nobis expoſitum: attende quod de paruulis loquatur circunciſis octauo die ex mandato domini. Qui, inquit, nondum corde ad iuſtitiam credere poterant circuncidebantur. cenſet igitur ipſum per ſe etiam fide excluſa ſiue præuia, ſiue per ipſum excitata multùm valere. Ex efficacia autē circunciſionis in lege paruulorum colligit efficaciam baptiſmi in paruulis ſub noua lege: at de reliquis ſacramentis idem eſt iudicium quod de baptiſmo, quo ad hāc rem attinet. Re ita ſe habere palàm docet ſermo, quem Petrus ad populum habuit, in quo iam corde compunctis quærentibus, quid facturi eſſent: reſpondit. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorum. Et qui ſuſceperunt ſermonem, inquit Lucas, baptizati ſunt. Vides vt non ſuffecerit, non cordis compunctio, non fides ſuſcepti verbi, non demum & his adiuncta pœnitentia, verùm inſuper addendum fuerit baptiſma idque in remiſſionem

C nem

m peccatorum. Sic dominus in Euangelio, qui (inquit) crediderit & Baptizatus fuerit ſaluus erit, vides non vni fidei ſalutem tribuat, ſed cum hac adiungi velit baptiſmum, vt ſine quo non poſſes ſalutem conſequi. Niſi enim quis renatus fuerit &c. non poteſt videre regnum Dei, Ioan. iij. Adhæc, cùm ſicut fides Dei donum eſt: ita & eius augmentum & perfectio. Quid mirum ſi ipſe ſicut quibus vult, quando vult hæc donat, ita & modis quibuſdam admirandis ea largiatur ab externis & ſenſibilibus ſignis nunc his nunc illis, præſertim cùm is modus maximè congruat hominis eruditioni, vt qui naturaliter manu ducitur per ſenſibilia in cognitionē rerum ſpiritualium. Rurſum maximè congruit eiuſdem humiliationi, quemadmodum ſuper ex Hug. adduximus.

Congruit demum perpulchræ hominis exercitationi & ſtudio actionis humanæ, quæ præcipuè circa corporalia verſatur: olim quidem ſub linguis igneis placuit ei in confirmatione donare ſpiritum ſanctum, & induere virtute ex alto. poſteà idem ſpiritus donum contulit per impoſitionem manuum apoſtolorum, nunc idem facit quotidie per miniſterium Epiſcoporum, qui cum impoſitione manuum chriſmatis addunt vnctionem in fronte. Hoc modo nunc in baptiſmo peccata remittit, hominem iuſtitia donat, & virtutibus, fide, ſpe, & charitate per externam corporis ablutionem, trina immerſione & aquæ aſperſione cum pronunciatione præſcriptæ formæ verborum. Hac de re pulchrè Chryſoſtomus tractat, & poſt eum Theophila in expoſitione, tertio capite Euangelij Ioannis, circa illud. Niſi quis. Quòd ſi quis interroget (inquit Chryſoſtomus) quomodo ex

Chryſoſtomus.
Theophilactus.

aqua? & ego rurſus interrogabo illum, quomodo ex terra? ſcilicet, ab initio formauit hominem Deus, quomodo lutum in aliam tranſiuit materiam? quomodo terra accepto ſemine germinatur? ſanè ratione hæc inuenire nō poſſumus, ſed fide ſola. Quòd ſi quę quotidie videmus & tangimus fide indigent: quantò magis arcana illa & ſpiritualia: nam quemadmodum terra inaminata, immobilis, diuina voluntate ad varia miracula producenda vires accepit, ita ſpiritu ex ſenſibili aqua omnia hæc admirabilia facilè oriuntur. hactenus Chryſo. Quibus verbis pulchrè nos manu ducit ad captiuandum intellectum noſtrum in obſequium fidei, vt non ideo putemus ſacramenta nullam habere ſpiritualem & ſupernaturalem virtutē, quia corporalia ſunt & viſibilia ſigna: dicamus elati vt Naamā. Nunquid non meliores Abana & Parphar fluuij Damaſci omnibus aquis Iſrael, vt lauer in eis & mūder? Ad hæc cōſyderatione digni ſunt & admirandi illi modi, quibus dominus, dum adhuc in terris ageret, morbos corporales frequenter amouit, velut quod cęcū illuminauit per oblinitionem oculorum eius ex materia lutea ſputo confecta. Ioā. ix. Simile eſt quòd in veteri teſta. Dominus per maſſam ficus curauit vlcus Ezechiæ. Eſa. xxviij. cùm tamen per naturā magis nociua eſſet. Veruntamen & hoc diligenter aduertendū, catholicos docentes ſacramēta ex opere operato cōferre gratiam, non excludere diſpoſitionem in ſuſcepturo, præſertim adulto, quòd perpetuò inſidioſè imponunt nobis aduerſarij, vt ſic miſerę plebeculæ faciliùs inſidientur, eamque à recto veritatis tramite abducant: verùm id duntaxat docent ſacramenta ex ſe ipſis talia eſſe virtute, tum à Chriſto ipſorum inſtitutore accepta, vt

ii 3 confe

conferant gratiam debitè diſpoſito ad ſuſcipienda, ſicut enim vera pharmaca à Samaritano noſtro ideo nobis relicta ſcimus, vt curentur vulnera noſtra, quæ à latronibus deſcendentes à Iheruſalem in Hiericho accepimus, ita neceſſarium eſt, vt in ſuſcipiente conuerſio cordis citra quam in eo, qui illa præſtare poteſt ſacramentum nihil operatur: quemadmodum regulariter è conuerſo conuerſio cordis nō ſufficit, niſi adſit ſacramentum, & ſi non in re ſaltem in voto & animi deſyderio, ſicuti pulchrè Auguſtinus docet capit. xxv. lib. iiij. contra Donatiſtas. Aliud eſt (inquit) ſacramentum iſtud baptiſmi, aliud conuerſio cordis, ſed ſalus hominis, ex vtroque completur. &c.

Eſt inſuper & hoc aduertendum aduerſus eorundem impoſturas, dum nos prædicta ſermonis forma vtimur, nō excludere diuinam inſtitutionem aut meritum Chriſti, quaſi vellemus res illas quæ ſacramenta dicimus, propria ſua & naturali virtute hanc habere efficaciam, verùm includimus & Dei inſtitutionem à quo habent quòd ſint ſacramenta, id eſt, efficacia ſigna gratiæ, & Chriſti meritum, per quod habent hanc efficaciam. Non igitur, vt calumnioſè imponunt aduerſarij, derogamus aut diuinæ gratiæ, aut Chriſti merito, ſed dicimus hæc in nos deriuari ex ipſius Dei & Chriſti inſtitutione per ſacramenta, per quæ meritum Chriſti nobis applicatur, & eius gratia nobis communicatur. Quinimo hæc ſermonis forma voluit eccleſia Dei agere vim iuſtificandi humanis operibus, & aſcribere gratiæ Dei, quoniam non ex virtute noſtrorum operum, ſed ex ipſo ſacramento per virtutem ſibi à Deo communicatam dicimus in nos defluere gratiarum dona conformiter ad ſcripturas id-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ipſum docentes. Vt igitur tandem finem imponamus, concludimus falſa docere hæreticos, ſacramenta duntaxat per modum ſignorum concurrere ad noſtram ſalutem, & nihil ad eam operari, niſi inquãtum ſua ſignificatione excitant fidem, quæ diuinam apprehẽdat promiſſionem: nam alioquin eundem effectum haberent à quocunque miniſtrata etiam à puero, imò etiam ſi à pica proferrentur, dummodo fides eis adhiberetur, quod ipſi non verentur admittere. Hæc omnia affirmat & Bucerus in ſermo. quodam dominicæ iij. poſt Epipha. Conſequeretur rurſus ſacramenta in paruulis nullam habere efficaciam, cùm non ſint intelligentiæ & fidei capaces, & ſi id impudenter nimiùm & abſurdè audeant negare. At dicet quiſpiam. Si paruuli non ſint capaces intelligẽtiæ, vt quid ad eos ſermo dirigitur, nunquid non eſt abſurdiſſimum loqui non intelligenti? Interrogo & ego ex ijs, Nunquid Soli intellectum dederat dominus, dum ex eius iuſſu loqueretur præcipiens Soli vt retrogradere-tur, Eſa. xxxviij. decem gradibus? Nunquid mons poterat intelligere, quando dicebat dominus apoſtolis: Dicetis monti huic, transfer te in mare? nunquid audiebat & intelligebat Lazarus, dum ei adhuc mortuo diceret dominus: Lazare veni foras? Certè ſi rebus inanimatis loqui non eſt abſurdum, vt quid abſurdum erit loqui puero non intelligenti, præſertim cùm adſint qui pro eo reſpondeant? cùm vt ait Auguſtinus: Eccleſia mater pia os & cor quibus credat & confiteatur fidem accommodat. Rurſus & hîc aduertendum eſt ſermonem operatorium eſſe: & hunc minimè inconueniens eſt ad non intelligentem dirigi, ſecus eſſet ſi tantùm eſſet ſignificatiuus, vt illi arbitran-

Concluſio prædictorum.

Abſurda documenta aduerſariorum reprobantur.

Obiectio aduerſariorum.

Eſaias.

tur, qui falſâ imaginatione rationem ſacramenti tollunt, ita quòd reuera quodlibet ſacramentum tollunt, ſua ſomnia in eorum locum ponentes. Vnde non abſurdè etiam dubitari poteſt, an verè baptizent: videtur enim quòd quemadmodum non baptizat, qui corpus cuiuſquam etiam cum prolatione verborum à Chriſto præſcriptorum abluerit duntaxat ad corporales ſordes detergendas: ita nec is qui hac re vtitur ſolùm ad ſignificandum eam rem, ad quam ſignificandam non eſt inſtitutum: figmentum nanque ipſorum quod tradunt de gratia, an non eſt Chriſti donum, an à Chriſto ſit inſtitutum ad ſignificandam gratiam, de hac re nunc non eſt diſputandi locus.

Poſtremò in quo à nobis diſſident aduerſarij, eſt quod tradunt publicos peccatores & impia docentes non conferre vera ſacramenta, admittunt tamen occultos peccatores eadem verè adminiſtrare. At huic obuiat palàm quod tradit Auguſtinus, vt baptiſma collatum ab hæreticis (vt ante præmiſimus) eſt verum baptiſma, quod etiam plenario Carthaginenſi concilio definitum eſt, cui Auguſtinus interfuit. Miramur proinde non parum Eraſmum, quòd auſus fuerit ſcribere in Epiſt. quadam operibus Cypriani præfixa dogma illud de rebaptizandis ijs, qui ab hæreticis baptiſma ſuſceperunt, non multum videri diſſonum veritati: ſi res diligenter ſcripturis & rationibus expenderetur: Auguſtini quoque rationes quibus eam impugnat ſententiam admittere probabiles ſolutiones. Verùm ipſe aduertens periculoſam nimis eſſe hanc adnotationem in præfata Epiſtol. mutauit ſententiam in Epiſt. quam præfixit eiuſdem Cypriani operi- *Eraſmus.*

bus poſteriùs impreſſis Pariſijs anno xlj. agnoſcens hac in re lapſum Cyprianum non ex malicia aut contentione, ſed ex hæreſeon odio, & vnitatis eccleſiæ amore: cùm dum ſedulò vitat laqueos contritos hæreticorum, horretque bibere aquam de ciſterna aliena incauta mali fuga in eum errorem incidit, vt nulla iudicaret eſſe ſacramenta, quæ ab hæreticis miniſtrantur, & proinde baptizandos denuo qui ab hæreticis eſſent baptizati. Simili conſyderatione hunc errorem tribuit Hilario noſtro, eo quod Hiero. in dialogo contra Luciferianos id cuidam Hilario obijciat: verùm non aduertit hunc longè alium eſſe à noſtro Hilario: hic enim epiſcopus fuit, ille tantùm diaconus, vt ex Hieronymo loco præallegato liquet.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De Baptiſmo.

Baptiſmus omnibus ad ſalutem eſt neceſſarius, etiam infantibus, per quem peccata plenè tolluntur, & fiunt filij Dei, ac hæredes vitæ æternæ, nec vnquam eſt iterandus.

HIC articulus duo complectitur potiſſimùm, baptiſmi videlicet generalem neceſſitatem, eiuſdem efficaciam cum multiplici effectu, ſimul & ſufficientiam baptiſmi ſemel ſuſcepti. Circa primum igitur aduertendum eſt, duplici ratione baptiſmũ eſſe neceſſariũ. Prima quia præceptus eſt; ait enim Saluator Ioan. iij. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpirituſancto, non poteſt videre regnum Dei. Atque hac de cauſa, *Oportet etiam eos qui iam baptiſmi*

Rationes baptiſmi neceſſitatem probantes.

effect

ectum conſecuti ſunt, per fidem & plenam cordis con-
rſionem nihilominus baptizari, alioquin à regno Dei
cludendi,& grauiter peccaturi aduerſus prętactum
mini præceptum,quod non tam præcipitur,quàm
ſinuatur:*ſicuti oportebat circuncidi octauo die eos, qui*
matris vtero erant ſanctificati:vt Hieremiam,& Io.
pt. Atque id tradidit Augu.maximè xxiiij. libr.iiij. *Auguſtinus.*
tra Donatiſtas de Cornelio, qui cùm iã iuſtus eſſet,
men iubetur baptizari.De hac neceſſitate loquẽs ve
erabilis Beda,ait.Qui in veteri lege ſalubriter & terri *Beda.*
liter clamat.Maſculus cuius pręputij caro viij.die cir
nciſa non fuerit,peribit anima eius de populo meo:
idem in noua lege terribiliter & miſericorditer cla-
at.Niſi quis renatus &c.Et Bernar.in epiſt. ad Hug. *Bernardus.*
e S.Victore quæſt.lxxij.tradit præceptũ de baptiſmo
on eſſe naturale ſed factitium & poſitiuũ diuinum,
a vt quiſquis in maiori ętate conſtitutus poſt bapti-
ni vulgatũ remediũ baptizari renuerit, originali ma-
ulæ addit,& ex proprio crimine ſuperbiæ reatum du
licẽ ſecum portans,iuſtiſſimę damnationis cauſam,ſi
ic de corpore exire contigerit.pręceptum autem eius
aturæ eſt,vt docet Hiero.contra Iouin. lib. j.to.ij.vt
ieceſſe ſit ipſum fieri, alioquin pœnã non haberet,q
pſum nõ facit. *Quod ſi nõ foret alia ratione neceſſarius,*
quàm qua eſt præceptus: certè citra ipſum ſaluari poſ-
ẽnt quotquot ad ipſum peruenire nequeunt:excuſat
namque in omnibus pręcepti impoſſibilitas tranſgreſ
orem.Hinc conſequeretur paruulos decedentes ſine
baptiſmo ſaluari, cùm per eos non ſteterit quominus
baptizati ſint,vt qui citra aliorum ſubſidium ad bapti
ſmum accedere nequeunt: vt interim omittam his nõ
poſſe fieri præceptum cùm non ſint rationis capaces.

Conſequeretur præterea multos adultos, ad quos non peruenit baptiſmi notitia, excuſandos: ſi enim nullam (citra ſuam culpam) de baptiſmo cognitionem habuerint: non poſſunt iudicari culpabiliter tranſgredi præceptum de baptiſmo, ſicuti pulchrè & latè deducit Bernard. loco præallegato. Hinc dominus ad Apoſtolos loquens de Iudæis ait. Si non veniſſem, & loquutus non fuiſſem, peccatum non haberent: vides vt inculpabilis ignorãtia legis excuſet trãſgreſſorem. Rurſus & ij excuſarentur, qui morte præuenti non poſſunt percipere baptiſmum, etiam ſi nullum haberent eius deſyderium. *Eſt prætereà alia & priori maior neceſſitas baptiſmi, effectus nempe, quoniam ſine eius effectu, nulli patet via ad ſalutem.* Hunc autem ex ipſius domini ordinatione non poteſt quiſquam conſequi, niſi per baptiſmum, qui à domino inſtitutus eſt in medicinam morbi lethalis, in quo omnes naſcimur, & lauacrum regenerationis, in quo per eum regeneramur: Niſi enim (inquit) quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt videre regnum Dei. Per ipſum ſanguine Chriſti aſpergimur. Hinc fit vt Gentilis quiſpiam inuincibiliter baptiſmum ignorans, & prout ex naturalibus poteſt ad Deum ſe conuertens, non tamen adipiſcetur ſalutem, ſi ſine baptiſmi ſuſceptione decedat: quanquam non ſit præuaricator præcepti de baptiſmo, vt qui per inuincibilem ignorantiam excuſatur. Docet hoc Auguſtinus libr. de nat. & grat. contra Pelagianos, capitulo ſecundo, to. vij. Si enim ſecus res ſe habet, ſequitur quod infert Apoſtolus, gratis Chriſtum mortuum eſſe. Si enim ille hoc dixit de lege, quam accepit vna gens Iudæorum

Nullus omnino nec etiam per inuincibilem ignorantiam à baptiſmi neceſſitate liber.

Auguſtinus.

rum

rum,quanto iuſtiùs de lege naturę,quam accepit vni-
uerſum genus hunanum. Si per naturam iuſtitia,ergo
gratis Chriſtus mortuus eſt:ergo omnis humana natu
ra iuſtificari & redimi ab ira Dei iuſtiſſima,hoc eſt vin
dicta nullo modo poteſt,*niſi per fidem & ſacramentum*
ſanguinis Chriſti. Decuit tamen diuinā miſericordiam,
quoniam præceptum de baptiſmo poſitiuum fuit, ad
ſubueniēdum quibuſdam humanis caſibus , per quos
homo citra culpam à baptiſmo impeditur,non tam di
ſtrictam facere ordinationem,quin ab ea aliqua foret
exceptio,qua in eiuſmodi neceſſitate cōſtitutus & im
poſſibilitate ſuſcipiendi baptiſma,ſubueniretur:quęnā
autem hæc ſint,non niſi ab ipſo domino poſſumus di
ſcere, qui ſolus potuit hæc remedia in ſupplemētū ba
ptiſmi hominibus donare.Hęc autē ſunt in omnibus,
tā adultis, quàm paruulis *martyriū* pro Chriſti nomi-
ne ſuſceptū,*& in adultis fides cum vera conuerſione cor*
dis & baptiſmi deſyderio,quem articulus *neceßitatis* ex
cludit.Iſtud loco citato docet Bernar.ex patrum con-
cordi ſententia,Auguſtini,Cypriani,Amb.allegans lib.
Amb.to.iij.de morbo *Valentiniani*,in quo Valentinia
no audet de ſola fide ſalutem præſumere,quòd morte
præoccupatus non poſſet baptiſmum ſuſcipere,quod
habebat in corde.Citat & Augu.lib.iiij.contra Donat.
c.xxij.Baptiſmi(inquit)vicem aliquando ſupplere paſ-
ſionem in opere , de latrone illo cui non baptizato
dictum eſt . Hodie mecum eris in paradiſo.Beatus Cy
prianus non leue documentum aſſumit (& quan-
quam iſtud retractet Aug.quod exēplū de latrone po
ſitū minùs ſit idoneum ad illā ſententiam confirman
dā,quoniam de eo non conſtat num fuerit baptizatus
an non) Cæterùm ſententiam audacter proſequitur,

Baptiſmi ne- ceßitatis arti culo ſupplemē ta.

Bernardus. Ambroſius. Cyprianus. Auguſtinus.

& multipliciter confirmat, inquit Bernar. vnde ſubdit illud Auguſtini, quod etiã atque etiam cõſyderans, inuenio non tantùm paſſionem pro nomine Ieſu, quod ex baptiſmo deerat poſſe ſuppleri, ſed etiam fidem conuerſionemque cordis, ſi fortè ad celebrandum baptiſmi myſterium in anguſtijs temporum ſuccurri non poteſt. Et infrà quantum itaque valeat ſine viſibili ſacramẽto baptiſmi quod ait apoſtolus. Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem: in illo latrone declaratum eſt, ſed tunc impletur inuiſibiliter, cùm baptiſmum non religionis cõtemptus, ſed neceſſitatis articulus excludit. Idem alio loco cùm quoſdã permiſiſſet, quos ſcriptura commemorat inuiſibiliter ſanctificatos, tandem infert. Ex his colligitur inuiſibilem ſanctificationem quibuſdam adfuiſſe & profuiſſe ſine viſibilibus ſacramentis, quæ pro temporum diuerſitate mutata ſunt, vt alia tunc fuerint, & alia modò ſint. Item lib. xix. de ciui. Dei c. vij. Quicunque etiam non percepto regenerationis lauacro pro Chriſti confeſſione moriuntur, tantùm eis valet ad dimittẽda peccata, quantum ſi ſacro baptiſmatis fonte abluerentur. Qui enim dixit. Niſi quis renatus fuerit &c. Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo: & alio loco. Qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam: hinc eſt quod ſcriptum eſt. Precioſa in conſpectu domini mors ſanctorum eius. Item iuſtus ſi morte pręoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Ab his duabus columnis (Ambroſiũ loquor & Auguſtinum) crede mihi (inquit Bernard.) difficilè auellar, credens & ipſe ſola fide hominem poſſe ſaluari cum deſyderio perueniendi ad baptiſmum, ſi tamen pro adimplendo deſyderio mors anticipás: ceu

alia

alia quęcunque inuincibilis vis obuiaret. *Vide etiam ne fortè ob hoc ſaluator cùm diceret. Qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit, cautè & vigilanter non repetiuerit. Qui verò nòn baptizatus fuerit: ſed tantùm. Qui verò, inquit, non crediderit, condemnabitur, nimirum innuens ſolam fidem interdum ſufficere ad ſalutem, & ſine ipſa ſufficere nihil.* Certè cùm dixiſſet. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt videre regnum Dei: videtur in ipſa deductione certo ſtudio duntaxat mentionem facere regenerationis ſiue natiuitatis ex ſpiritu aqua dimiſſa. Quod natum eſt, inquiens, ex carne caro eſt, quod natum eſt ex ſpiritu ſpiritus: Neque enim effectus poteſt dignitate tranſcendere ſuam cauſam, cùm caro niſi carnē generet, oportet ſi ſpiritualis quis eſſe debeat (quod requiritur vt quiſpiam ſit aptus regno Dei) vt ex ſpiritu renaſcatur, ex quo eſſe ſpirituale & diuinum nanciſcatur, quo indicat ſufficere regenerationem ex ſpiritu, ſiue deſurſum, aut de ſupernis neceſſaria eſſe & ſufficientē, cùm ex aqua renaſci propter neceſſitatis articulum non datur: *habetur enim tunc quod per renaſcentiam ex aqua daretur per ſolum ſpiritum regenerantem*. Verùm iſtud inter doctores catholicos controuertitur, an hæc remedia debeant ſuſcipi tanquam ſupplentia vicem baptiſmi in voto habiti, an ſufficiat ea habere tanquam à domino ordinata, ad conferendum effectum baptiſmalem, quando articulus neceſſitatis ipſum excludit. Priorem partem tenet Thomas Vvalden. lib. de ſacra. quem ſcripſit contra Vvicleſiſtas. Secunda pars articuli continet baptiſmum etiam paruulis ad ſalutem eſſe neceſſarium. In huius partis probatione valde anxiè torquent ſe aduerſarij, dum ſcripturas quærunt

De baptiſmo paruulorum.

ad hanc rem ſtabiliēdam efficaces:nam iuxta ipſos, niſi quod ſcripturis expreſsè contineatur credendum nō eſt. Adducunt ſcripturam Geneſ. qua Deus Abraham alloquitur in hunc modum.. Ero Deus tuus & ſeminis tui. Verùm ſtatim offert ſe probabilis reſponſio, niſi & aliam ſcripturam adferant, qua declarent non niſi per baptiſmum Deum fieri cuiuſquam. Certè

Auguſtinus. Auguſti. aduertens *nullam poſſe adferri tam euidentem ſcripturam, aduerſus quam non poßit quiſpiam tergiuerſari, imò probabiliter reſpondere*. Hanc rem maluit ſtabilire authoritate eccleſiæ, eiuſque antiquiſſima & generali obſeruatione profecta ex Apoſtolorum,& proinde ipſius Chriſti traditione (ipſi enim nobis tradiderunt, quod à domino acceperant, iuxta legationem ſibi ab eo commiſſam.) Deinde ſcripturarum teſtimonijs eandem rem facit probabilem, ſic enim habet liber quartus contra Donatiſtas, capitulo vigeſimotertio. Cùm adhibetur homini corporaliter ſanctificatio ſacramenti,*cui* per neceſſitatem deeſt, quod latroni adfuit, *nempe fides & conuerſio cordis*, perficitur ſalus. Quod traditum tenet vniuerſitas eccleſiæ, cùm paruuli baptizantur, qui certè non poſſunt corde credere ad iuſtitiam, & ore ad ſalutem confiteri, quod latro potuit: quinetiam flendo & vagiendo cùm in ipſis myſterium celebratur, ipſis myſterijs vocibus obſtrepunt: etiam tamen nullus Chriſtianorum dixerit eos inaniter baptizari. Demum ſubdit capitulo vigeſimoquarto. Et ſi quiſpiam in hac re authoritatem diuinam quærat, quanquam quod vniuerſa tenet eccleſia, nec concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum

tum eſt, non niſi authoritate Apoſtolica certiſſimè creditur, ſubijcit. dehinc ſcripturis rem faciens probabilem. Tamen veraciter conijcere poſſumus, quod in paruulis *valeat baptiſmi ſacramentum, ex circunciſione carnis*, *quam prior populus acceperat*, cur enim præceptum eſt Abrahæ, vt omnes infantes qui maſculi erant octaua die circunciderct, *qui tamen nondum poterant credere, vt eis deputaretur ad iuſtitiam*, niſi quia & ipſum per ſeipſum ſacramentum multùm valebat? At conſpicit quilibet quàm multiplex euaſio ſe offerat. Dicere nanque poſſet Anabaptiſta quiſpiam: non ob id paruulum circunciſum, vt per eam remiſſionem peccatorum obtineret, verùm vt populo Dei adſcriberetur, quem illo externo ſigno placuit Deo diſtinguere ab alijs nationibus terræ, atque hoc ſignificari, dum dicitur, Maſculus cuius non circunciſa fuerit præputij caro, delebitur anima eius de populo ſuo, ideſt, non adſcribetur ei, nec in populo meo computabitur, ſeu pars & membrum eius. Rurſus poſſet non improbabiliter negari conſequentia. Quid enim ſi Deo viſum eſt miſericorditer hoc modo ſubuenire paruulis in veteri Lege, conſequitur quod, etiam debuerit ſubuenire paruulis noui Teſtamenti: & vt ſit Deo congruum etiam his ſubuenire, cùm velit omnes homines ſaluos fieri. Nunquid deeſt illi alius modus, quo poteſt paruulum ſaluare? *Hæc attendens Auguſtinus præcipuè fundat ſe in antiqua & generali obſeruatione, vſu & conſuetudine eccleſiæ, quam quidem ſemper in eccleſia fuiſſe obſeruatam diſcimus ex nobis relictis ſcripturis patrum, in quibus ſibi omnes inuicem ſucceden-*

tes à temporibus Apoſtolorum vſque ad Auguſtini tempora concorditer tradunt, tenent, docent, & prædicāt. Tradit hæc vetuſtiſſimus ille Dionyſius Pauli diſcipulus vlt.cap. cœleſtis hierarchiæ ibidem deſcribens eoſdē exorciſmos & cathechiſmos, quibus nunc vtitur eccleſia, eamq; traditionem apoſtolicam eſſe ſcribit. Idem docet Irenæus Polycarpi diſcipulus, qui fuit auditor Ioannis euangeliſtæ lib.ij.aduerſus hæreſes cap.xxxiij. cuius verba ferè in forma recitat Ber.hom.lxxxvj.ſuper Cantica. Videte canes, inquit, videte detractores, irrident nos, quia baptizamus infantes, quòd oramus pro mortuis, quòd ſanctorum ſuffragia poſtulamus in omni genere hominum, atque in vtroque ſexu feſtinant præſcribere Chriſtū in adultis & paruulis viuis & mortuis. Poſthęc multis interiectis ad rē plurimùm cōferentibus ſubiungit quæ videtur ab Irenæo mutaſſe. Propter hoc Chriſtus & infans natus eſt, & per ſingulos ætatum gradus profecit, in virū: vt nulli deeſſet ætati. Anne adultorum Deus tantùm eſt? ánne & paruulorum, an pro ſolis adultis mortuus eſt Chriſtus, vt hos ſolos viuificaret? Quin potius cum apoſtolo dicamus. Si vnius delicto multi mortui ſunt, multò magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit &c. Idipſum & cæteri patres tam Græci quàm Latini vnanimi conſenſu & concordi ſententia conſtanter ſenſerunt, docuerunt & prædicauerunt. Sententias eorum vide paſſim productas à neotericis ſcriptoribus, qui diligenter ſcripſerunt pro defenſione fidei catholicæ aduerſus Lutherana dogmata: nam temporis anguſtia non patitur nos diutiùs in his recenſendis immorari. Quid verò de ſuper concilia generalia decreuerint,

Dionyſius

Irenæus.

Bernardus.

non exiſtimo inutile ſubijcere. Sic enim in concilio Carthag.cap.vj.legitur definitum. Placuit de infantib. quoties non inueniuntur certiſſimi teſtes, qui eos baptizatos ſine dubitatione teſtentur, neque ipſi ſint per ætatem idonei, de traditis ſibi ſacramentis reſpondere, abſque vllo ſcrupulo eſſe baptizandos. Idem habet Concil. Miletanum cap. ij. Quicunque paruulos egreſſos ab vteris matrum baptizandos neget, aut non opus eſſe eos in remiſſionem peccatorum baptizari, cùm nihil peccati originalis ex Adam contraxerint, anathema ſit. Hoc concilium ſub Innocentio tertio temporibus Auguſtini celebratum eſt. rurſus in Conci. Vienneſi ſub Clemente v. eadem doctrina inconſtanter traditur. In conci. autem Toletano iij. cap. v. ſic dicitur. In ſacramento baptiſmi poteſt infans ter in nomine trinitatis, vel ſemel propter vnam ſubſtantiam in aquis mergi. In concilio verò Gerundinenſi capit. v. ſic decernitur. Pauruuli etiam eadem die qua nati ſunt infirmi baptizentur. Gregorius quoque magnus ad conſulta Auguſtini Anglorum apoſtoli, ſic ait: & recitatur diſt. v. cap. Si mulier. Poteſt mulier eadem die qua enixa eſt partum, ſi valet, eccleſiam intrare, & puer eodem die quo natus eſt baptizari. Sic & Cyprian. cuidam ſciſcitanti, an ante octauum diem paruulus eſſet baptizandus, cùm in vet. lege infra id temporis non fuerit circuncidendus. Reſpondet in hunc modum epiſt. vj. lib. iij. Quantum ad cauſam infantium pertinet, quos dixiſti intra ſecundum vel tertium diem conſtitutos baptizari non poſſe, & conſyderandam eſſe legem circunciſionis antiquæ, & intra octauum diem eum qui natus baptizandum non putares, longè aliud in concilio noſtro omnibus viſum

Conciliũ Carthaginen.
Conci. Miletanum.
Conci. Viennen. Toletanum.
Conci. Girundinen.
Gregorius magnus.
Cyprianus.

E.

eſt. In hoc enim quod putabas eſſe faciendum, nemo conſentit, ſed vniuerſi potiùs indicamus nulli hominum nato miſericordiam & gratiam Dei denegandam: nam cùm Dominus in Euangelio ſuo dicat, Filius hominis non venit perdere ſed ſaluare: quantum in nobis, ſi fieri poteſt, nulla anima perdenda eſt. Et paulò poſt. Cæterùm ſi homines alium ad conſecutionem gratiæ impedire poſſunt, multò magis adultos & prouectos, & maiores natu poſſent impedire peccata grauiora. Porrò autem ſi etiam grauiſſimis delictoribus, & in Deum multùm antè peccantibus cùm poſteà crediderint, à remiſſione peccatorum & à baptiſmo, nemo prohibetur: quantò magis prohiberi non debet infans, qui recēns natus nihil peccauit, niſi quod ſecūdum Adam carnalem natus contagium mortis antiquæ ſua natiuitate contraxit, qui ad remiſſionem peccatorum accipiendam hoc ipſo faciliùs accedit, quo illi remittuntur non propria ſed aliena peccata. Et idcirco frater chariſſime, hæc ſunt in concilio noſtro ſancita, vt à gratia & miſericordia Dei (qui omnibus miſericors etiā benignus eſt) nemo prohibeatur. hact. ille, qui non ſuam ſolius ſententiam, ſed quàmplurium doctiſſimorum, qui Concilio cuidam prouinciali vbi de hac re propoſitæ fuerant quæſtiones, interfuerant.

Hieronymus. Hieronymi ſententia eſt in Epiſtol. ad let. vbi tam neceſſarium aſſerit paruulis baptiſma, vt peccato quoque parentes perſtringat, ſi infantes Chriſtianorum non baptizentur ætate qua contradicere nō poſſunt.

Ambroſius. Idem ſentit Amb. de vocatione gētium lib. iiij. cap. iiij.

Auguſtinus. Vide etiam Auguſtinū de peccatorū meri. & remiſſ. c. xx. Item in duobus lib. quos ſpecialiter de hac re ſcribit ad Marcellinū, & in ſermone poſt paſcha, qui incipit.

pit. Hodiernus dies. & in Epiſtol. ad Bonifacium quæ eſt xxiij. Liquet itaq;, vt concludamus ex apoſtolica traditione & grauiſſimorum Doctorum authoritatibus, atq; ex ſacrorum Conciliorum determinationibus atq; totiùs Catholicæ eccleſiæ obſeruatione antiquiſſima, ſacramentũ baptiſmi etiam paruulis prodeſſe ad ſalutem, neceſſarioque illis impendendum: imò multò magis neceſſarius eſt baptiſmus paruulis quàm adultis. his nanq; per plenam cordis conuerſionẽ poteſt ſubueniri, dum non in cõtemptum religionis baptiſma excluditur, vt ſuprà docuimus. At paruulis nullum aliud à baptiſmo ſuppetit remedium, præter vnicum remedium martyrij ſecundum Doctores fundãtes ſe in ſcripturis, quam ſuperiùs protulit in huius rei confirmationem Auguſtinus. Qui me confeſſus &c. Si autem dum propter Chriſtum occiduntur, ſi non verbo, ſaltem certè facto Chriſtum confitentur, quẽadmodum innocentes illi ab Herode interfecti, quorum feſtum celebrat tota eccleſia, hoc ipſo oſtendens omnes illos perueniſſe ad ſalutem. Vnicus inter ſcholaſticos reclamat Richardus Arinatanus huic ſentẽtię, cui patrocinari videtur Bernar. in Epiſtol. ad Hugo. de S. Victore, *eò quòd paſſio pro Chriſto non videtur ſuſcipi niſi ex fide in ipſum ſuſcipiatur, qua carent paruuli.* Verùm in ſer. lxvj. ſuper Cantica. palã dicit meritò eccleſiam præſumere non ſolùm paruulis baptizatis in ſua fide ſalutem, ſed etiam interfectis pro Chriſto infantibus coronam martyrij. Et argumentum ob quod videretur cuiquam optimum ſoluit, *dum ſubdit eos aliquo modo fidem habere.* *Richardus Arinatanus. Bernardus. Dubium.*

Parum probanda, imò prorſus improbãda eſt quorundã recẽtiorũ ſententia, qui nullis fulti ſcripturis cõ-

tra veterum, imò contra omnium ſententiam audent aſſerere, paruulo decedenti ſine baptiſmo propter ſolam fidem parentum magnam eſſe ſpem ſalutis. Inter hos eſt Gerſon Cancell. Pariſienſi tertia parte ſer. de natiuitate Mariæ. Hunc ſequitur Caieta. cuius argumenta paucis proponemus. Primum fides veterum non fuit maioris virtutis apud ipſos, quàm noſtra eſt apud nos: quare non plus potuit neceſſitatis vrgente articulo tunc ſubuenire, quàm nunc: ſed tunc deficiente paruulis propriæ ſalutis auxilio, parentum fides pro paruulo ſufficiebat: ergo & nunc, quando paruulis deeſt propriç ſalutis remedium, quod eſt baptiſma, ſola parentum fides paruulum Deo offerens, ſufficit ad ſalutem paruuli. Minor probatur ex authoritate Grego. quam adducit magiſter prima diſt. quarto, & allegatur de conſecratione diſtin. quarta. Quod apud nos valet aqua baptiſmi, hoc apud veteres valebat vel pro paruulis ſola fides, pro maioribus virtus ſacrificij, vel pro ijs qui ex Abrahæ ſtirpe prodierunt, myſterium circunciſionis. Addit confirmationem ex ſalute paruulorum tempore circunciſionis ante octauum diem morientium: nam tales ſecundum probabiliorem opinionem moriebantur incircunciſi (vt patet de fratre Salomonis) & tamen ſaluabantur per benedictionem aliquam: quoniam ex lege circunciſionis non ſunt redditi mares deterioris cõditionis quàm fœminæ, quas conſtat ante octauum diem potuiſſe conſequi remedium contra originalis peccati maculam. Sicut igitur incircunciſi tunc infantes propter circunciſionis impoſſibilitatem in fide parentum ſaluari poterant, ita nunc non baptizati. Rurſus cùm Deus velit omnem hominem, id eſt, interprete Augu-

Gerſon.

Caiectani argumenta.

Gregorius.

ſtino

ſtino,omne genus hominum ſaluum fieri, oportet vt cuique hominum generi prouiderit de ſalutis remedio: at quoddam eſt genus hominum morientium in maternis vteris, vel mox vt eos egreſſi ſunt: ergo & his Deus prouidit de ſalutis remedio. Quid his & ſimilibus argumentis reſponderi valeat, videt vel mediocriter exercitatus. Ad primum igitur dicendum, nō ob fidei defectum, ſed ob diuerſam domini ordinationem prouenire,quòd ibi ſola fides iuſtificare poterat,& non hîc. Ad ſecundum dicendum antecedens aſſumptum eſſe æquè dubium,quo tamen ſuppoſito, conſequentia eſt inualida. Ad tertium reſpondendum non deeſſe quidem vlli homini remedium ſalutis,ſed multis deeſt(etiam citra ipſorum culpam)illius applicationem. Cuius rationem noli inueſtigare,ſi nolis errare,quanquam ratione iuſtiſſima, licet nobis occulta, carere non eſt arbitrandum. Sed habet hîc locum illa Pauli exclamatio,ô altitudo diuitiarum &c. Abſit (inquit Auguſtinus lib.v. contra Iulianum cap. . vt aliquis electorum domini ſinatur ab eo ſine ſacramēto hinc migrare. Quæ ſententia ſatis innuit,ſe ſentire non eſſe ſpem ſalutis decedenti ſine ſacramento vel in ſe, vel in aliquo eius vicem ſupplente. Quid autem poſſit eius vicem ſupplere,ex ſolis ſcripturis diſcimus, nempe martyrium in omni ætate: non poteſt enim mentiri qui dixit. Qui me confeſſus fuerit &c. & præter hoc fides cum conuerſione cordis includente votum baptiſmi, cuius realem ſuſceptionem non contemptus religionis, ſed neceſſitatis articulus excludit. Alio loco D. Auguſtinus ponit inter dogmata eccleſiaſtica,qui cùm iam ad templum baptizandus defertur,ſi morte præueniatur,non ſaluari.

In eandē ſententiam ſcripſit quidem Tiſmānus in libelloquē edidit de ſacramentis contra Lutheranos: ſed antecedens non facilè probatur.

Subditur conſequenter in articulo effectus, ad quē conſequendum neceſſarius eſt baptiſmus, nempe ſalus hominis. Quæ pars militat aduerſus Pelagianos, qui baptiſma quidem aſſerebant ad ingreſſum in regnum Dei neceſſarium, verùm non ad ſalutem, vt quam extra regnum Dei conſtituerent. Contra hos diſſerit Auguſtinus, ne quis præter regnum cœlorum alium inueniri locum ab inferno ceu gehenna in ſcripturis. Tertium (inquit) penitus ignoro, aut prorſus nō inuenio. Quæ quidem verba aduerte intelligenda de loco aliquo perpetuo, cuiuſmodi ſunt cœlum & infernus. Quod manifeſtè docet ratio dicendi, ex qua ſumi debet intelligentia dictorum, quod notandum duximus contra Lutheranos, qui hæc loca ex Auguſtino colligunt aduerſus purgatorium tanquam ipſum è medio tollant. Secunda pars articuli tractat de effectu baptiſmi, quem nobis confert in præſenti. Hæc autem eſt plena remiſſio peccatorum. Hæc pars poſita eſt contra Lutheranos, qui fatentur per baptiſmum remitti quidem peccata, id eſt, condonari, & non ampliùs imputari, verùm non plenè tolli, cùm re ipſa iuxta eos adhuc remaneant: ſed per Dei miſericordiam tollitur eorum reatus, vt non ampliùs imputentur ad damnationē. Pro intellectu igitur huius particulæ aduertendum *peccatum poſſe dupliciter intelligi plenè tolli.*

Antipophora.

Remiſſio peccati dupliciter accipitur.

Vno modo formaliter, quia nihil ipſius remanet, quod reuera adhuc peccatum ſit culpabile, aut imputabile, vel pœna aliqua dignum ſecundum rigorem diuinæ iuſtitiæ. Altero modo materialiter, quia nō ſolùm ſecundum ſe peccatum tollitur, ſed etiam ſecundum ſuam cauſam & effectū, vt nihil remaneat quod peccatū aduexit, aut quod per peccatum inuectū eſt.

hoc

*Hoc poſteriori modo non plenè tollitur peccatũ per baptiſmũ,*ſed tũc demũ hoc modo tolletur,cùm ceſſabit pugna carnis aduerſus ſpiritũ,ſiue cũ perfecta fueritcharitas,& adhuc pleniùs cùm mortale hoc induerit immortalitatem, & corruptibile hoc incorruptionem. Nam quandiu in hoc mortali corpore viuimus, nobiſcum circunferimus multos defectus tum animæ, tum corporis,ignorantiam quidem in intellectu, malitiam in voluntate, infirmitates iniraſcibili, concupiſcentiam in cõcupiſcibili,quæ quidẽ quatuor vulnera nobis per peccatum inflicta ſunt,in quantũ per ipſum ſubtracta originali iuſtitia, omnes animæ vires remanẽt quodam modo deſtitutæ proprio ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtutem,quem quidem ordinem efficiebat & conſeruabat originalis iuſtitia, per quam ratio Deo ſubijciebatur,& ſub ſe continebat reliquas omnes animæ vires. Similiter ex parte corporis remanent moriendi neceſſitas, multiplex infirmitas, varij morbi, fames, ſitis, & reliqui defectus, quorum omnium peccatum cauſa eſt per accidens, inquantum per ipſum ſubtracta eſt originalis iuſtitia, per quam non ſolùm inferiores animæ vires continebantur ſub ratione abſque deordinatione, ſed totum corpus continebatur ſub anima, abſque omni defectu: & ideo ſubtracta hac originali iuſtitia per peccatum primi parentis ſicut vulnerata eſt anima per deordinationem potentiarum, ita etiam eſt corruptibilis effecta, per deordinationem ipſius corporis. *Verùm vt hi corporis defectus peccata non ſint, ita nec ipſi defectus animæ in baptizatis: & ſi ante baptiſmum ipſorum pleraque fuerint peccata. Ipſa nanque malitia, per quam intelligitur prauitas, ceu*

Defectus animæ ex peccati fomite.

Defectũ corporis.

Quæ animæ vulnera per baptiſmũ curẽtur,& quæ maneant.

pronitas ad malum & tarditas ſiue difficultas ab bonum peccatum erat in non baptizato, eadem poſt baptiſmum non eſt peccatum, ſed peccati pœna: quoniam per gratiam, quæ in baptiſmo infunditur, aufertur auerſio habitualis à Deo, in qua conſiſtebat formalis ratio peccati:& remanet duntaxat concupiſcentia & pronitas ad malum,quæ eſt materiale ipſius peccati.Nec obſtat quòd ab apoſtolo frequenter vocetur peccatum:id enim per tropum fieri teſtatur D.Auguſtinus, quomodo conſueuimus dicere, *Frigus pigrum*, quia cauſa eſt pigritei, aut ſcripturæ manum cuiuſpiam, quia eius effectus: ſic concupiſcentiam renatis adhuc peccatum dicitur, vel quia cauſa eſt peccati, nempe quia ad peccatum incitans, vel quia illius effectus, eſt enim ex peccato nata: *Et hæc licet nō tollatur ſecundum ſuam ſubſtantiam per baptiſmum, minuitur tamen per gratiam baptiſmalem.* Quod ergo dicit articulus per baptiſmum peccatum plenè tolli, intelligendum eſt priori modo: quia videlicet nihil in baptizato manet, quod verè peccatum ſit & pœna dignum. Rurſum nulla pœna manet, quæ foret in futuro ſæculo luenda pro ipſo peccato originali ſiue actuali, & ſi remaneant ad exercitium nobis multæ pœnæ in præſenti vita ſufferendæ,à quibus, vt præmiſimus, non abſoluemur, donec adipiſcamur triumphum cæleſtis gloriæ,& dicamus. Vbi eſt mors victoria tua?ei inſultantes: ſic nec à pœnis ciuilibus ſiue corporalibus, ſiue pecuniarijs, ſi quas ante baptiſma promeriti ſumus, abſoluit nos baptiſma. Iſtud concorditer docuerunt omnes eccleſiaſtici ſcriptores,& in ſcripturis fundati demonſtrârunt.Inter quos Hieron. in Epiſt.ad Ocea. Sic ſcriptum reliquit Micheas de baptiſmi gratia. Ipſe

Metonymia apoſtoli.

Hieronymus.

auertet

auertet & miſerebitur noſtri, demerget iniquitates no ſtras, & proijciet in profundum maris omnia peccata noſtra: & paulòpoſt. Audiamus etiam Ezechielem filium hominis quomodo de eius virtute pronunciet. Aſſumam vos de Gentibus, & aſpergam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immũdicijs veſtris: & dabo vobis cor nouum & ſpiritum nouum. Ab omnibus (inquit) mundabo vos ſordibus: in omnibus nihil prætermittitur. Idem in ead. epiſtol. multò antè præmiſſa verba. Omnia, inquit, vobis in baptiſmate condonata ſunt crimina, nec poſt indulgẽtiam iudicis eſt metuenda ſeueritas, dicente Apoſtolo. Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in ſpiritu Dei noſtri omnia peccata donata ſunt. Et talia multa ibidem adfert ex ſcripturis, per quæ pulchrè explicat efficaciam baptiſmi & eiuſdem effectum, quem ei articulus tribuit. Addamus his & Auguſtini ſententiam, quam cum multis alijs locis, tum maximè, j. lib. contra Pelagianos capit. xxiij. explicat: vbi Pelagianis obijcientibus baptiſmum non dare omnem indulgentiam peccatorum, nec auferre crimina, ſed duntaxat radere, ita vt peccatorum radices in mala carne permaneant. Reſpondet. Quis niſi infidelis affirmet? dicimus enim baptiſma dare omnium peccatorum indulgentiã & auferre crimina, non radere: nec vt obijciũt peccatorum radices in mala carne tenentur, quaſi raſorum in capite capillorum, vnde creſcant iterum reſecanda peccata. Vnam iſtamq; ſimilitudinem cõperi ſuæ illos adhibere calumniæ: tanquam hęc nos ſentiamus. Sed de iſta concupiſcentia carnis falli eos credo vel fallere, tum quia neceſſe eſt, vt etiam baptizatus, & hoc ſi *Auguſtinus.*

diligentiſſimè proficit,& ſpiritu Dei agitur)pia mente cõfligat.Sed hoc etiã ſi vocetur peccatũ, nõ itaq; quia peccatum eſt, ſed quia peccato facta eſt, ſic vocatur, ſicut ſuprà per exẽpla oſtẽdimus.Peccata autẽ sũt quę ſecundũ concupiſcentiã vel ignorantiã illicitè fiũt:cogitãtur,dicũtur quę trãſacta etiã eos reos tenẽt,ſi non remittãtur:& iſta ipſa concupiſcẽtia in baptiſmo ſic dimittitur,vt quanq̃ tracta ſit à naſcẽtibus, nihil noceat renaſcẽtibus.Audis plenam & exactã Aug. ſentẽtiam baptiſma nõ radere tãtùm peccata, ſed auferre, quod nos in articulo dicimus(plenè.)Audis cõcupiſcẽtiã remanentẽ in baptizato vocari peccatũ,non quod peccatum ſit, ſiue quòd peccato facta ſit,ſiue,vt ibidem ait,quòd peccandi delectatione moueatur. Idipſum ſignificauit Saluator. Qui lotus eſt,non indiget niſi vt pedes lauet,ſed eſt mundus totus,ideſt,nihil ſordiũ, nullum prorſus peccatum manet in eo,qui aqua baptiſmali lotus eſt. Reſtat id vnum, vt deinceps pullulantes ex concupiſcentia inordinatas affectiones quotidiana diluat pœnitentia. Atque hoc eſt, quod ait Aug. Nec propter ipſam concupiſcẽtiam cuius iã reatus lauacro regenerationis abſumptus eſt:dicũt in oratione baptizati,dimitte nobis debita noſtra, ſed propter peccata quę fiunt ſiue in eius conſenſibus, cùm ab eo quodlibet admittitur quod placet,ſiue cùm per ignorantiam malũ quaſi bonũ placet.Priuſq̃ finẽ imponamus declarationi huius particulę, eſt & illud aduertendũ, quòd cùm dicimus baptiſmate peccata plenè tolli:intelligendũ eſſe quantũ eſt ex parte baptiſmi. Poteſt enim hunc effectũ impedire indiſpoſitio ſuſcipientis, vt nullũ peccatũ remittatur,vt ſi adhuc eſt in affectu peccati mortalis:nemo enim arbiter ſuæ volũ

Ioann. 31.

tatis

tatis cōſtitutus poteſt inchoare nouā vitā, niſi prius veteris pœniteat: vt docet Aug. in li. de vtilitate pœnitentię, & in li. de fid. & operib. c. j. Rurſum fieri poteſt, vt remittantur peccata, quoad culpā: verùm ob doloris imperfectionē non totalē quoad pœnā. Adhæc tertiò poteſt cōtingere vt omnibus mortalibus remiſſis aliquod veniale relinquatur ſine indulgētia, vt in quo actu & voluntate perſeuerat homo, tam antè quàm poſt baptiſmū, *velut ſi nimiū afficiatur maritus vxori,* aut prolibus, aut bonis terrenis, citra tamē inordinationē peccati mortalis. Sequitur in articulo quòd per baptiſmū efficimur filij Dei. In hac parte nō diſſident à nobis aduerſarij, niſi quoad modū quo efficimur filij Dei. Ipſi nanq; aſſerunt nos fieri *filios Dei dūtaxat per externā acceptationem.* Nos autē docemus nō tantùm exteriùs adoptari hominem, verùm & reuera filiūDei, cōformiter ad ſcripturas, quę tradūt nos renaſci & regenerari à ſpiritu, & cōſortes eſſe diuinæ naturæ, membra Chriſti eſſe, & eodē quo ipſe ſpiritu viuere, de plenitudine ſpiritus eius, quem pater non ad menſuram dedit ei, iuxta fidei menſuram accipere. Quapropter *non ſolùm nominamur ſed & ſumus* reuera filij Dei eodem ſpiritu viuentes, & vitæ operationes exercentes, quo filius Dei iuxta naturam aſſumptam viuit ſpiritu: vt eo modo afficiamur erga patrem noſtrū Deum & proximos noſtros quo ipſe, licet nō pari affectu: *Alioquin quomodo eius membra eſſemus?* conſtat enim non alio ſpiritu viuificari mēbra, quàm eo ipſo quo caput: & rurſus liquet, eūdē ſpiritū quo vitales exercet operationes influere in mēbra. Ex iſto autē euidēter conſequitur, p eundē baptiſmū nos etiā hęredes vitę ęternæ effici. Sic enim argumētatur Apoſtolus. Si filij, ergo hęredes: filio nanque filiationis iure debetur hæreditas.

Aduerſariorū ſentētia de filiatione Dei quam aſſequimur per baptiſmum.

De Baptiſmi vnitate. Nec vnquam eſt iterandus. Hæc eſt vltima pars articuli, in qua ſimiliter nobiſcum conſentiunt aduerſarij, imò etiam ipſi Anabaptiſtæ. Proteſtantur nanq; hi ſe probè ſcire Apoſtolum dicere. Vt vna eſt fides, ita & vnũ baptiſma: & rurſum in epiſt. ad Heb. cũ aſtrue re. Impoſſibile eſſe qui ſemel illuminati ſunt &c. rurſus renouari ad pœnitẽtiam. Quare (inquiunt) non iteramus baptiſma, ſed id compertum habemus nullum effectum habuiſſe in paruulis, hoc ipſis pleniùs conferimus. *Auguſtinus.* Iſtud ſimiliter tradiderunt vniuerſi patres Aug. cõtra epiſtolam Parmeniani lib. ij. cap. xiij. & alijs quãplurimis locis. *Cyprianus Papa.* loca in quibus reliqui omnes id concorditer tenent, breuitatis cauſa prẹterimus. Vide Damaſcenũ lib. iiij. c. x. Acceſſit concordi patrũ traditioni totius eccleſię multiplex definitio, de hac re in concilijs *Concil: Carthagin.* generalibus. In conci. Carthagi. Primò dicitur Baptiſmus in trinitate ſuſceptus non iterari põteſt: quamob rem Arriani in nomine trinitatis baptizati per impoſitionem manuum & non per iteratũ baptiſmum recipi iubẽtur in con. Arelat. c. viij. Et in epiſtola Cypriani ad epiſcopos Aphricanos dicitur. Veniẽtes à Nonatianis & Mõtenſibus per manus impoſitionẽ recipiantur. E diuerſo autem in concil. Niceno c. xix. Pauliani ſtæ ceu Cataphrigę ad eccleſiam catholicam redeũtes iubentur rebaptizari. Non enim in nomine patris, & filij & ſpiritusſancti baptizabãt, qui credebãt Chriſtum nõ ſemper fuiſſe, ſed ab Maria exordium ſumpſiſſe, vt teſtatur Iſidorus lib. viij. & Haymo c. v. Porrò in dete- *Conci. Ilard. Cum rebaptizatis nec in cibo communicandum.* ſtationẽ baptizantium dicitur in conci. Ilarden. c. xiiij. Cũ rebaptizatis fideles nec in cibo participẽt. His adde definitionẽ conci. Vienn. rurſus concilij Florentini, in quibus hęc pars articuli definitur certa fide credenda: vt poſt tot tã ſolenniũ conciliorum determinationem

nem planè impudens ſit, qui iſtud in dubium reuocet. Verùm ſatis de hac re, pręſertim cũ de hac non ſit iam exagitata eccleſia. Nunc reſtat vt ſecundo loco videamus, in quo à nobis diſſideãt aduerſarij, & in quo con ueniũt. Diſſidẽt igitur primùm in hoc, quod docẽt baptiſmũ quẽ adminiſtrari iuſſit dominus per Apoſtolos quiq; in vſu ab eccleſia eſt receptus, eſſe baptiſmum Ioannis, nec vllũ aliũ à Chriſto inſtitutum, cuius conferendi miniſteriũ datũ eſſet hominibus. Cõfirmãt ſuã ſententiam, quoniã ſcripturę duplicis duntaxat baptiſmi meminerunt: primi, qui fit in aqua, poſterioris, qui fit in ſpirituſancto: hunc vni Chriſto tribuentes, illud Io. iij. iuxta quod ipſe D. Io. dicebat turbę. Ego baptizo vos aqua, ille autẽ baptizabit vos in ſpiritu ſancto & igni. Cùm ergo (inquiũt) vni Chriſto propriũ faciant ſcripturę baptizare in ſpiritu, ſequitur nos non baptizare in ſpiritu, ſed in aqua tantùm, & proinde idipſum baptiſma adminiſtrare, quod Io. Hoc autem baptiſma Io. ſacramentum eſſe probant, ex ſua definitione: quia ſignũ eſt & bonum teſtimoniũ bonę volũtatis Dei, erga nos & promiſſionis ſalutis, *ad quã apprehẽdendam per fidẽ excitat ſuſcipientem*. Nõnulli tamẽ eorũ coacti euidẽtibus ſcripturis, quæ ad hoc à Catholicis adducũtur, baptiſma iã vſitatũ in eccleſia eſſe euidẽtius & certius ſignũ quàm fuerit baptiſma Ioan. fatẽtur. Falſam, abſurdam, impiam, & hæreticam eorũ eſſe ſentẽtiam (quam tum amplecti coguntur, vt ſibi vtcunq; correſpondeãt, iuxta rationem ſacramenti priùs datã) apertiſſimè docẽt ſcripturæ. Dominus nanq; mittens apoſtolos per vniuerſum orbẽ illis iniunxit miniſteriũ illius baptiſmi, quẽ tam magnificè pærdicauerat Nicodemo apud Io. c. iij. *quo renaſceretur homo, ſiue naſceretur denuo*, nõ iã de terra, ſed de cœlo, non ex carne, ſed

Cenſura Lutheranorũ de Baptiſmi ſacramento.

Contra hæreticorum rationes,

Baptiſmus Chriſti differt à baptiſmate Io. Ba. ex ſpiritu, vt & ipſi quoq; ſpiritus fierẽt. Hinc Apoſtoli in ſcripturis ſuis eũ *vocarũt lauacrũ aquæ ſed in verbo vitæ*, quod nos abluit, mũdat, ſanctificat, iuſtificat, peccata remittit, filios Dei nos facit. Hæc omnia ſcripturę attribuunt baptiſmo, quem Apoſtoli ex iuſſu domini conferebant: at nihil tale tribuunt baptiſmo Ioannis: verùm dicunt ipſum duntaxat eſſe baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum, quo ſcilicet per pœnitentiam profitebantur ſe parare viam domino mox venturo, vt poſſent eum recipere in corda ſua. Et hinc eſt quod irreuincibiliter confundit aduerſarios Apoſtolus Paulus, cùm reperiret quoſdam duntaxat *baptizatos baptiſmo Ioannis, qui non ſolùm ſpiritum ſanctũ non acceperant, ſed nec quid ſpiritus ſanctus eſſet ſciebãt: iuſſit eos baptizari in nomine Ieſu*. Vides vt apoſtolus diſtinguat baptiſmũ Ioannis à baptiſmo Ieſu, etiam eo, qui per homines cõfertur: *aut ergo eos Paulum rebaptizaſſe* fatearis oportet, aut baptiſmũ Io. non fuiſſe verũ baptiſma, quo mandauerat dominus baptizari eos, quibus ipſe euangeliũ prędicauerat. *Torquent hãc tam apertã ſcripturam ad impoſitionem manuũ, per quã dabatur ſpiritus ſanctus, cùm palàm ibi illa duo diſtinguãtur, baptiſmus & manuũ impoſitio*, ſicut & in tota reliqua ſcriptura. *At ſi hæc interpretãdi detur licentia, vt quiduis, pro quouis accipere liceat, certè non eſt quod ſcripturis contendamus aduerſus eos: quid enim tã euidens, quod nõ facilè ad vſum alienũ ſimili modo detorſerint?*

Tigurini: Bucerus. In neceſſitate baptiſmi nobiſcũ conueniũt Lutherani, exceptis Tigurinis, cum quibus quondã docuit Bucerus, vt ſuperiùs innuimus *baptiſmũ duntaxat eſſe cerimoniã quandam & ſignum externum, quo profitemur apud homines nos initiari Chriſtianiſmo, & velle aſſume-*

rę

re vitam Chriſtianam. Hinc dogmatizant, nec ex eius pręſentia ſalutem eſſe hominibus, nec ex eius carentia damnationem, aut ſalutis carentiam. *In hoc tamen à nobis diſſentiunt etiam vniuerſi Lutherani, quòd ſicut reliquis ſacramentis, ita & baptiſmo aliter tribuūt ſalutem quàm nos, nempe inquantum eſt ſignū rememoratiuum promiſſionis, excitās in nobis fidem diuinæ bonitatis erga nos.* Rurſus in probatione quod paruulis ſit neceſſarius maximè ſe torquent, quoniā ſolas ſcripturas recipiūt. At longè tutiſſimū aſylū habet eccleſia catholica deficiētibus ſcripturis, aut nō offerētibus ſe aliquibus tā apertis, quin aduerſus eas pateat tergiuerſandi locus, nēpe antiqua & generalis totius eccleſiæ obſeruatio, quā concors traditio patrū nos edocet, ſimul & definitio generalium conciliorum. In hac præcipuè ſe fundauit Auguſti. vt ex præcedētibus euadit contra Donatiſt. quam non dubitat ab apoſtolica traditione manaſſe, diuinamq́; eſſe inſtitutionem. *Abſurdum autem eſt, vt prius tetigimus, quod docent Lutherani paruulos, dum baptizantur habere motum fidei, ſpei, ac charitatis,* quæ Deus in ipſis efficiat, neq; enim ampliùs audent dicere, paruulos credere, ſperare, amare: enimuerò quo adultis hæc conueniunt, ſcripturas adſerunt. Quoniam accedentem ad Deum oportet credere. Et rurſus: Sine fide impoſſibile eſt placere Deo, *verùm in c. maioris, de baptiſmo & eius effectu reſpondetur has & alias ſimiles ſcripturas continentes neceſſitatem fidei, ſpei, & charitatis ad adultos duntaxat pertinere.* D. Auguſtinus locis quàmplurimis docet, quod pia mater eccleſia *fidem ſuam paruulis impertiat.* Idem docet Domin. Bernardus ſer. lxvj. ſuper Cantica. Nemo mihi dicat (inquit) quod non habet fidem,

Qualem ſalutem tribuant nobis ſacramēta ſecundum Lutheranos.

Auguſtinus. Bernardus.

cui mater eccleſia impertit ſuam, inuoluens illi in ſacramento quouſq; idoneus fiat, non tantùm proprio ſenſu, ſed aſſenſu euolutã, puramq; percipere. Magna eſt eccleſię fides. nunquid minor fide Chananeę mulieris, quã cõſtat & filiæ ſufficere potuiſſe? & ſibi à domino audiuit dici. Mulier magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut petiſti. Nunquid minor fide illorũ, qui Paraliticũ per tegulas dimittẽtes animæ ſimul & corporis obtinuerunt ſalutem? deniq; habes. Quorũ fidem vt vidit, ait paralytico. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua, & paulò poſt: Tolle grabatũ tuũ & ambula. Qui hæc credit, facilè perſuadebitur merito eccleſiã præſumere nõ ſolùm paruulis baptizatis, in ſua fide ſalute, ſed etiam pro Chriſti nomine interfectis infan. corona martyrij. Quę cùm ita ſint, nullũ pręiudicium ſuſtinebũt regenerati de eo quod dictu eſt. Sine fide impoſſibile eſt placere Deo, cùm ſine fide nõ ſint, qui in teſtimonium fidei gratiã baptiſmi perceperũt. Sed neq; de eo quod iterum dictũ eſt. Qui verò non crediderit condemnabitur. hęc ille. Item quod ſequitur nos per baptiſmum effici filios Dei & hęredes, diſſentiũt a nobis Tigurini & cum his Bucerus. *Docent enim paruulos filios Dei eſſe & hæredes hoc ipſo quo naſcuntur ex fidelibus parentibus, non per hoc quod baptizantur.* Nituntur probare ſuã ſententiã per hoc quod Paul. j. Cor. vij. Sãctificata eſt mulier infidelis per virũ fidelẽ: alioquin filij veſtri immundi eſſent, nunc autẽ ſancti ſunt. Argumẽtatur ex hoc loco filios immũdos fore, niſi per virũ fidelẽ ſanctificaretur mulier infidelis: igitur non ſunt immundi filij, dum ex parentibus fidelibus & ſanctificatis progignuntur, ſed ſancti vt tradit Apoſtolus. Si autẽ ſancti, ergo iuſti, ergo filij Dei & hęredes. Baptiſmũ ergo

Tigurini. Bucerus.

ergo ad hoc adhiberi docent, vt ſit eis in ſignum ſanctitatis: quemadmodum Abrahæ data fuit circunciſio, vt eſſet ei in ſignum iuſtitiæ prius acceptæ, dum adhuc eſſet in præputio:vt tradit apoſtolus Rom.iiij.At ſi fidelium filij naſcuntur ſancti,quomodo in Adam omnes peccauerunt?quomodo naſcimur omnes filij iræ? Quomodo non eſt quiſquam à ſorde ne infans quidem vnius diei ſuper terram?quomodo Dauid in iniquitatibus & peccatis conceptus eſt? nunquid ex parentibus infidelibus traxit originem?

Præcipuè autem à nobis diſſident Lutherani, quo ad hanc articuli partem,qua aſſerimus per baptiſmum peccata plenè tolli.Tradunt enim omnes concorditer in baptizatis reuera manere peccatum, & baptizatum reuera eſſe adhuc peccatorem,& perpetuò, quoad viuit,talem remanere odio Dei & pœna æterna dignum:*verùm hoc tantùm fieri baptiſmo, vt peccatum (quod tamen retinet) ipſi non imputetur propter Chriſtum*. Hæc hæreſis directè repugnat Pelagianorum hæreſi. dicebant nanque hi,neque ante,neq; poſt baptiſma eſſe peccatum in homine, ſed concupiſcentiam eſſe qualitatem quandam homini naturalem ipſi ab authore Deo naturaliter inditam: ſimiliter & motus ab ea procedentes non eſſe vitioſos ſed naturales: à quo dogmate quoad hanc poſteriorem partem notat & Clichtoueus D.Eraſmum minùs abhorruiſſe in libello,quem inſcripſit,Declamationem pro matrimonio,vbi tradit pruriginem & ſtimulum carnis à natura eſſe.Quod procul abeſt à doctrina Pauli, & Auguſtini, & reliquorum veterum. *Docet enim Paulus peccatum in nobis operari concupiſcentiam hanc, quantunuis mente reluctetur.* Latè proſequitur Bucerus, in li.

Lutherani.

Pelagianorũ hæreſis.

Clichtoueus.

D. Eraſmus.

quo reſpondet Pighio ſcribenti de hac materia, hoc ipſorum dogma de concupiſcentia & eius motibus tam in paruulis quàm in adultis. Vult enim ſicut illã, ita & hoc peccata eſſe tam in paruulis quàm in adultis. vnde reijciunt ſententiam, quam paſſim ex Auguſtino contra eos adferimus. *Peccatum adeò voluntarium eſt, quod ſi non eſt voluntarium, non eſt peccatum.*

In vltima particula de non iterando baptiſmo omnes nobiſcum conueniunt, etiam Anabaptiſtæ. Neq; enim agnoſcunt ſe rebaptizare, ſed baptiſma verum conferre, quod prius fuerat irritum & nullum in paruulo. Parum probatur, imò palàm improbatur à Pariſienſi ſicut & indiſcretum D. Eraſmi conſilium, quo conſulit, vt edoceantur, qui iam ad ætatem adultam pertigerunt, quid in ſe contineat profeſſio Chriſtiana, quod vbi probè edocti fuerint, ſuadet vt ipſi interrogentur ratum ne habeãt, quod ſuſceptores illorũ nomine polliciti ſunt in baptiſmo, ſi reſpondeant ſe ratum habere: tum publicè *ſuadet renouare eam profeſsionem ſimul congregatis æqualibus*, idque cerimonijs grauibus, aptis, ſerijs, magnificéntque eam, atque doceant eam profeſſionem illam eſſe talẽ, qua nulla poteſt eſſe ſanctior. Quod ſi fortè non approbet, quod per vicarios geſtum eſt, tentanda quidem ſunt omnia remedia, ne quis à prima fide reſiliat. Verùm ſi nõ poteſt obtineri, fortaſſis (inquit) expediet illum non cogi, ſed ſuo relinqui arbitrio donec reſipiſcat, nec ad aliam vocari pœnam, niſi vt ab euchariſtia ſumenda reliquíſque ſacramentis arceatur. At cùm per baptiſmum ſint pueri incorporati familiæ Chriſti, tenentur ex hoc ipſo viuere ſecundum leges familiæ eius, vt poſſint ad hoc cogi, ſi fortè voluit, nec expedit eos

Conſilium Eraſ. de profeſſ. Chriſtiana.

ſuo

ſuo relinqui arbitrio: quemadmodum pulchrè docetur in articulo de hæreticis vi cogendis ad fidem comminatis & etiam inflictis grauibus pœnis. Vide natalem Bedam doctorem Pariſienſem ſcribētem ſuper hac re aduerſus eum. *Certè œcumenicum iſtud Concilium Tridentinum iam inchoatum damnat hanc ſententiam.*

ARTICVLVS TERTIVS

De Sacramento pœnitentiæ.

Pœnitentiæ Sacramentum(quod poſt baptiſmum omnibus relapſis eſt neceſſarium) complectitur contritionem, confeſsionem & ſatisfactionem.

PRINCIPIO pro explicatione articuli duo ſunt declaranda. Primò, quid ſi pœnitentia: ſecundò quid ſit pœnitentiæ ſacramentum. Pœnitentiam igitur, & ſi ex vſu latini ſermonis intelligamus diſplicentiam, quæ nos tenet de eo quod commiſimus, fecimus, noſtráve voluntate aut conſilio factum eſt, quodcunque illud ſit ſiue bonum, ſiue malum, ex vſu tamen diuinarum ſcripturarum & doctrinæ eccleſiæ eam intelligimus odium, deteſtationémque vitæ veteris, admiſſorúmque à nobis criminum, quia illis diuinæ maieſtatis oculos offendimus, & ab iiſdem nos expugnandi & diuinæ miſericordiæ & gratię impetrandæ deſyderiū, conatū, ſyncerū, diligens ſtudiū, per quod exquirimus vniuerſa quę ille nobis adhęc media & remedia inſtituit, atq; illis libenter, humiliter, cōfidenter nos ſubijcimus, ſperantes *Pœnitentia ſecūdū Theologos.*

de illius benignitate & miſericordia. Media autem hęc pro temporum diuerſitate, diuerſa fuêre : alia nanque in lege naturæ, alia in lege Moyſi, alia iam extant ſub lege Euangelica. ipſa tamen pœnitentię virtus ſemper eadem manet, & inuariata quocunque tempore. Et quoniam in noua lege nondum baptizatis Chriſtus medium aſſequendę remiſſionis peccatorũ propoſuit: ideo illis à pœnitentia baptiſmum ad ſalutem neceſſarium docent diuinæ, apoſtolicæq́ue literę. Itaque Iudæis concionante Petro ad fidem Chriſti conuerſis, & ex cordis compunctione quid ſibi ad ſalutem opus foret, percontantibus reſpondit. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſq; veſtrum in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum.

His verò qui baptizati peccatis & ſceleribus commaculârunt, quam in baptiſmo receperunt innocentiæ tunicam, inſtituit Deus in remedium ſacramentum pœnitentiæ, quod quidem hac ratione dicitur pœnitentiæ ſacramentum: quia nõ niſi pœnitentibus eſt neceſſarium, includitq́ue pœnitentiam tanquam primam ſui partem naturalem & integralem. Sacramenta nanque ab eo quod ipſis eſt materiale denominationem ſortiuntur, velut ſacramentum baptiſmi dicitur propter ablutionem illam corporalem, quæ fit in baptiſmo. Vt autem pœnitẽtia prima pars eſt ſacramẽti pœnitẽtiæ: ita eadẽ eſt præcipua, vt omnino nullum ſit ſacramentum, niſi præceſſerit pœnitentia, & niſi fiat confeſſio, & impendatur abſolutio, & perſoluatur impoſita ſatisfactio. In alijs ſacramentis res penitus aliter ſe habet: baptiſmus nanque licèt prærequirat pœnitentiam in baptizando adulto, tamen etiã ſi hæc non ſit præſens: verè tamen baptizatur, qui exterius

Ratio nominis pœnitentiæ.

teriùs corpore abluitur cum debita verborum forma. Simile iudicium eſt de ordine, confirmatione, matrimonio & extrema vnctione. At ſi deſit pœnitentia, reuera non abſoluitur, cui à ſacerdote impeditur verbalis abſolutio. De hac prolixiùs in ſequenti articulo. Eſt enim pœnitentia eadem re ipſa cum contritione pro ſtatu nouæ legis: vnde vt de hac re ita & de illa ferendum eſt iudicium, nẽpe quòd propter Deum ceu Dei offenſam ſuſcipi debeat, non ex ſolo timore pœnæ (& ſi hæc frequenter ſit initium pœnitentiæ) Hinc Paulus Act.xx. dicit ſe teſtificatum Iudæis atq; Gentibus pœnitentiam, non quamlibet, ſed pœnitentiam in Deum. Item ij. Corinth. vij. Triſtitiam dicit eam demum, quæ ſecundum Deum eſt pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operari. Et dominus Luc.xxiiij. declarat, quomodo à Prophetis prædictum ſit oportere in nomine ſuo pœnitentiam prædicari.

Hæc pœnitentia donum Dei eſt, nec ſola humana induſtria comparari poteſt, ſicut nec fides, ſpes, atque dilectio, ex quibus ipſa procedit. Hinc Paulus Rom.ij. dicit, benignitatem Dei homines adducere ad pœnitentiam. & Act.ij. Ergo & Gẽtibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam. Hinc in Pſalmiſta frequenter legimus cordis conuerſionem tribui Deo. Conuerte nos Deus ſalutaris noſter. Rurſus. Quando conuertiſti me dicit Hiere. egi pœnitentiam. Præter hanc pœnitentiam complectitur ſacramentum tãquam partes ſuas, contritionem, confeſſionem & ſatisfactionem, vt expreſſè definiuit Conc. Florent. Quanquam ante hanc deciſionem variè diſceptatum ſit, inter ſcholaſticos doctores de ipſa ſubſtantia ſacramenti. Schotus docebat ipſam abſolutionem eſſe ſacramentum pœniten- *Pœnitentia donum Dei.* *Schotus.*

Durandus. tiæ. Durandus ſuſtinebat confeſſionem cum contritione præcedenti eſſe hoc pœnitentiæ ſacramentum. Tho. in his tribus ſitum rectè aſſeruit, contritione, confeſſione, ſatisfactione, cui ſubſcribit præallegatum concilium Floren. definiens hoc ſacramentum continere illa tria ſicut partes ſuas. *Thomas.*

Inſtitutio huius ſacramenti. Hoc autem ſacramentum eſſe pœnitentibus à Chriſto ordinatum pro conſequenda remiſſione peccatorum, in quæ poſt baptiſma relapſi ſunt, liquet ex eo, quod cùm dominus poſt reſurrectionem ſuam, vt refert Lucas, aperiret Apoſtolis ex ſcripturis, quomodo oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicare in nomine eius pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, eodem ipſo tempore continuato colloquio, & ſermone eodem tradidit ipſis poteſtatem retinendi & remittendi peccata, priùs dato eis ſpirituſancto, cuius directione hanc poteſtatem exercerent. Indicat igitur dominus eo ipſo ſufficienter pœnitentibus ipſis, quomodo ſit quærenda peccatorum remiſſio, nempe adeundo eos, quos ipſe conſtituit in materia peccatorum iudices, & eis ſe ſubmittendo in eo, quod ſub ſacramento pœnitentiæ præcipitur, dignum nempe ſenſibile efficiens gratiam, quam dignificat: nempe peccatorum remiſſionem iuxta ſacerdotis decretum & arbitrium dependet à Deo, qui ſuis promiſſis deeſſe non poteſt: promiſit autem vt quoruncunque ipſi peccata remitterent, remiſſa eſſent.

Ex iiſdem verbis colligitur huius ſacramenti neceſſitas. Si enim non remittuntur peccata, ni ſacerdote remittente, hoc enim ſignificant illa verba. Quorum retinueritis, retenta ſunt: conſequitur ad *Pœnitentiæ neceſſitas.*

remiſſionem peccatorum neceſſarium eſſe, vt relapſo poſt baptiſma ſacerdos ea remittat: quare neceſſarium eſt à ſacerdote abſolutionem accipere, & proinde ſacramentum pœnitentiæ ſuſcipere, quod in abſolutione in forma cauſæ conſiſtit. Abſolutio autem vt ſit legitima & efficax, præcedentia tria requirit: contritionem, confeſſionem & ſatisfactionem, ſaltem in promptitudine animi, vt infrà declarabimus.

Hæc eſt concors omnium orthodoxorum patrum ſententia à temporibus Apoſtolorum ad hæc vſque noſtra tempora ſibi inuicem ſuccedentium, quam quidem ſententiam ſcripturæ iam citatæ continent. Hanc inſuper ſententiam firmauit perpetua obſeruatio totius catholicæ eccleſiæ, ex qua diſcimus ita neceſſarium eſſe relapſis à baptiſmate ſacramentum pœnitentiæ, ſicut nondum baptizatis neceſſarium eſt baptiſma. Hinc ille ter ſanctus Leo ante nos annis vndecies centenis ad Theodo. Epiſcopum ſcribens, inquit, Multiplicem miſericordiam Dei ita lapſis hominibus ſubueniſſe affirmant ſcripturæ ſanctæ, vt non ſolùm per baptiſmi gratiam, ſed etiam per pœnitentiæ medicinam ſpes vitæ reparetur æternæ: ſicque hanc ordinauit bonitas diuina, vt non niſi ſacerdotum miniſterio queant obtinere, qui regenerationis dona violârunt. Mediator enim Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus hanc præpoſitis eccleſię tradidit poteſtatem, vt & confitentibus actionem pœnitentiæ iniungant, & ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem ſacramentorum per reconciliationis ianuam admittant. Iam & alium ex alio orbis cardine & dicto Leone aliquantulum vetuſtiorem teſtem accipe Augu. in Epiſt. ad Honoratũ Epiſcopũ, quæ eſt clxxx. vbi docet

Leo Papa.

Auguſtinus.

paſtorem in perſecutione nō poſſe dimittere gregem ſuum,cùm tunc illi ſit maximè neceſſarius,quod dum nititur declarare, ait. An neſcimus cùm ad iſtorum periculorum peruenitur extrema,nec eſt poteſtas vlla fugiendi in eccleſia ab omni ætate, & ab vtroque ſexu,quantus in ea ſoleat fieri concurſus, baptiſmum alijs flagitantibus, alijs reconciliationem, alijs etiam pœnitentiæ ipſius actionem, vbi ſi miniſtri deſint, quantum exitium ſequatur, tum quia de iſto ſæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati: quantus eſt etiam luctus fidelium,qui eos ſecum in æternæ glorię vitæque regni non habebunt. Quantus denique gemitus omnium, quanta blaſphemia de abſentia miniſteriorum & miniſtrorum,vide quid faciat timor malorum temporalium,& quāta in eo acquiſitio ſit malorum æternorum: ſi autem miniſtri adſint pro viribus quas eis dominus ſubminiſtrat, ſubuenitur omnibus,alij baptizantur, alij reconciliantur, nulli fraudantur dominici corporis communione, omnes conſolantur, ædificantur & exhortantur, vt Deum rogent, perſecutiones auertere. Vides vt parem faciat Auguſtinus baptiſmum & reconciliationis neceſſitatem,eius inquam,quæ paſtori ſuo fit: vt quemadmodum æternæ vitæ requiem non eſt habiturus, qui ſacramento regenerationis caret, quia non eſt regeneratus: ſic nec vitæ æternæ gloria potiri poſſibile eſt eum,qui ſacerdotis miniſterio recōciliationis aut pœnitentię ſacramentum non accepit,quoniam eiuſmodi hinc diſcedit ligatus. Eiuſdem doctrinæ catholicæ *Ambroſius.* Ambroſius lib.i. de pœniten.cap.vij. vbi pulchrè tractat de multiplici poteſtate data diſcipulis à Chriſto in reprehenſione Nouatianorum, qui concedunt re-

miſſion

miſſionem in baptiſmo, ſed pœnitentiæ lauacrum negant: cùm nihil interſit inter vtrunque ſacramentum. Ipſis igitur Nouatianis obijcit in hunc modum. Cur manus imponitis, & benedictionis opus, ſi quis fortè reualuerit ægrotus, creditis? cur baptizatis, ſi per hominem peccata dimitti non licet? In baptiſmo vtique omnium peccatorum remiſſio eſt. Quid intereſt, vtrũ per pœnitentiam, an per lauacrum, hoc ius ſibi datum ſacerdotes vendicent? vnum in vtroque myſterium eſt. Sed dices, quia in lauacro operatur myſteriorum gratia. Quid in pœnitentia, nonne Dei nomen operatur? quid ergo vbi vultis, vendicatis vobis Dei gratiam? vbi vultis, repudiatis? Sed hoc inſolentis arrogantiæ eſt, non ſancti timoris, vt faſtidio vobis ſint, qui volunt agere pœnitentiam. Et lib. ij. cap. ij. Quemadmodum impoſſibile videbatur Naamam per aquam lepram mundari, quod gratia Dei factum eſt poſſibile: ita impoſſibile videbatur per pœnitentiam peccata dimitti. Verùm cõceſſit hoc Chriſtus Apoſtolis, quod ab Apoſtolis ad ſacerdotum officia tranſmiſſum eſt, vt iuxta Ambroſium penes ſacerdotes ius ſit, & poteſtas remittendi & retinendi peccata. Conſentit Chryſo. lib. iij. de ſacerdotali dignitate capit. iij. Etenim qui terram incolunt atq; in ea verſantur, ijs commiſſum eſt, vt ea quæ in cœlis ſunt diſpenſent, ijs datum eſt, vt poteſtatem habeant, quam Deus neque angelis, neque archangelis datum eſſe voluit, neque enim ad illos dictum eſt. Quæcunque alligaueris in terra, erunt alligata in cœlis, & quæcunque ſolueris in terra, erunt in cœlis ſoluta. Habent quidem & terreſtres principes vinculi poteſtatem, verùm corporum ſolùm: id autem quod dico ſacerdotum vinculum, etiam ipſam ani-

Chryſoſtomus.

mam contingit,atque ad cœlos vſque peruadit, vſque adeò vt quæcunque inferiùs ſacerdotes iudicent, illa eadem Deus ſuperiùs rata habeat, ac ſeruorum ſententiam dominus conſeruet. Etenim quid hoc aliud eſſe dicas, niſi omnium rerum cæleſtium poteſtatem illis à Deo conceſſam? Quoruncunque enim ait, peccata retinueritis &c. quænam obſecro poteſtas hac vna maior eſſe queat? Pater omnifariam filio poteſtatem dedit.cæterùm video ipſam eandem omnifariam poteſtatem à filio illis traditam. Et infrà. Inſania manifeſta eſt, deſpicere tantum iſtum principatum, ſine quo neque promiſſorum bonorum compotes fieri, neque ſalutis poſſumus, quod declarat ſubijciens de neceſſitate baptiſmi,item de neceſſitate ſumendi corpus & ſanguinem Chriſti. Quæ myſteria haud aliter quàm per ſacroſanctas illas manus perficiuntur, manus inquam,ſacerdotũ,ſine quarum proinde ope fieri non poteſt, vt aut gehennæ ignem euitare quis poſſit, aut repoſitæ in cælo coronæ præmia aſſequi. Deinde paucis interpoſitis ſubditur corporis lepram purgare,ceu vt veriùs dicam, haud purgare quidem, ſed purgatos probare Iudæorum ſacerdotibus licebat: Neque neſcis quanta cum ambitione, quanto ſtudio, ac contradictione ſacerdotalis dignitas id temporis acquireretur, at verò noſtris ſacerdotibus non corporis lepram, verùm animæ ſordes,non dico purgatas probare, ſed purgare prorſus conceſſum. Vides, vt penes ſacerdotes iudiciariam aſſerat poteſtatem, citra cuius opem nulli ſperanda eſt ſalus, vt per quam eis omnium cæleſtium rerum poteſtas data eſt: & penes eos cauſæ quoruncunque hominum (qui ſunt de familia & regno Chriſti) tranctandæ

ven

veniunt. Quod ex ipſa rei natura conſequitur, hoc ipſo nanque quo tribunal aliquod ceu poteſtas iudiciaria in regno quopiam conſtituitur: indicitur reis neceſſitas, ſi abſolui velint, adeundi tribunal illud, & ſuppliciter rogandi pro indulgentia. Vide Cypri. libr. iij. epiſtola xiiij. & aliquot ſequentibus præallegatorum patrum ſententijs, palàm ſubſcribentem, & ſecunda Epiſtol. primi libri. Reliquos breuitatis cauſa prætermittimus, præſertim cùm hæc res tam clara ſit ex ſcripturis, vt hæ ſolæ facilè cuique fidem faciant: quin & ipſos Lutheranos conuincunt fateri, in ipſis inſtitui à domino ſacramentum pœnitentiæ, eiusque neceſſitatem non diffitētur, quinimo magis neceſſarium arbitrantur quàm Eccleſia catholica doceat: hoc enim ſacramentum relapſis duntaxat à baptiſmate neceſſarium docet Eccleſia: non enim opus eſt ſanis medico, ſed malè habentibus. Verùm hi omnibus ipſum neceſſarium faciunt: ſed hoc inde accidit, quòd fateantur ſemper omnes homines ſubiacere peccato mortali, imò in quolibet ſuo opere damnabiliter agere & deficere, vt ſemper opus habeant remiſſione. Secunda pars articuli enumerat tres partes ſacramenti pœnitentiæ, præter quas eſt & alia, quæ Formalis eſt complens rationem ſacramenti. Harum partium neceſſitas euidenter liquet ex ipſo fine ſacramenti pœnitentiæ. Finis nanque eius eſt reconciliatio peccatoris cum domino Deo ſuo, quæ eſſe debet, ſicuti declarabitur, cùm partes eius ſpecialiter tractabūtur. Vt igitur cognoſcamus quæ ſint eius partes, & quot, videndum eſt, ſi quis filius, qui patrem ſibi habet offenſum, qua via in eius gratiam redeat. Certum autem eſt, imprimis eum debere agnoſcere offenſam.

Cyprianus.

Error Lutheranorum.

Analogia.

certum quoq; eſt ipſum debere dolere de offenſa, & humiliter ſupplicare pro indulgẽtia, proponens emẽdam, quòd ſcilicet, deinceps erit obediens patri. Rurſus & hoc natura docet, ipſum debere eſſe paratum ad ferendam correctionem paternam. Conſimili modo ſi velimus Deo reconciliari: opus eſt agnitione culpæ, quæ eſt confeſſio, odio & deteſtatione eius cum firmo propoſito melioris vitæ, & humili deprecatione pro venia, in quo conſiſtit contritio. Deinde animo paratus ferre flagellum Dei, ecce ſatisfactio. Hunc naturalem modum & ordinem reuertendi ad Deum, quem natura ſuggerit: rationis lumen naturale demonſtrat. pulchrè exprimit Hierem. cap. iij. ſub ſimilitudine mulieris adulteræ, quærentis reconciliari viro ſuo. Eundem modum facto ſuo nobis exprimit filius prodigus. Dominus autem ſaluator veniens in hunc mundum ſua gratia non deſtruit naturam eius ordinem inuertendo, ſed perficit, quod ipſi deeſt ſupplendo eius vires, & præſtando ea, quæ recta ratio dictat, mentem altiùs ſupra naturæ intelligentiam eleuando. Sic igitur in propoſito cùm homo qui cecidit per ſe, non poſſit reſurgere grauatus naturæ infirmitate, ſubuenit naturæ altiſſimus ordinans ei medicamina, quibus ſanaretur eius infirmitas, nempe aduerſus vulnera lethalia ordinauit ei baptiſmum & pœnitentiæ ſacramentum. Baptiſmum quidem vt ſubueniret lapſis, pœnitentiam autem vt ſubueniret poſt baptiſmum relapſis. Huius autem ſacramenti adminiſtrandi poteſtatem ſacerdotibus donauit: hinc oportet vt ipſi, ſicut Dei vicarijs, confiteamur peccata noſtra, quatenus ipſorum cognitione ipſi de eis ſententiam pronuncient: ſiue abſoluendo ac remitten-

do, ſiue ligando, ceu retinendo. Hoc ergo additum per Dei gratiam eſt ijs, quæ ex natura facienda intelligimus vt homini confiteamur, & per eum abſoluamur, quod natura non adiuta fide minimè dictaret, quin potiùs abhorret, etiámque naturam ſuperat, quòd homo poteſtatem habeat remittendi peccata in Deum commiſſa. Iſtud autem cedit in magnam vtilitatem & conſolationem hominis, qui, ſi non eſſet huiuſmodi remedium inſtitutum, valde incertus eſſet de conſcientiæ puritate, præſertim quum communis imperfectior ſit & tepidior animi dolor, quàm qui mereatur remiſſionem. Huius item imperfectio, & quiſquis eſt ex parte peccatoris defectus virtute ſacramenti ſuppletur, modò non ſit talis defectus, quo poneretur obex virtuti ſacramenti & gratiæ Dei. Cùm igitur & recta ratio dictet, & ſcripturæ palàm doceãt, & veteres omnes partes vnanimi cõſenſu, vno ore, vna voce, ſic ſentiant, tradant & prædicẽt, quis credet Lutheranis, à xxx. fortaſſis annis exortis, citra rationẽ, citra vllam ſcripturam præter omnẽ authoritatem patrum docentibus. Accedit his definitio concilij, Florẽtini, cuius hæc ſunt. Quartum ſacramentũ eſt pœnitentia, cuius quaſi materia ſunt actus pœnitentis, qui in tres diſtinguuntur partes, quarum prima eſt cordis contritio, ad quam pertinet, vt doleat de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi decætero. Secunda eſt confeſſio, ad quam pertinet vt peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, ſuo ſacerdoti confiteatur integraliter. Tertia eſt ſatisfactio pro peccatis ſecundum arbitrium ſacerdotis, quę quidem præcipuè fit per orationem, ieiunium, eleemoſynam. Forma huius ſacramenti ſunt verba abſo-

Conc. Florentinum

Materia.

Forma ſacramenti pœnitentiæ.

lutionis, quæ ſacerdos profert, cùm dicit. Ego te abſoluo. Miniſter huius ſacramenti eſt ſacerdos, habens authoritatem abſoluendi, vel ordinariam, vel ex commiſſis ſuperioris. Effectus huius ſacramenti eſt abſolutio à peccatis. Deinceps tractanda eſt doctrina aduerſariorum circa hunc articulum, vt in quo à nobis diſcrepent. Primùm fatentur eſſe aliquod ſacramentum pœnitentiæ, vt liquet ex eorum confeſſione Cæſ. Max. exhibita: quanquam Caluinus & alij plerique refragentur, vt ſuprà adnotauimus. Verùm hoc ſacramentum dicunt in ſola abſolutione conſiſtere & non in vllis actibus pœnitentis. Probant autem abſolutionem eſſe ſacramentum ex ratione ſacramenti ſuperiùs poſita, quam ipſi ſibi confinxerunt, quia teſtimonium eſt bonæ voluntatis erga nos ad excitandam fidem: intelligunt ergo abſolutionem applicationem Euangelij ad hanc vel illam perſonam, idque ex Dei mandato: ita vt quòd Euangelium dicit Deum propitium omnibus factum merito filij ſui, aut filium ſuſcepiſſe in ſe omnium peccata, & ſua morte patrem placaſſe ſuper omnibus iniquitatibus generis humani, & omnem hominem patri reconciliaſſe, etiam ſceleratiſſimum, ſi applicetur per abſolutionem huic particulari homini, ex mandato Dei enuntiando ei remiſſionem peccatorum, quam ſi fide apprehendat, credens ſibi propter Chriſtum remitti peccata: iam patrem habet propitium, & indulgentiam omnium peccatorum. Si credis (inquiūt) particeps es iſtius condonationis & gratiæ factæ, quæ annunciatur & applicatur tibi per abſolutionis ſacramentum. Verùm quàm nihil

Miniſter.

Dogma aduerſariorum de pœnitentiæ ſacramento.

nihil probabilitatis contineat hoc, ex ſcripturis fit manifeſtum. Non enim dicit Saluator in verbis, quibus tribuit ſacerdotibus abſoluendi poteſtatem. Quoruncunque peccata oſtenderitis, declareueritis, & annunciaueritis eſſe remiſſa in terris, erunt remiſſa & in cælis. Rurſus non dicit. Quoruncunque annunciaueritis peccatum in terris ſolutum, erit ſolutum in cœlis: ſed, quorum remiſeritis peccata, & quorum ſolueritis: nimirum concedens illis ius & poteſtatem abſoluendi, non tamen pronunciandi abſolutos, aut annunciandi hanc remiſſionem peccatorũ. Noſtris ſacerdotibus (inquit Chryſoſtomus) non dico purgatas probare, ſed purgare animæ ſordes prorſus conceſſum eſt. Et rurſus cùm declaratio remiſſionis, non præcedat, ſed ſequi debeat, ſaltem natura, remiſſionem: quomodo tunc demum remiſſa in cœlis dicerentur poſt declarationem factæ remiſſionis in terris. Certè priùs hîc in terra ſolui neceſſe eſt (inquit Cyprianus, ij. libr. primo, vt poſſint & in cœlis ſolui: non ergo ſolùm declarando, ſed reuera remittendo ſoluuntur peccata. Alij paulò aliter dicunt, remiſſionem quidem nondum factam omnium peccatorum, ſed tamen eam omnibus offerri per Euangelij annunciationem, quod etiam iuſsit dominus prædicari per vniuerſum orbem.

Chryſoſtomus

Aliorum ſententia.

Verùm vtrique horum vehementer falluntur, & aberrant à veritate Euangelij, confingentes ſibi nouum quoddam Euangelium, cuius ſcripturæ nuſquam meminerint. Vbi enim docent ſcripturæ in pœnitentibus factam peccatorum remiſsionem, dummodo hoc ſecum ſtatuant, aut ijſdem offerri,

ſi modò per fidem eam acceptent? Rurſus vbi docent remiſſionem eſſe annunciationem remiſſionis? Si nihil aliud eſt remiſſio, quid opus fuit tanta ſolennitate præmiſſa, in ſufflatione & donatione ſpiritusſancti? Quis enim eſt, qui non poteſt annunciare euangelium, & remiſſionem peccatorum & patris propitiationem, & Dei erga homines reconciliationem, quin & peritè poteſt hæc addiſcere? Hæc quoque fatentur aduerſarij, vnde admittunt & quemlibet à quolibet poſſe abſolui, etiam à puero & fatuo, quin & à pica ſi docta eſſet pronunciare verbum euangelij, de remiſſione peccatorum, de reconciliatione patris & redemptione mundi, & hæc fide apprehendere & ſibi applicare, certò ſtatuendo ſe habere remiſſionem peccatorum, ſibi patrem eſſe repropitiatum &c. Quapropter vlterius conſequitur non eſſe neceſſarium quicquam ſacramentum pœnitentiæ, quod coguntur admittere, ſed duntaxat vtile ipſum dicunt & commodum Chriſtianiſmo, ad erigendos, & conſcientias conſolandas territas motu ſuppliciorum, & damnationis æternæ propter peccata. Similem doctrinam faciunt de vita æterna, vt de remiſſione peccatorum: quoniam vtrunque ex æquo annunciatur in euangelio nobis Chriſtum peperiſſe apud patrem. Nunc de partibus pœnitentiæ quid doceant, paucis perſtringamus. Philippus in apolo. facit duas partes pœnitẽtiæ. primam quidem illam, quæ ſacramentum eſt: quam dixerunt in abſolutione conſiſtere: & ſecundam pœnitentiam interiorem, quam paſſim prædicant Prophetæ & Euangeliſtæ. Sunt autem hę partes, contritio & fides. Contritionem vocat terrores & pauores vehementes propter appre-

Cenſura aduerſariorum de pœnitentiæ ſacramento.

Nota.

Philip. Melãchtum in apologia.

Contritio & fides quid ſecundum Philippum.

prehenſum gehennæ ſupplicium paratum peccatoribus. Fidem autem eam intelligit, qua animo ne per terrores illos in deſperationem deijciatur, ſed erigatur in ſpem, certò apprehendens ſibi per Chriſtum remediũ paratum, peccatorum ſcilicet, remiſſionem. Caluinus videns hoc alienum ab vſu & conſuetudine ſcripturarum, quæ perpetuò faciunt fidem eſſe prorſus à pœnitentia diſtinctam, quemadmodum probat ex authoritate Petri & Pauli teſtificantium Iudæis atque Gentibus pœnitentiã in dilectione & fide in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti, recedit ab illa ſentẽtia, ſtatuẽs alias duas pœnitentiæ partes, mortificationẽ, ſcilicet, & uiuificationem. Vbi aduerte etiam hæc aſſignari pœnitentiæ partes, verùm lõgè aliter accepta, quàm Caluinus accipiat, id nanque per mortificationem intelligit, quod per contritionem, nempe terrores metu ſupplicij (quos Lutherus teſtatur aliquando in ſe extitiſſe tam vehemẽtes, vt initia quædam pœnæ infernalis ſeſe prælibare arbitraretur, at malo ſuo, quod his admonitionibus nihil ampliùs reſipuit). Per viuificationem autem fidem intelligit, per quam animus ita concuſſus terribilibus in ſpem erigitur, & certam credulitatem, quod per Chriſtũ pater ſibi factus propitius, dum certò ſtatuit ad ſe pertinere promiſſiones in ſcripturis factas, atque animus ita quodammodo viuus creditur, qui priùs fuerat veluti mortuus ceu metu exanimatus. At Caluinus propriè mortificationem accipit iuxta conſuetudinem ſcripturarum, pro carnis caſtigatione & refrenatione, per quam peſſundentur prauæ affectiones hominis. Viuificationem autem intelligunt mentis renouationem, quæ includit remiſſionem peccatorum, & ſpiritum gratiæ & vitæ: huncq;

Caluinus.

Lutherus maximos expertus gehennæ terrores.

dicit fide illa ſpeciali obtineri. At cùm hæc mortificatio ſiue renouatio etiam iuſtis in ſcripturis attribuantur: imò his maximè, iuſta illud apoſtoli. Mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram, & rurſus.

2. Cor. 4. Licet is qui foris eſt homo corrumpatur, tamen is qui intus eſt, renouatur de die in diem. Item renouamini ſpiritu mentis veſtræ. Quum autem pœnitentia propria ſit peccatoribus, qui nondum eò deuenerunt, vt poſſint ſe mortificando malas affectiones extinguere: & interiorem anim ſuum renouare: niſi priùs ſanetur animus per gratiam, & niſi ſit ſanatus ex gratia & ſpiritu: non poſſit hæc præſtare; conſequitur fieri non poſſe, vt hæ ſint pœnitentiæ partes. Sed dicerent fortè etiam iuſtis opus eſſe pœnitentia. Et quónã igitur modo verum eſt, quod ait Manaſſes in deprecatione ſua ad Dominum. Domine Deus iuſtorum non poſuiſti pœnitentiam iuſtis, Abrahæ, Iſaac, & Iacob, his qui tibi non peccauerunt, vt recederent à te? Item quomodo dicit Saluator: non opus eſt ſanis medico? Non negamus tamen eis opus eſſe pœnitentia quotidiana propter peccata venialia, & iam remiſſa mortalia. Verùm de hac non eſt ſermo in propoſito, ſed de pœnitentia eccleſiæ, ſcilicet peccatorum, quæ ſunt neceſſaria materia ſacramenti pœnitentiæ, nempe mortalium.

ARTICVLVS QVARTVS.

Contritio.

Contritio eſt dolor de peccatis propter Dei offenſam ſuſceptus, cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi, non autem (vt quidam hoc ſeculo pernitiosè docent) terror

vt Philipus

prop

opter apprehenſum gehennæ ſupplicium ccatis debitum. Prȩparat tamen hic terror gehennæ metus ad veram animi contri- onem.

NVNC in ſpeciali de ſingulis ſacramenti pœnitentiæ partibus agendum eſt: & primò de prima & præcipua eius parte, quæ eſt Contritio: cuius deſcriptionem tradit hic articulus, recitata ſa ſententia aduerſariorum. Primò igitur aduerten- m eſt, nomen contritionis ab actione corporali, am propè ſignificat, tranſlatum eſſe ad ſignifican- m animi dolorem. Contritio nanque propè ſignifi t comminutionem, per quam res, quæ in ſe ſolida e- t, ad partes minimas reducitur, in quo à fractione di nguitur (vt dicitur in iiij. Æthi. quòd frangi res dica r, quando in paruas partes diuiditur) ſic igitur per andam ſimilitudinem dum affectus peccati, quo r quodam modo induratum & ſolidatum erat, dum o ſenſui inhȩrens, à mandatis diuinis receſſit, & cùm cor durum per propriam comminutionem & diſ- icentiam reſoluitur, peccator conteri dicitur. Hinc nili metaphora in ſcripturis legimus frequenter cor ci nūc carneum & molle, nūc durum & lapideum. el poteſt accipi contritio paſſiuè (ſecundum Guil. Pa ſien. in ſua Rethorica) qua ſcilicet cor ipſum conteri- r recordatione peccatorum: vel actiuè qua cor con- rit peccata examinando & perſcrutando diligenter ipſum, & cogitationes bene penetrando, vt non ſo- m voluntas, ſed nec peccati cogitatio in ipſo rema- eat, hac contritione deſtruuntur peccata. Illa non

Aethymologia nominis. Contritio.

Analogia.

frangit,nec deſtruit cor,quod omni cuſtodia iubemur ſeruare, verùm potiùs cor fractum integrat & ſolidat, & fractiones ipſius quibus per peccatū diſruptum eſt, omnino curat. Quanquā autem cor ſecundū ſuā ſubſtantiam nec ſecundum virtutes, quas in ſe habet, nō ſit cōterendū,tamen ſecūdum ea quæ in ipſo ſunt vitia,quę ipſum durū reddunt malleo diuini verbi venit contereudum ſecundum inquam, prauas cogitationes & affectiones,& operationes,quæ ex eo oriuntur, quæ omnino ex animo tollendæ ſunt: non ſolùm hac ratione, vt non ampliùs afficiamur peccatis, verùm etiam vt nos aliquando peccaſſe grauiter doleamus: & hinc dicitur contritio eſſe dolor. Vbi aduerte dolorem non capi propriè:ſic enim eſt paſſio appetitus ſenſitiui,quę non eſt eſſentialiter contritio,ſed eius effectus: ſicut enim pœnitentiæ virtus exteriorem pœnam ſuo corpori infligit,ad recompenſandam offenſam,quę in Deum cōmiſſa eſt officio membrorum: ita etiam ipſi cōcupiſcibili pœnā inferre doloris neceſſariū eſt, quia ipſa etiam ad peccatū cooperabatur. Poteſt tamē hic dolor pertinere ad contritionē inquantum eſt pars ſacramēti:quia ſacramēta nō in interioribus actibus, ſed etiā in exterioribus & rebus ſenſibilibus nata ſunt eſſe, verùm dolor hoc loco capitur,pro diſplicētia,odio & deteſtatione alicuius mali,quæ eſt in voluntate ſecundū quod affectus volūtatis nominatur per nomina paſſionum, vt tradunt doct. Materia huius doloris ſunt peccata,hinc dicit articulus eſſe dolorem de peccatis: eſt enim & de multis alijs dolor,de defectibus animæ & corporis & præſentis vitæ miſeria: verùm hic dolor non ſpectat ad contritionem. Deinde quia omnis dolor ex amore procedit,ſubditur cauſa ſuſcepti dolo ris

Dolor quomodo hic accipitur.

de peccatis, nempe propter Dei offenſam: igitur ex
iore Dei oportet hunc dolorem procedere, nõ enim
ficit qualiſcunque dolor de peccatis: eſt enim qui-
m qui eſt de peccato non propter pœnam ingruen
n aut formidatam ex peccato, quomodo qui pro-
er furtum ſuſpendendus de furto grauiſſimè dolet,
mpe non propter furtũ in ſe, ſed propter illud quod
i per furtũ accerſiuit ingruens ſuſpendium. Eiuſmo
dolor eſt, qui eſt de peccato ſolùm propter mala, quę
r illud incurrimus, in præſenti ſiue in futura vita,
ii tamen non attinet ad contritionem. Verùm debet
ſe de pacto vt peccatum eſt, hoc eſt, quia Dei of-
nſiuum eſt. Eſt enim peccatum hac ratione do-
ndum, quia eſt receſſus à lege Dei, & per conſe-
uens ab ipſo Deo, à quo auertimur eo ipſo, quo legi
us non ſubdimur, ſed eam pręuaricamus conuerten
o nos inordinatè ad bonum commutabile. Dupli-
ter autem intelligitur Dei offenſa, altero modo paſſi
è, qua ipſe offenditur, volẽs vindicare peccatum in
commiſſum: altero modo actiuè, vt ſit offenſa, qua
os Deum offendimus, admittendo aliquid ipſo indi-
num, quo eum inhonoramus, cùm tamen ei debea-
ur ſummus honor & amor, atque ſumma reueren-
ia. Atque hoc modo conſyderata offenſa debet ma-
imè in nobis excitare dolorem, qui ſuſcipiẽdus quo-
ue foret, etiam ſi nullam dominus exigeret vindi-
tam. Eſt inſuper aduertendum multiplicem dolorem
ropter Dei offenſam: quidam enim eſt perfectus,
uam Cõtritionem ſpecialiùs accepto vocabulo, quo
tuntur ſcholaſtici vocãt, eo quòd planè conterat, &
n nihilum redigat omnes affectus peccatorum, & in-
ducat nouum affectum dilectionis Dei ſuper omnia,

Peccatũ quomodo Dei offenſiuum.

Dei offenſa.

Multiplex dolor propter Dei offenſam Contritio.

atque in hac ſignificatione vtuntur ſcripturæ, dum dicunt Deum non deſpicere cor contritum &c. ſed reſpicere ad pauperculum & contritum ſpiritu. Itẽ, ſanare cõtritos corde. Alius eſt dolor imperfectus, qui quãuis ſit propter Dei offenſam principaliter ſuſceptus, non eſt tamẽ ſatis intenſus, vt per ſe citra ſacramẽta etiam re ipſa exhibitus poſſit veniam delicti impetrare. Eſt & præter hũc alius imperfectus dolor ratione modi dolendi, vt qui principaliter oritur ex timore pœnę

Attritio. atque horum vtrunque ſcholaſtici nomine attritionis complexi ſunt. Inter hos tamen hoc diſcriminis eſt, quòd poſterior ille non ſufficienter diſponit ad ſacramentum pœnitentiæ, id quod facit primus: vtrunque tamen Dei donũ eſt, niſi enim timor etiam ſeruilis qui ex timore ſolius pœnæ naſcitur donum Dei eſſet: non vtique dixiſſet Apoſtolis. Non enim eccepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore. De poſteriori autem qui eſt initialis timori coniunctus liquet, ex ſcripturis quæ docent pœnitentiam & cordis conuerſionem eſſe Dei donum, atque in hac ſignificatione etiã vtitur ſcriptura ſacra attritione. Articulus generaliùs accipit contritionem, vt complectatur etiam attritionem, maximè eam, quæ eſt dolor imperfectus, quia ſcilicet procedit ex dilectione infuſa Dei. Hanc vno nomine complexus eſt Paulus, vocans eam triſtitiam ſecundum Deum, eamq́ue eſſe pœnitentiam ſtabilem, quæ

Triſtitia ſecũdũ Deum. in ſalutem operatur. Alter autem dolor, qui eſt duntaxat ob formidatum ſupplicium iuxta eundem Apoſtolum eſt triſtitia ſecundum ſeculum. Propoſitum cõfitendi, & ſatisfaciendi cuius poſt præmiſſa meminit articulus, eſt effectus doloris de peccatis. Si enim verus eſt dolor & perfectus de Dei offenſa, neceſſe eſt adſit

Propoſitũ confitẽdi & ſatisfaciendi ſunt effectus Contritionis.

deſi

ſideriū efficax, quærendi reconciliationē cum eo, promptum propoſitū ea aſſumendi quæ ordinauit aquam media neceſſaria ad recōciliationem ſecum cundā: quæ quidē pro diuerſitate tēporum & con-tionis perſonarum ſunt diuerſa pro ſtatu nouæ le-s. Iam conuerſis ad fidem Chriſti ordinauit bapti-na. Relapſis à baptiſmate prouidit de ſacramento enitentiæ, quod præter contritionem complecti-r confeſſionem, & ſatisfactionem vt partim ex di-is liquet, & ex dicēdis infrà manifeſtiùs fiet. Quem-lmodum in veteri lege pro diuerſitate peccatorum perſonarum erant ordinata ſacrificia, quæ adiun-a oratione ſacerdotis valebant pœnitentibus ad re-iſſionem peccatorum, quanquàm aliter quàm ſacra enta nouæ legis, quæ vt numero ſunt pauciora: ita obſeruatione faciliora & virtute præſtantiora. Do-r alius quantumuis intenſus in relapſo etiam pro-ter Dei offenſam ſuſceptus, & nō habeat adiunctum oc propoſitum ſaltem virtualiter non eſt vera Con-itio, nec pars ſacramenti pœnitentiæ, imò hic dolor untaxat ratione huius propoſiti eſt pars ſacramenti œnitētiæ, cùm hoc propoſito ſecluſo ſit, aut eſſe poſ-t res omnino interior & inſenſibilis, nec ſecūdum ſe, eque ſecundum ſuam cauſam, effectumque ſenſibi-s, cùm tamen oporteat, vt ſacramentum ipſum, ita e-is partes eſſe aliquo modo ſenſibiles. Altera pars ar-culi continet reprobationem ſententiæ aduerſario-im, qua docent contritionem eſſe terrores conſcien æ propter apprehenſum gehennæ ſupplicium pec-atis debitum. Cuius ſententiæ falſitas ex ijs quæ im nediatè præmiſimus, liquet. Talis enim terror triſtitiā gignit ſecundum ſeculum, nō autem ſecundū Deum

Sacramenta nouæ legis ſūt virtute efficaciora, numero pauciora ſacramentis veteris legis.

quæ ſolam pœnitētiam in ſalutem ſtabilem operatur. Nec aliam addunt dicti ſui rationem, quàm quod argumentatione quadam ſophiſtica conantur demonſtrare Deum ante remiſſionem peccatorum non poſſe amari, eò quòd lex peccatorum noſtrorum & diuinæ offenſæ conſcientia quoad conſecuti ſumus remiſſionem, Deum nobis veluti iratum, terribilem vindicem & iudicem ingerant, eum autem hoc modo apprehenſum fieri non poſſe, vt amemus. Verùm manifeſtè falſum eſt, in primis quod aſſumitur, neque enim eatenus perterrefacit nos lex, & Deum vt terribilem nobis ingerit, ſed etiam cōmendata ac propoſita nobis infinita eius bonitate & miſericordia omnibus obuia ad ſe confugientibus, & eam expetentibus ad certā ſpem impetrandam ab eodem veniæ, remiſſionis peccatorum & gratiæ nos prouocat, erigit, & conſeruat, vt timor à peccatis nos reuocet, & cohibeat, & ſpes ad miſericordiſſimum reducat. Quid igitur prohibet, quo minùs illum poſſimus diligere, quem omnis nobis boni authorem certò credimus, à quo nos conditos, cùm nihil eſſemus, vt ſuæ beatitudinis in ęternum participes & conſortes faceret, quem etiam poſt erga ſe de his omnibus ingratiſsimam & omni damnatione meritò complectendam ingratitudinem, inobediētiam, contumaciā intelligimus: nihilominus credimus nos adhuc ad pœnitentiam reuocari, reuocare ad ſe, præbere adiutricem manum, quò nos è lacu miſerię, è luto fæcis, in quod nos ipſos demerſimus, ſubleuet, reſtituat, confirmet, & adiuuet, quò ad ſe reuerti valeamus, obuiam gratiam reuertentibus offerre, atque ea gratia miſiſſe ad nos filium ſuum, atque eundem dediſſe pro nobis, atque adeò dediſſe nobis, atque hunc

Error aduerſariorum.

ta.

talem ita à nobis appreheſum in hoc ipſo actu, in hoc ipſo ad illum reditu, quamuis peccatis noſtris adhuc onerato, offenſum nos diligere impoſſibile eſt? ab hoc refugere, atque hunc odiſſe eſt neceſſarium? Sunt hæc impia impiorum hominum commenta, & mendacia, quibus miſeris peccatoribus perſuadent nihil ad ſalutem conari, ſed in peccatorũ ſuorum ſtrato quieſcere molliter, atque expectare donec Deo placeat, niſi eos gratis nihil agentibus, nihil conantibus nobis, eripere, quando ante impertitam nobis ab illo iuſtificationis gratiam, etiam quicquid fecerimus: non ſolùm non poſſumus ad Deum appropinquare, ſed magis recedere, magis elongãtes nos ab eo atq; refugientes.

ARTICVLVS QVINTVS.

Confeſsio.

Confeſſurus diligentiam legitimam adhibere debet, quò ſacerdoti iudici ſuo omnia ſua peccata mortalia etiam occulta cordis manifeſtet, vt ab eis per eum abſoluatur, cuius abſolutionis miniſter eſt ſolus ſacerdos ſecundum eccleſiæ ritum conſecratus.

Prouer. xxviij. Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur, qui autem confeſſus fuerit, & requirit ea, miſericordiã conſequetur. Iuſtus prior accuſator eſt ſui. Prouerb. xviij.

IMPRIMIS aduertendum eſt circa declarationem huius articuli multiplicem eſſe Confeſſionem. Quædam enim eſt, quæ fit Deo ſoli, cuius ſcripturæ frequentiſſimè meminerunt. Alia eſt, quæ fit homini, & hæc rurſus varia eſt. Quædam enim fit homini, quem *læſimus*, pro obtinenda reconciliatione cum ipſo, & remiſſione offenſæ in ipſum. Alia fit homini de peccatis in alium admiſſis,

pro conſilio aut reconciliatione habenda: verùm de his Confeſſionum generibus non loquitur articulus. Sunt enim hæ confeſſiones etiam iuris naturæ ſaltem reformatæ per gratiam: dictat enim lumen rationis præſertim adiutum cognitione immediatorum principiorum fidei de Dei prouidentia & incarnationis myſterijs, pro aſſequenda indulgentia neceſſarium eſſe agnoſcere culpam coram Deo, ſicut & ſupplicare pro venia, nec ſolùm culpam in genere, ſed etiam in ſpecie & numero, vt tantò ſit grauior dolor, & tantò humilior & feruentior deprecatio pro venia, quantò eſt maior & crebrior culpa. De hac Chryſoſt. homi.xlij.ſuper Matth.ait. Tu ipſe tibi ſis iudex, referas tibijpſi rationes viuendi, Audi Paulum dicentem, quoniam ſi noſipſos iudicauerimus, non vtique iudicaremur. Si id faceres, ordine paulatim progrediens ad coronam poſteà peruenies. Et quonam modo (inquis) mihi viuendi rationes referam? Largos lachrymarum effunde fluuios, ingentes cōpunctionis gemitus redde, humillimus ſis, laboribus ac vigilijs te ipſum afflige, peccata tua per ſingulas ſpecies recole. Nō paruus eſt hic cruciatus animæ, nec quātus ſit, ab alio cognoſcitur, niſi ab eo, qui cōpunctus eſt, nec eſt neſcius dolor quātus ex pecatorum memoria naſcatur. Quas ob res iuſtitiā Deus huic pœnitentię prępoſuit dicens. Dic tu priùs peccata tua, vt iuſtificeris. Non eſt profecto inſufficiens ad emendandum via, ſi cùm omnia ad emendandum ſecundum ſpeciem in vnum peccata collegeris, aſſiduè omnino ipſa verſus, ac de ipſis continuò mediteris, & cogites: nam qui hoc faciet, his adeò compungetur, vt neque hac vita ſeipſum diguum

Chryſoſto. de ea cōfeſſ. quæ fit ſoli Deo.

gnum exiſtimet. Item libr.ſecundo de cordis compunctione circa finem. Oportet nos non ſolùm ſcire exomologeſin,& confiteri,quia multa in nobis delicta ſunt: verùm vnumquodque peccatum, & magis & minùs, quaſi in libro, ita & in corde noſtro habere deſcriptum, idque frequentiùs recenſere atque ante oculos ponere, & hæc tanquam nuper admiſſa lugere: ita enim & animi arrogantiam frangeremus, frequentiùs eam de malis eius ac vitijs commonentes, & cautela nobis ne in eadem delicta vltrà incideremus acrior naſceretur. Tantum enim confert hominem frequentiùs meminiſſe peccati ſui, vt etiam videamus Paulum Apoſtolum, ea quæ iam abolita fuerant, adducere in medium:& cùm culpam de præſentibus non haberet, quoniam recordationes peccatorum & luctum gemitumque ſciebat animæ prodeſſe: etiam illa commemorat, quæ per ignorantiam commiſſa gratia baptiſmi & confeſſio aboleuerat. Sic denique dicit. Quia Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere,quorum primus ego ſum. & iterum. Et fidelem me exiſtimauit ponens in miniſterium, qui prius fui blaſphemus & perſecutor,contumelioſus ſupra modum, perſequens eccleſiam Dei &c. Iſtud & probè cognitum habens vt neceſſarium,ita & Deo gratiſſimum dicebat Ezechias rex. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudinem animæ meæ. Et ſanctiſſimus ille Iob cupiebat ſibi oſtendi multitudinem iniquitatum, ſcelerum & delictorum ſuorum, cùm diceret. Reſponde mihi, quantas &c. Nec ſolùm nondum remiſſorum peccatorum, ſed etiam iam diu remiſſorum

congruit habere crebram, imò continuam memoriam. Hinc dicebat Dauid: Iniquitatem meam cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper. Reliquas item confeſſionis ſpecies, quæ fiunt homini enumeratas manifeſtiores ipſa experientia facit quàm vt probari debeant. Articulus verò loquitur de confeſſione Euangelica, & quæ Euangelio eſt propria, quam nec lex naturæ, nec lex Moſaica præſcribit, ſed ſola lex Euangelica. Eea autem eſt, quæ fit homini ſacerdoti de omnibus peccatis mortalibus memoriæ occurrentibus, poſt diligentem diſcuſſionem ad obtinendam de eis abſolutionem. Hanc igitur facturus adhibere debet legitimam diligentiam, quæ omnia ſua peccata mortalia etiam occulta cordis ſacerdoti iudici ſuo manifeſtet. Legitima autem diligentia eſt in quaque re, quam dignitas, vtilitas & neceſſitas rei requirit, circa quam eſſe debet. Hîc autem agitur de ſalute non rerum externarum, aut etiam ipſius corporis, ſed animæ atque totius hominis, non corporali aut temporali, ſed ſpirituali & æterna: quæ quanti ſit ponderāda, nemini poteſt eſſe ignotum. Pro dignitate autem rei adhibita diligentia ſufficiens cauſetur, quare non mediocris hac in re debet eſſe ſolicitudo, vbi de tanta re agitur, qua maior eſſe non poteſt. Certè eò ſe protendere debet noſtra in hac re diligentia: vt veriſimiliter putentur omnia in cognitionem veniſſe, vel ſimpliciter, vel ſaltem omnia quæcunque recoli poſſunt, etiam maiore diligentia, indagatione atque diſcuſſione conſcientiæ adhibitis. Facit autem articulus mentionem mortalium: nam venialia nō ſunt de neceſſitate confeſſionis, quanquam valde expediens ſit ea in genere ſaltem confiteri, eò quòd ad ea in hunc

De confeſſ. Euangel. prout eſt pars ſacramenti pœnitentiæ.

Legitima diligentia quæ.

modum

odum confeſſa poteſtas clauium non ſecus ſe ex-
ıdat quàm ad mortalia in ſpecie & numero con-
ſa . Exprimitur etiam in articulo miniſter confeſ-
nis, nempe ſacerdos, qui ſit iudex pœnitentis, co-
n quo peccator reus ſeipſum accuſare debet, ad-
rſus ſeipſum proferendo teſtimonia ea humalitate
ſimplicitate, quibus poſſit indulgentiam mereri.
oſtremò finis confeſſionis adijcitur, non conſilium,
t conciliatio ſed abſolutio ſacerdotis.

Quod ad præcipuum punctum huius articuli
tinet, aduertendum eſt hoc modo deduci neceſſi-
tem confeſſionis, quæ complectitur enumera-
onem omnium peccatorum. Sacramentum pœ-
itentiæ à Chriſto inſtitutum neceſſarium eſt re-
pſo poſt baptiſma ad ſalutem: vt ex præmiſſis pa-
et, ergo & confeſſio. Probatur conſequentia, quia
ıcramentum pœnitentiæ conſiſtit. circa confeſſio-
ıem. In cuius quidem propoſitionis probatione,
unctus eſt difficultatis, id autem in hunc modum
robatur. Quia ſacramentum pœnitentiæ eſt iudi-
iale, quod euidenter monſtratur ex ipſis domini ver-
bis, quibus ipſe contulit poteſtatem apoſtolis circa
cauſam peccatorum. Ligare nanque & ſoluere, reti-
nere & remittere peccata maximè in alium admiſſa,
ctus ſunt iudiciales: hoc autem eſt de natura iudi-
cij, vt non proferatur pro aliquo aut contra, niſi ha-
bita cauſæ cognitione, alioquin enim ſtultum & te-
merarium erit iudicium, citra cognitionem cauſæ
pronunciatum. Debet igitur ſacerdos priùs quàm
pronunciet iudicium in cauſa peccatoris habere pec-
catorum cognitionem: eam autem non poteſt ha-
bere niſi peccator ipſe manifeſtet: quare neceſſarium

Neceſſitas cō feſſionis monſtratur.

eſt, vt per peccatorem ipſi manifeſtentur, & quia non poteſt remitti nec retineri vnum peccatum ſine alio, impium nanque eſt à Deo dimidiam ſperare veniam: ideo neceſſe eſt, vt de omnibus ſimul fiat confeſſio. nam de prætermiſſo cùm iudicare non poteſt ſacerdos, ſic etiam non poteſt de illo abſoluere. Hæc eſt Euangelicæ lucis certa, & aperta veritas, quam clariſſimis verbis nos Chriſtus docuit. Quorum (inquiens) remiſeritis peccata, remiſſa ſunt, & quorũ retinueritis, retenta ſunt. Vbi cùm quorundam peccata retinere, quorundam remittere concedat poteſtatem, neceſſarium eſt, vt non arbitrio ſuo ſacerdos aut remittat, aut retineat, ſine diſcriminis iudicio iuxta peccatoris habitum & pœnitentiæ modum, agat cum peccatore, vel retinendo, vel remittendo: id quod facere non poteſt, niſi peccator pœnitens ſe ei detegat, & vniuerſum cordis ſui habitum ei aperiat, quò intelligere poſſit remittere in ea, an velit veræ contritionis calore non ſatis decocta retinere, vt quicquid in alterutram partem fecerit, cum iudicio faciat, cui pœnitentes ſimpliciter ſe ſubmittere debeant, amplexariq́ue & ſequi quæcunque media ac remedia ſalutaria aduerſus ſibi detecta peccata proponit. Hanc ſententiam comprobat certa illa orthodoxæ veritatis amuſſis, Catholicæ per orbem eccleſiæ ab ipſo ſui initio conſenſus patrumq́ue omnium eccleſiaſticorum concors traditio. Dion. Areopagita in Epiſtol. ad Demophylum, quem grauiter obiurgat, quòd indignè ferret pœnitentem procumbere ad pedes ſacerdotis facturus coram eo conſcientiæ ſuæ exomologeſin.

Diony. Areopa.

Cyprianus. Dominus Cypianus in ſer. de lapſo loquens, de ijs

tant

ntum qui corde lapſi ſunt. Hi(iniquit) quamuis ſa-
ificij aut libelli facinore conſtricti ſunt, quoniam
men de hoc vel cogitauerunt, hoc ipſum apud ſa-
rdotes Dei dolenter confiteantur, exomologeſin
onſcientiæ ſuæ faciant, animi ſui pondus exponant,
edicinam ſalutarem paruis licet & modicis vulne-
bus exquirant. & Paulò pòſt. Confiteantur ſinguli
quæſo vos fratres) delictum ſuum, dum adhuc qui
eliquit, in ſæculo eſt, dum admitti eius confeſſio po-
ſt, dum ſatisfactio & remiſſio per ſacerdotem apud
Deum grata eſt. Ante hūc & Origenes ille, audi qua- Origenes.
teſtimonium prohibeat confeſſioni illi eccleſiaſti-
æ, qualis vſque hodie apud nos perdurat, qui in Pſal.
xxvij. hæc verba habet. Vide (inquit) quid edocet
riptura diuina, quia oportet peccatum non celare
trinſecus: fortaſſis enim ſicut hi qui habent intus
nclußam eſcam indigeſtam, aut phlegmatis humo-
em ſtamacho grauiter & moleſtè innitentem, ſi vo-
uerit, releuatur: ita etiam qui peccauerunt, ſiqui-
em retinent & occultant intra ſe peccata, intrinſe-
us vrgentur, & propemodùm ſuffocantur à phle-
mate peccati, aut humore. Si autem peccator ipſe
ui accuſator fiat, dum accuſat ſeipſum, peccatum
onfitens ſimul euomit delictum, & omnem mor-
bi cauſam digerit. Tantummodo circunſpice dili-
gentiùs cui debeas confiteri peccatum tuum, pro-
ba priùs medicum, cui debeas cauſam languoris
exponere, qui ſciat infirmari cum infirmante, qui
condolendi compatiendique diſciplinam nouerit, vt
ita demum ſicut ille dixerit, conſiliúmque dederit, fa-

cias:& ſequaris. Et ſcilicet, Paulinus inſignis doctor contemporaneus Auguſtini ſcripſit, vt S. Ambroſius conſueuerit ſedere ad audiendum confeſſiones ſuorum ſubditorum. Omittimus autem Auguſtini, Ambroſij, Hieronymi, Chryſoſtomi, Leonis, & reliquorum apertiſſimas ſuper hac re referre ſententias, quorum omnes concorditer idipſum tradunt. Non poſſumus tamen præterire Domini Hieronymi verba, vt quæ deductioni factæ priùs, quàm tam varijs modis conantur infringere aduerſarij, ad amuſſim quadrant. Is igitur in cap. xvj. Matth. circa illud, & tibi dabo claues regni cœlorum, ſic habet. Ligat vel ſoluit Epiſcopus, vel preſbyter, non eos qui inſontes ſunt, ſed qui noxij ſunt, ſciunt pro officio cùm peccatorum audierint varietates, qui ligandi ſunt, qui ſoluendi. Hinc idem Hieronymus in cap. xviij. Eccleſiaſtes. Si quem (inquit) ſerpens diabolus occultè momorderit, & (nullo) eum (conſcio) peccati veneno infecerit: ſique tacuerit qui læſus eſt, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus ſuum fratri ſuo & magiſtro voluerit confiteri, magiſter ei prodeſſe non poterit. Si enim erubeſcit ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat, medicina non curat. D. Auguſtini aperta eſt ſententia, tum plurimis locis, tum maximè lib. ij. de viſitatione infirmorum cap. iiij. Sunt (inquit) quidam, qui ſufficere ſibi exiſtimant, ſi ſoli Deo, cui nihil occultum eſt; ſua omnia confiteantur: nolunt enim, aut erubeſcunt, ceu dedignantur oſtendere ſe ſacerdotibus, quos tamen inter lepram diſcernere per legiſlatorem conſtituit Dominus. Sed volo vt decipiaris opinione, quatenus confitearis Chriſti vicario

Paulinus. *Hieron. ſuper Matth.* *Auguſtinus.*

rio: nam ipſius eſt humiliter ſubeundum iudicium, quem dominus nō dedignatur ſuum habere vicariū. Ergo ad te roges venire ſacerdotem,& fac ipſum con ſcientiarum tuarum penitus participem. Erroneam autem eſſe opinionem contrariam etiam argumentis pergens ſubdit. Hoc debet teſtari ſanam doctrinam, quòd egeamus ſacerdotis(qui inter Deum & nos mediator ſit)ſalubri iudicio. Alioquin(inquit)& ſub lege, & ſub gratia ite,& oſtendite vos ſacerdotibus. Rurſus diuinum quomodo conſumaretur præceptum? Confitemini alterutrum paccata?& alio loco:ergo ſine cau ſa dictum eſt. Quæ ſolueritis in terra,ſoluta erunt in cœlo: ergo datæ ſunt ſine cauſa claues eccleſiæ Dei? Fruſtramus Euangelium Dei, fruſtramus verba Dei, Chriſti,promittimus nobis,quod ille negat,nōne noſ ipſos decipimus? Similem quoque ſententiam habet ſerm.iij.ad fra.in heremo. Rurſus de vera pœnitentia cap.xj.Chryſo. cōcors ſentētia eſt Home.iij. in Matt. Cyril. quoque lib.iij.ſuper Leuit.eidem ſuffragatur. Itē D.Ambroſ.lib.ij.de pœnitentia. Rurſus Baſil. mag.in regula de iuſt.monachorū.c.xcviij. Quorum omnia dicta ſi in vnum conferantur, non dubitabis eundem qui inuicem ritum confeſſionis peccatorum auricula riæ ab ipſis ad nos vſque apoſtolorum temporibus vſitatum fuiſſe,in eccleſia,& ex Chriſti inſtitutione traxiſſe originem,quā in obtinenda peccatorum noſtrorum remiſſione ſacerdotum ſuorum nos ſubiecit iudicio & miniſterio,quo illi erga nos non poſſint fungi niſi confeſsione pœnitentia. Horum nanq; omniū patrum conſenſus communęq; eccleſię Catholicę(cuius fuerunt velut columnæ quædam & mēbra præcipua) nobis ſententiam certò indicat. His inſuper accedit de.

Chryſoſtomus.
Cyrillus.
Ambroſius.
Baſilius

finitio plurium conciliorum Lateranen. Toletani, in quo canon ille conditus eſt. Omnis vtriuſque ſexus,& nouiſsimi concilij Florentini:& in c.ad abolendum,ex concilio Later. anathematizat eũ, qui aliter de confeſſione ſentit,quàm ſancta Roma.eccleſia.Quid autem illa ſenſerit,antiqua & continua eius obſeruatio teſtatur.

Miniſter confeſſionis.

Secunda principalis pars articuli habet de miniſtro confeſsionis,quòd ſit ſolus ſacerdos ſecundum eccleſię ritum conſecratus, quam poſteriorem particulã additã aduerte propter Lutheranos, qui omnes Chriſtianos ſacerdotes eſſe docent, hancque tum ligandi, tum ſoluendi poteſtatem omnes habere chriſtianos,

Error Lutheranorum.

quamuis tametſi huius poteſtatis exercitium dũtaxat penes eos ſit,qui populi electione, vel ex magiſtratus commiſsione,id oneris ſuſceperũt.Ritum autem quo vtitur eccleſia in ordinandis ſacerdotib. irrident, ceu figmentum & commentum hominum eſſe impudenti voce obganniunt. Habet autem hic eccleſiæ ritus,

Hieronymus.

De ordine ſacerdotali adminiſtrando.

primum quod non ordinetur quiſquã niſi ab epiſcopo:vnde D.Hier.in epiſt.ad Luciferianos argumentatur ipſos non habere verum ſacerdotem niſi laicum, quale conſequitur baptiſma inſeparabiliter, eò quòd putabant habere ſacerdotes ab Hylario ordinatos, cùm ipſe Hylarius non eſſet epiſcopus ſed duntaxat Diaconus. Hoc ipſum & nunc maiori iure poſſumus obijcere Lutheranis, cùm ne Diaconi quidem ſint, ſed merè laici,& communis plebs,ſiue magiſtratus ex plebis commiſsione ordinans ſacerdotes. At iuxta doctrinam eccleſiæ ſolus epiſcopus ordinis ſacramẽtum adminiſtrat, vtens in ipſa adminiſtratione pro forma ſancti iiſdem ipſis verbis,quibus dominus hanc remittendi & retinendi poteſtatem contulit Apoſtolis.Acci-

cipite ſpiritum ſanctum: quorum remiſeritis &c. Alia quàmplurima velut capitis raſura, vnctio digitorum, & eiuſmodi quæ ad ſolennitatem pertinent, non ſunt de neceſſitate ſacraméti: quemadmodum exorciſmus & cathechiſmus, quæ baptiſmo præmittuntur non ſunt de ſubſtantia baptiſmi. D. Auguſtin. libr. ij. contra epiſt. Parme. c. xiij. de ordine loquens dicit, ſacramentum eſſe, vt & baptiſmus, & quadã conſecratione dari, ſicut & baptiſmus: atque ob id nõ poſſe iterari, atq; per eundem tradi ius baptizãdi, per quem traditur ius remittendi & retinendi peccata. Quòd ſi, vt docent aduerſarij, omnis Chriſtianus habeat hãc poteſtatem, quomodo non habuerunt eam apoſtoli, priuſquàm Chriſtus hæc verba ad eos diceret, cùm tamen Chriſtiani eſſent baptizati? Quòd ſi eam habuerint, quomodo Chriſtus eam tradit illis? quomodo ipſi eam accipiũt, vt quid cum tanta ſolẽnitate, præmiſſa inſufflatione, item ſpiritusſancti donatione, eos ſpecialiter hoc donans munere, quod erat omnib. fidelibus commune, & quòd ipſi iamdudum acceperant? At dices fortaſſe, non tam ipſis, quàm toti eccleſiæ in ipſis donatam hanc poteſtatem, quemadmodum de clauibus regni cœlorum, Petro pluribus locis videtur Aug. ſentire. Reſpondetur hoc commẽtum aduerſari omnium ſanctorum patrum interpretationi: & ad Auguſt. dicta dicendum claues datas eſſe eccleſiæ in Petro, tum quia non ſoli perſonæ ipſius Petri datæ ſunt, alioquin Petro defuncto eſſe deſijſſent in eccleſia, ſed omnibus eius ſucceſſoribus in eccleſiæ vtilitatem conceſſę ſunt tam Petro quàm omnibus eius legitimis ſucceſſoribus non in propriam ipſorum vtilitatem duntaxat, quemadmodum ſacerdotium datum erat & regnum popu

Auguſtinus.

Omnes ſacerdotes Chriſtiani, non è diuerſo.

Inſtantia.

Claues traditæ ſunt eccleſiæ in Petro.

lo Iſraël,ita vt appellaretur regale ſacerdotium & regnum ſacerdotale. Inde tamen non conſequitur quemlibet è populo fuiſſe Regem aut ſacerdotem, ſed duntaxat ex vnica tribu Leui & familia Aaron ſacerdotes erant: quod & dominus grauiſsima illa & horribili plaga qua puniuit Coredathan & Abijron, ac complices eius volentes ſibi vendicare ſacerdotale munus, euidenter oſtenditur. Atque de *Conci. Auin.* hac re ſunt diuerſa cóncilia patrum. Primum eſt con- *Hieronym. de Praga.* cilium Auinion. per Ioannem xxij. aduerſus errorem Vvaldenſium,quem ſuſcitauerat Hieronymus de Praga,quo ſuſtinent omnem hominem chriſtianum poteſtatem habere ligandi & ſoluendi peccata:qui idem error condemnatus eſt in conci. Conſtantien. per Mar- *Conci. Flor.* tinum ſecundum. Demun in concilio Florentino definiuit eiſdem ferè verbis quæ articulus cõplectitur, ſcilicet miniſtrum ſacramenti pœnitentiæ eſſe ſolum ſacerdotem habentem poteſtatem ordinariam, vel ſibi à ſuperiore commiſſam. Quæ vltima clauſula illi definitioni adiuncta ſopiuit controuerſiam,quę ante illud tempus erat inter Scholaſticos,Doctores, de iuriſdictione,an illa neceſſaria eſſet ad poteſtatem clauium, & eius vſum, ita quòd attentans vti clauibus ſuper pœnitente non ſibi ſubiecto nihil faceret, quibuſdam hanc,alijs aliam defenſantibus. Durandus nanque & Palude partem negatiuam aſtruebant: aliorum plærique oppoſitam partem tuebantur,quæ videtur verbis prętacti concilij definita,tanquam quę ſola veritatem haberet. Inter ipſos tamen(ne quiſquam hęc perperam intelligat)non vertebatur in dubiũ, an liceret cuiquã ſacerdoti confiteri,qui nõ haberet ſuper ſe iuriſdictionem,ſiue ordinario iure,ſiue ex commiſsione. Hoc enim

ı palàm aduerſatur concilio decreti Toletani, in
mnis vtriuſque ſexus. Neque hoc vertebatur in du
m, an abſolueretur qui ſcienter alienum accede-
ſacerdotem: nam hic ponit obicem abſolutioni, per
euaricationem præcepti eccleſiaſtici. Sed hæc erat
æſtio. An qui bona fide accederet ſacerdotem non
m, ignorans id eſſe illicitum, ignorantia excuſante
eccato maximè mortali abſolutionis perciperet fru
m. Ad quam quæſtionē videtur ex verbis illis Flo-
ıt. conci. manifeſta reſpōſio negatiua, quoniam mi-
trum huius ſacramenti ſolum eſſe aſſerit ſacerdotē
bentem poteſtatem ordinariam ſibi commiſſam: &
c videtur conformis ſcripturæ. Dominus nanque
iùs quàm daret hanc poteſtatē, miſit apoſtolos ſuos:
detur igitur miſſio per quam datur iuriſdictio præ-
dere, vt ratus ſit vſus poteſtatis ordinis D. Ambroſ.
r. j. de pœnitentia cap. ij. vt ſuperiùs adduximus, ius
gandi atque ſoluendi aſſerit ſolis ſacerdotibus conceſ
m eſſe. Cum Ambro. idē concorditer docent omnes
cleſiaſtici ſcriptores. Dicit quoque gloſſa ordinaria
latt. xvj. Datæ ſunt claues eccleſiæ epiſcopis & præ-
yteris: nam & vet. leg. ſacerdotes ſoli iudicabant in-
r lepram & non lepram, in cuius ſignum dominus
proſos mundandos ad ſolos ſacerdotes mittit, & La-
arum ſuſcitatum dominus ſolui iuſſit per apoſtolos.
olis enim ſacerdotibus hanc poteſtatem dedit. Dixit
nim. Sicut miſit me pater, & ego mitto vos. Hęc cùm
ixiſſet, inſufflauit & dixit. Accipite ſpiritum ſanctum
uorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quo-
um retinueritis, retenta ſunt. Hoc ipſum habet Amb.
& recitatur de pœnitentia dominic. j. Verbum Dei.
Nunc paucis conſueta methodo aduerſariorum ſen-

Quod cōfitēs ſacerdoti nō habenti poteſtatem ſuper eum, non percipiat abſolutionis beneficiū, licet etiā ignoraret.

Ambroſius.

Dogma Neo-Chriſtianorum. tentiam recolemus. Cùm abſolutio (inquiunt) petenda eſt, miniſtri adeundi ſunt, ad oſtendendum nos cognoſcere iram Dei, aduerſus peccata noſtra, & petere vt vocem euangelij nobis annuncient, & deinceps nos facturos fructus pœnitentiæ. Doctrinam hanc dicunt contineri Mat. iij. & Luc. xvij. Forma autem abſolutionis iuxta ipſos eſt. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua: hæc eſt tota ipſorum de ſacramento pœnitentiæ ſententia, quam ex dictis refellere cuique facile fuerit.

Arg. Hæreticorum. Reſtat vt proponamus aliquot argumenta ipſorum aduerſus catholicam eccleſiæ doctrinam, quam ſuperiùs explicuimus. Primùm obijciunt ſacerdotes ab oblitis peccatis abſoluere: quare non videtur requiri neceſſariò ad abſolutionem pœnitentium peccatorum confeſſionem. Ad hoc reſpondemus concedétes quòd aſſumitur ſacerdotem abſoluere à peccatis oblitis, ſicut & ab ijs quę ob defectum loquelæ non poteſt pœnitens manifeſtare peccatori, dummodo ſigna pœnitentiæ & doloris demonſtret, id quod tam vſus eccleſiæ quàm ſcripturarum authoritas palàm docent, imò ſi actu nullum demonſtret contritionis iudicium, putà in morbum aliquem lapſus, per quem ablatus eſt vſus rationis, ſi tamen antè propoſitum habuerit ſuſcipiendi ſacramenti, aut talis cognoſcitur, qui ipſum ſuſcepiſſet, ſi eiuſmodi ſecuturum infortunium præſciuiſſet, non negandum eſt abſolutionis beneficium, quemadmodum in ſimili caſu de *Auguſtinus.* baptiſmo adminiſtrando docet Auguſtinus capi. xxvij. j. libr. de adulterinis coniugijs, Cathecuminis, inquit, in huius vitæ vltimo conſtitutis &c. & capitul

o vltimo eiuſdem li.dicit. Quæ baptiſmatis eadem
econciliationis eſt cauſa &c. Hæc igitur non con
nti,imò etiam non pœnitenti actu , dum tamen
c caſus neceſſitatis, ſed non contemptus excludit
gionis,impendenda eſt abſolutio, dummodo priùs
nitentem , aut certè non impœnitentem fuiſſe
ſtiterit: quod etiam præſumendum eſt,quando-
ique non conſtat de oppoſito, veluti cùm quis
ritur in plena ebrietate: item dum ſubito mori-
ex vulnere accepto ab eo, quem iniuſtè inuaſit,
quod ſibijpſi per deſperationem inflixit. Quod
ta res habeat, conſtat etiam & ab oblitis abſoluen-
m eſſe pœnitentem: quoniam quæ memoriæ poſt
igentem examinationem conſcientiæ non occur-
nt, impoſſibile eſt confiteri. Verùm dubitatur
er catholicos doctores, nempe, num hæc ab-
utio peccatorum oblitorum & non expreſſorum Dubium.
confeſſione ſit ſacramentalis an non. Dubium Gerſon.
rſon permotus hoc argumento, quod faciunt
uerſarij, cenſet pœnitentem non abſolui ab obli-
ſacramentaliter, quoniam ſacramentalis cùm
n niſi ex præuio iudicio fieri debeat, cognitionem
uſæ neceſſariò prærequirit,verùm per concomitan-
m: quia non poteſt quiſquam ab aliquibus pecca-
abſolui, quin ſimul abſoluatur ab omnibus: ne-
e enim fieri poteſt vt hoſtiliter Deus maneat of-
nſus ei cum quo redit in gratiam, quem ſibi ami-
m conſtituit, quemque adoptat in filium. At pec-
tis confeſſis ſuper quæ cadit directè ſacramentalis
ſolutio ex ui ſacramenti, cùm nullum præ-
t ſacramento impedimentum, abſoluitur: ergo &

ab oblitis,quæ citra ſuã culpam memoriæ non obue nerunt,ſiue dũ confiteretur:ſiue antè in ipſa præparatione ad eam. Iuxta huius & ſequacium ſententiam facile eſt reſpondere ad argumentum aduerſariorum. Verùm altera ſententia videtur multò probabilior, & Auguſti.pręinductæ ſententię multò conformior, rationibus quoque quę ex his ſcripturis deduci poſſunt, iuxta quas nihil poteſt homini decidere ex inculpabili abſentia externi operis, dum adeſt efficax deſyderium id faciendi vel recipiendi, ſi poteſtas adeſſet. Fatetur Auguſt. eandem recõciliationis atque baptiſmi cauſam eſſe: conſtat autem verè & ſacramẽtaliter eos baptizari,de quibus ſententia Aug.prænducta loquitur:Hinc & ſanctiſſ.Leo Papa in epiſt.xcj. His(inquit) qui in tempore neceſſitatis, & in periculi vrgentis inſtantia præſidium pœnitentiæ & reconciliationis implorant,nec ſatisfactio interdicenda,nec reconciliatio deneganda, quia miſericordiæ Dei nec menſuras poſſumus ponere,nec tempora definire, apud quem nullas patitur venire moras conuerſio,dicente ſpiritu Dei per Prophetam. Cùm conuerſus ingemuerit, tunc ſaluus erit,& alibi.Dic tu iniquitates tuas, vt iuſtificeris. Et iterum.Quia apud dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio.In diſpenſandis itaque Dei donis non debemus eſſe difficiles,nec accuſantium ſe lachrymas gemituſq; negligere, ac ſi ipſam pœnitẽtiã ex Dei miſericordia credamus conceptam,dicẽte Apoſtolo.Ne fortè illis Deus dederit pœnitentiam vt reſipiſcant à Diaboli laqueis,à quo tenentur captiui ad illius voluntatem.Vnde oportet vnumquemque Chriſtianum conſcientiæ ſuæ habere iudicium , nec conuerti ad Deum de die in diem , nec ſatisfactionis ſibi

Leo Papa.

Nota.

tempus in fine vitæ ſuæ conſtituat, quem periculosè ignorantia humana concludit, vt ad paucarum horarum ſpatium ſeſe reſeruet incertum, & cùm poſſit pleniori ſatisfactione indulgentiam promereri, illius temporis anguſtias eligit, in quo vix inueniat ſpatium vel confeſſio pœnitentis, vel conciliatio ſacerdotis. Deinde ſequuntur quæ conducunt propoſito: verùm (vt dixi) etiam talium neceſſitati auxiliandum eſt: vt nec actio illis pœnitentiæ, nec communionis gratia denegetur, ſi etiam vocis amiſſo officio per indicium integri ſenſus quærere comprobentur. Quòd ſi aliqua ægritudine ita fuerint aggrauati: vt quod paulò antè poſcebant, ſub pœnitentia ſacerdotis ſignificare non valeant, teſtimonia eis fidelium circunſtantium prodeſſe debebunt, vt ſimul & pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium conſequantur. Vide plura eodem ſpectantia teſtimonia xxvj.iiij.vj. Certè non parum refert, vtro horum modorum contingat abſolutio: certum eſt enim eam multò pleniorem eſſe, ſi directè fit ex vi ſacramentalis abſolutionis, quàm ſi ſolùm per concomitantiam talem, qualem illi intelligũt. Nam ſi concomitantiam talem intelligerent, qualis dum dicimus in ſacramento corporis Chriſti per concomitantiam fieri: vt ſit ſimul ibi ſanguis & anima Chriſti, probabilior eorum foret ſententia: ad quem modum etiam intelligendum eſt, quod dicit Auguſtinus, Sacramentum illud dominici corporis viuificare, & non ſolùm nutrire viuum, quia augendo feruorem ex pœnitentia imperfecta, & inſufficienti facit perfectum & ſufficientem ad quandam remiſſionem peccatorum & charitatem, quæ eſt animæ vitæ. Simili ſenſu etiam ſacramento extremæ vnctionis po-

teſt attribui viuificatio, cùm ex ſe non ordinatur niſi ad remiſſionem venialium,& reliquorum iam remiſſorum mortalium, per pœnitentiam & pœnitentiæ ſacramentum. Suppoſita igitur hac poſteriori ſententia, quam veriorem arbitramur, argumentum nonnullam habet apparentiam,attamen non difficile erit ipſum diluere. Pro quo aduertendum iudicium abſolutionis eſſe iudicium gratiæ & miſericordiæ, iudicium primum in quo directè agitur ad reconciliãdum filium patri offenſo,cuius arbitrio & iudicio ipſe humiliter ſe ſubijcit: ideo in eo potiſſimũ pater filij ſui animum reſpicit, quem etiam paratiſſimum pater videt ad faciendum ea quæ poteſt,& pro facto habet,à quo faciendo per impoſſibilitatem impeditur. Et cùm miniſter debeat ſe conformare voluntati domini ſui, ipſe ſimiliter ex eadem rationabili cauſa debet eſſe contentus cum reo, & voluntatẽ ac animum promptum pro facto exiſtimare, ac abſolutionis ſententiam,niſi aliud obſit, pronunciare, per quam ipſe non à confeſſis tantum, ſed etiam ab oblitis ſacramentaliter & directè abſoluitur: quanquam ſi quod nunc memoriæ non occurrit, poſteaque occurrat, confiteri, dum data oportunitate debeat. Iſtud vſqueadeò verum eſt,vt etiam à caſibus reſeruatis cenſeri debeat abſolutus, ſi quæ ſibi confitenti ex memoria exciderunt, dum ab habente plenariam poteſtatem, hanc poteſtatem exercente abſoluitur,vt non ampliùs cenſeri debeant reſeruati,ſed poſſint poſteà, dum occurrunt, à quocunque proprio tamen ſacerdote remitti, cui non eſt commiſſa eiuſmodi plenaria poteſtas extendens ſe ad caſus reſeruatos. Eandem cauſam reddiderunt ſuæ ſententiæ prædicti patres, Auguſtinus

quid

quidem pietatis eccleſiæ matris, Leo verò immenſam miſericordiam Dei patris. Simile comperis in foro externo. Si is qui Principi ſimpliciter & humiliter porrexerit ſupplicationem pro obtinenda remiſſa ſuorum facinorum aliquid deprehendatur per ignorantiam omiſiſſe, nihilominus omnium remiſſionem obtinebit: & inclementiæ argueretur Princeps, ſi hac re comperta haud remiſſa, reuocaret, aut pro hoc facinore non à ſeipſo in ſupplicatione porrecto pœnas exigeret, quando ex veriſimilibus iudicijs conſtaret, procul abfuiſſe omnem dolum & fraudem, quia non reformidauit multò maiora exprimere, & pro eis veniã deprecari. Secũdò obijciunt aduerſarij aduerſus deductionem, quam ſuperius ex verbis Euangelicis fecimus, ex ijs colligentes confeſſionem eſſe neceſſariam ex iure diuino. Argumentantur igitur in hunc modum. Abſolutio non eſt actus iudicialis, ſed tantum executio alieni beneficij omnibus à Deo patre propter Chriſtum præſtiti. Ruit igitur omne fundamentum ratiocinationis Papiſtarum ex actu iudiciali colligentium confeſſionis neceſſitatem. Reſpondemus ipſa verba Do. Saluatoris iuxta proprium & germanum ſenſum intellecta, hoc ſignificare quod dicimus, & ab aduerſarijs citra vllam dicti ſui rationem torqueri ad aliud ſenſum. Qui enim Latini ſermonis non omnino ignarus interpretabitur remittere annunciare remiſſionem? ſoluere, annunciare ſolutionem? Et niſi iudicium requireret, cur addidiſſet Saluator: Et quorum retinueritis, retenta ſunt, niſi quia noluit eos maturo iudicio diligenter cauſa rei examinata, & eiuſdem diſpoſitione pronunciare, ſen-

Analogia.

Argumentũ hæreticorum cõtra confeſſ. neceſſitatem;

Solutio.

tentiam abſolutionis. Aut ſi id minus videretur retentionis hanc præinterpretationem, quam quis citra vllum commentarium, cui non ſunt excæcati oculi mentis illis verbis redderet:tradunt concorditer omnes patres, quemadmodum ſuprà audiuimus Do. Cyprianũ his verbis omne iudicium quod dedit pater filio etiam à filio tranſfuſum in Apoſtolos. Vnde

Cyprianus. Hieronymus.

Do.Cypria.& Do.Hieron. abſolutionem & remiſſionem vocant ſententiam. Reliqui omnes Auguſtinus, Ambroſius, Leo, Baſili. Gregor.per hanc poteſtatem ſacerdotibus conceſſam intelligunt eos fieri iudices pœnitentium. Nec huic obſtat quòd abſolutio executio eſt alieni beneficij. Certum nanque eſt beneficium eſſe Chriſti, quod impertitur miniſter ſacramenti. Hinc vtrunque ſimul fatetur Ambroſius. Verbum (inquit)Dei dimitti peccata,ſacerdos eſt iudex, ſacerdos quidem officium exhibet,& nullius poteſtatis iura exercet,gloſſa Bartholi.i.nulla ſua poteſtate.Verùm

Philippus Melanchton.

aduerſus hanc ſolutionem replicat Philippus Melanchton,in hunc modum.Remiſſionem quidem & retentionem non ad liberum arbitrium miniſtri fieri poſſe,ne iudicium ſerui diſcrepet à iudicio domini, & infidelis ſit ſuo domino: & proinde requiri iudicium diſcretionis,& etiam diſcuſſionem,qua iudicetur retinenda ne ſint peccata,an remittenda. Verùm hoc iudicium debere eſſe circa diſpoſitionem & qualitatem peccatoris,non ipſorum peccatorum, præſertim cùm nullum peccatum exceperit dominus,cuius remittendi non dederit poteſtatem, quantúnuis grande ſit, quantunuis enorme,dummodò verè contritus ſit pœnitens,id eſt,territus,iuxta eos, paratus credere Euangelio ſibi applicato: quemadmodum adminiſtrationem

nem baptiſmi in adultis debet præcedere iudicium & examinatio baptizandi: vt ſuprà ex Auguſtino induximus, vbi tamen nulla debet præcedere cognitio criminum. Et ingeri poteſt difficultas in hunc modum valde apparenter iiſdem iſtis verbis. Quorum remiſeritis &c. quibus dominus tribuit poteſtatem remittendi & retinendi peccata in ſacramento pœnitentiæ, & ipſis tribuit poteſtatem eandem in collatione baptiſmi. Sed collatio baptiſmi nullum habet adiunctum iudicium, habens neceſſariò præuiã cognitionem criminum, ergo nec impartitio abſolutionis. Antecedens probatur. Patet primum ex circunſtantia textus: nam paulò antè hæc verba diſcipulis dicta præmiſit dominus, vt refert Luc. quomodo oporteat prædicari remiſſionem peccatorum, in nomine ſuo, in omnibus gentibus. Deinde vt narrat Ioan. ſupplens quod deerat hiſtoriæ, Luc. adiecit. Sicut miſit me pater, & ego mitto vos, ſcilicet, per vniuerſum orbem ad ipſas etiam gentes, quibus oportet prædicari remiſſionem peccatorum in nomine meo. Et tandem ſubiungit hæc verba, præmiſſa tamen inſufflatione. Accipite ſpiritum ſanctum. Quorum remiſeritis &c. Quæ omnia ſimul ſi in vnum conferas, omnino videtur dominus illis verbis dare illis poteſtatem remittendi peccata, non ſolùm in pœnitentia, ſed etiam in baptiſmo: nam loquitur de ea remiſſione, quam etiam gentibus adhuc incredulis oportebat prædicari, cùm de hac ſermo immediatè præceſſerit. Hæc autem non eſt duntaxat ea quæ in pœnitentia conceditur, ſed in primis ea, quæ in principio baptiſmatis datur: atque hoc modo verba illa domini Saluatoris interpretati ſunt plures. Ambroſ. libro primo de ſpiritu ſancto capit. ij. vt priùs

citauimus. Item Cypria. & Rupert. prolixè. Pro ſolutione autem huius difficultatis aduertendum eſt apoſtolis, vt præmiſimus, concedi aliquam poteſtatem, quam nec ipſimet priùſquàm eis hæc verba dicerentur, habebant: neque enim datur alicui quod iam habet, neque accipitur quod iam habetur. At conſtat Apoſtolos priùſquam eis hæc verba dicerentur, habuiſſe poteſtatem vt baptizandi, ita & remittendi peccata per baptiſma. Vnde refert Ioan. cap. j. eos baptizaſſe. Quanquam Ieſus (inquit) non baptizaret, ſed diſcipuli eius, & vt poſſet fortè cauillari quis, dicens ibi fieri mentionem de baptiſmo Ioannis, quod eſt falſum. Conſtat enim hoc nemine refragante quemlibet Chriſtianum eo ipſo quo Chriſtianus eſt, habere verum baptiſma conferendi, etiam ſi laicus ſit, imò etiam ſi mulier. Auguſtinus lib. ij. contra Epiſtol. Parmeniani, dicit idem: quanquam hac in re non erat auſus quicquam aſſertiuè loqui: vtrum (inquam) ab his qui nunquam fuerunt Chriſtiani poſſit baptiſmus dari. Nec aliquid temere (inquit) affirmandum eſt, ſine authoritate tanti conſilij, quantum tantæ rei ſufficit. Hæc cùm ita ſe habeant, conſequitur diſcipulos domini per hæc verba non accepiſſe poteſtatem remittendi peccata in baptiſmate, & per conſequens remiſſionem & retentionem, de quibus in ijs verbis agitur: non oportere conferri in baptiſmo. Cauſa autem cur baptiſmo non deſignatus ſit ſpecialis miniſter eſt generalis neceſſitas, ne cuiquam deſit, quod tam neceſſarium eſt, vt niſi quis ipſum acceperit, non poteſt videre regnum Dei, ſiue is ſit paruulus, ſiue adultus: qua etiam ratione placuit domino pro materia eligere elementum, quod omnibus mox ad manum

Cauſa cur baptiſmo non ſit præſtitus ſpecialis miniſter.

parat

paratum occurrit, id eſt, aquam. Hinc in ſermone illo ſolenni de baptimo & eius effectu apud Nicodemum Saluator nullum omnino miniſtrum determinat, ſed ſolùm ſacramenti neceſſitatem dicens. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpirituſancto &c. Vbi totum tribuit aquæ & ſpirituiſancto: & Doctores de virtute aquæ duntaxat inquirunt, non de miniſtri poteſtate, vt Sanctus Auguſtinus, Ambroſius, &c. Hoc autem ſacramentum confeſſionis totum miniſtris tribuitur: non enim dicit Saluator, Quorum remittuntur peccata in terra, remiſſa erunt in cælo; ſed quorum vos remiſeritis peccata. Quæ certè verba ſi etiam in baptiſmatis remiſſione locũ habere aſtruas, conſequitur nulli remitti peccata, niſi cui ſacerdos remiſerit: quod doctrinæ priſcæ, & generali totius eccleſiæ conſuetudini & obſeruationi obuiat, quæ ratum habet baptiſma à quocunque collatum, dummodo habuerit baptizandi intentionem. Doctores autem aptantes baptiſmo etiam, extendunt verba extra proprium ſenſum, volentes docere quendam modum baptizandi ſingulariter competere ſacerdotibus, nempe ex officio: quemadmodum liquet ex Auguſti. loco citato, vbi dicit ex ordinationis ſacramento eſſe ſacerdotibus tantum ius baptizandi, & tamen ſtatim dicit infrà, Quemlibet fidelem etiam laicum, poſſe baptizare: nec ab ipſo etiam extra caſum neceſſitatis collatum debere iterari. Eodem modo intelligendi ſunt Ambr. Cypria. Ruper. & ſi qui ſunt alij. Tamen vt plenè ſatisfiat argumento, ſuppoſito antecedente adhuc conſequentia eſt inualida, quanquã enim æqualiter competant hæc verba in ſacramento baptiſmi &

Sacramentũ confeßi totum miniſtris tribuitur.

pœnitentiæ:tamen qualitas cauſæ & perſonarum circa quas extendenda eſt abſolutio,cogit inducere magnam diuerſitatem in modo remittendi & retinendi. Qui enim ab baptiſmum veniunt, ſunt extra familiam & ciuitatem;atque regnum Dei: & proinde non pertinent ad præpoſitos eccleſiæ & regni Dei; de his iudicare,vt pote nondum ſibi ſubiectis, quia nondum eccleſiæ & regni Chriſti incorporatis. Quid enim mihi(inquit Apoſtolus)de ijs qui foris ſunt iudicare?nonne de ijs qui intus ſunt vos iudicatis? At cum ijs qui ſunt in familia Chriſti,certè aliter agendum eſt, ab ijs quos conſtituit dominus præpoſitos & iudices, hoc ipſo ſatis inſinuando neceſſarium eſſe volenti obtinere remiſſionem eos adire,& cauſam ſuam exponere, & ſimpliciter pro indulgentia rogare. Eorum autem eſt cauſam diligenter examinare, & pro pœnitentis diſpoſitione, & criminum qualitate & quantitate ſoluere,ligare,remittere,retinere, reconciliare,remedia adhibere, ſatisfactionem imponere. Cauſam cur expreſsè præceperit dominus confeſſionem,nempe ne extorta videretur confeſſio tua, cap.primo,partis.xiiij.lib.ij.de confeſſione. At quòd his verbis non velit negare confeſſionem, vel confeſſionis neceſſitatem,etiam ex diuino iure hinc liquet;quòd ibidem ſententia Domini Iacobi:Confitemini alterutrum peccata veſtra,cùm præciſione intelligit: Niſi (inquiens) confiteamini,non ſaluabimini. Et dominus Bernardus inquit; Sufficiebat infirmanti oſtendere medicum; ſi quis vult ſanus fieri inquirat medicum: ipſa neceſſitas ſtatim præcipit eum adire; cùm non ſit, qui non egeat frequenter medicina. Similiter hoc ipſo, quo ordinatur tribunal aliquod iudiciarium

in ali

in aliquo regno : imponitur neceſſitas incolis regni ſubmittendi ſe illi tribunali. Nec vlla conſuetudo ſermonis, nec vllius intelligentiæ ordo habet, vt cui commiſſum fuerit ſententiam quempiã in cauſa quapiam ferre, eidem cauſæ cognitio apertioribus verbis committatur. Nec iſta dicendo (quòd aduerſarij calumniãtur) conditiones fori externi trahimus ad forum conſcientiæ, ſed ingenitas, naturales & inſeparabiles proprietates volumus cuilibet ſpeciei: naturam autem tribunalis & iudiciariæ poteſtatis ſeu potiùs exercitij huius conſequitur naturaliter cognitio cauſæ rei per accuſatorem & teſtes. In hoc autem tribunali penes ſacerdotem conſtituto, à ſupremo Rege noſtro, quia agitur de occultis cordis: ideo oportet eundem eſſe reũ, accuſatorem, & teſtem, tum quia occultorum non poteſt eſſe alius accuſator aut teſtis. : nemo enim nouit qui ſunt in homine niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt: tum etiam quia & ſi poſſet eſſe dominus, tamen non requirit coactam, ſed ſpontaneam & vltroneam confeſſionem, ita vt motus humilitate confitentis flectatur ad miſericordiam. Addunt aduerſarij tertium argumentum: Impoſſibile eſſe omnia peccata confiteri, cùm impoſſibile ſit, omnium habere notitiam. Dicit enim propheta Dauid. Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me domine &c. Verùm huic obiectioni articulus reſpondet, dicens. Omnia confitenda, quę poſt diligentiam adhibitam in diſcutienda conſcientia memorię occurrunt. Poſtremò de Nectario epiſcopo obijciũt, qui prædeceſſor in epiſcopatu fuit Chryſoſtomi, de quo legitur quòd aboleuerit confeſſionem, quod tamen palàm cõtra ipſos eſt, & valde nobis patrocinatur. Primùm enim qualis fuerit Nectarius Nectarius.

quantum rei eccleſiaſticę afficiebatur, palàm liquet ex Ruffino in ſupplemento eccleſiaſticæ hyſtoriæ. Deinde quàm parum aptus ad regimen eccleſiæ, docent frequentes lamētationes Chryſoſtomi, qui ipſi immediatè in epiſcopatu ſucceſſit: quàm crebrò deplorat labefactatam eccleſiam, & eius diſciplinam, vide li. ix. c. xxxv. hiſto. tripar. Quàm nulla rationabili cauſa hortatu quorundam aboleuerit hanc ſecretè confitendi conſuetudinem. Quæ autem obijciuntur ab eis ex Chryſoſt. hom. xxxj. iiij. tomi in epiſto. ad Hæbr. Item hom. ij. in pſal. 50. Fortè dici poſſet Chryſoſt. aliquantū etiam conuenire, propter conſuetudinem oppoſitam, quam per illum Nectarium prædeceſſorem ſuum introductam inuenerat, in ſua diœceſi. Verùm ſi diligenter inſpiciantur verba eius, facilè colligetur ex eis nihil penitus patrocinari errori horum hominum, tum ꝙ loquitur de quotidiana confeſſione, quam quiſque Deo facit: tum quia nō aliud negat, quàm confeſſionem non faciendam conſeruo, qui improperare poſſet, non autem negat eam faciendam ſacerdoti. Vide aliam nō improbabilem ſolutionem ad has obiectiones in antidigmate Coloniē. vbi dicitur hæc ad pœnitentiam publicam eſſe ferenda, quæ olim ante tempora Chryſoſt. etiā ipſis imponebatur ex ſacerdotis arbitrio, qui ſecretiùs peccaſſent. Quod ex Origene apparet in pſal. xxxvij. & in Cyp. in ſerm. de lapſis, & conci. Carthagi. c. v. Hanc conſuetudinē intelligunt abolitā per prædictum Nectarium, qui Chryſoſt. immediatè pręceſſit in epiſcopatu Cōſtantinopolitano. Similiter in epiſt. Ro. Leo magnus eandem conſuetudinem, vt quæ nimiùm dura & rigida videretur, ſuſtulit, vt ipſe epiſtola quinquageſimaſeptima, ad vniuerſos per

Campaniam & Picenum epiſcopos teſtatur.

ARTICVLVS SEXTVS.

Satisfactio.

Satisfactio eſt perſolutio pœnæ plerunque adhuc debitæ remiſſa iam culpa: nam omnem pœnam peccato debitā ſemper condonari culpa remiſſa, erroneum eſt, & ſcripturis ſacris aduerſatur.

CIRCA declarationem huius articuli principiò eſt aduertendum in eo agi (hoc enim conſequentia ſermonis requirit) de ſatisfactione, quæ eſt tertia pars ſacramenti pœnitentiæ, quæ quidem complectitur omnia, de quibus ſacerdos iudex ipſius pœnitentis poteſt arbitrari, pœnitentique iniungere, ſiue ſint afflictiones ante abſolutionem ad placandum Deum, ſiue poſt abſolutionem ad ſatisfaciendum de peccato, & peccati pœna reſtanti, ſiue etiā ſint remedia contra recidiuum, quę res niſi diligenter aduertatur, non poterunt intelligi ſcripta veterum creberrima de hac re Aduertendum nanq; antiquitus (dum adhuc vigeret rigor eccleſiaſticæ diſciplinæ) alia obſeruata circa pœnitentes, quàm nunc collapſo (heu nimiùm) prædicto rigore obſeruentur: id quod ex ſcriptis patrum palàm liquet. Vide Augu. in li.50. homiliarum homi.50. vbi poſtquàm egiſſet de pœnitentia ab adultis baptizandis, baptiſmo præmittēda: ac deinde de pœnitentia illa perpetua, & quotidiana venialiū delictorū. tertio loco ágit de actione

Prouerb. 11. Alij diuidūt propria & ditiores fiunt, alij rapiunt aliena, & ſemper in egeſtate ſunt. Item cap. xiiij. Qui calūniatur egentē exprobrat factori eius, honorat autē eum qui miſeretur pauperis. c. xxviij Qui dat pauperi, nō indigebit, qui deſpicit deprecātē, ſuſtinebit penuriam.

Ad Gal. 5. pœnitentiæ,quæ pro illis peccatis fit,quæ legis catalogus continet, & de quibus Apoſtolus ait. Quoniam qui talia agunt,regnum Dei non poſſidebunt.Deſcripturus igitur huius pœnitentiæ modum, quam priùs cum reliquis duabus ſpeciebus dixerat eſſe vſitatam & diligenter attendentibus notam.In hac(inquit) pœnitentia maiorem quiſque ſeueritatem debet exercere,vt à ſeipſo iudicatus non iudicetur à domino,ſicut idem apoſtolus ait.Si enim nos iudicaremus,non iudicaremur.Aſcendat itaque homo aduerſum ſe tribunal mentis ſuæ, ſi timet illud quod oportet nos exhiberi ante tribunal Chriſti,vt illud recipiat vnuſquiſq; quod in corpore geſſit,ſiue bonum,ſiue malum: conſtituat ſe ante faciem ſuam,nec hoc ei poſteà fiat,quod minatur Deus dicens. Arguam te, & ſtatuam ante faciem tuam te,atque ita conſtituto in corde iudicio adſit accuſatrix cogitatio,teſtis conſcientia,carnifex timor,ſic quidem ſanguis animæ cõfitentis per lachrymas profluet:demum ab ipſa mente talis ſententia proferetur,vt ſe indignùm homo iudicet participem corporis & ſanguinis ſeuerè in ſe vindicantis tranſgreſſionem omnium peccatorum ſuorum. Et infrà idem Auguſt. cap.xj.eiuſdem hom.Ad hæc poſtquàm peccator(inquit)ſeueriſſimæ medicinæ ſententiam in ſe protulerit,veniat ad antiſtites, per quos illi in eccleſia claues miniſtrantur, & tanquam bonus filius incipiens iam eſſe cuſtodiat ſatisfactionis ſuæ modum à præpoſitis ſacrorũ,vt in offerẽdo,ſacrificio cordis contribulati deuotus & ſupplex nedum ſibi,ſed & cæteris in exemplũ maneat, &c. Vides vt pœnitens ſe debet totũ ſubmittere iudicio ſacerdotis, paratus facere quicquid ille ſibi iniunxerit. Olim quidem ante abſolutionem ſolebant

Margin notes: *ibid. 3.* *Auguſtinus.* *1. Corinth. 2.* *2. Corin. 5.* *Nota.*

bant pœnitentes ex ſacerdotis præſcripto grauiſſimè ſe affligere, ieiunijs, vigilijs, larga eleemoſinarum largitione, orationibus, & alijs operibus, quibus ſe exercebant ad placandam iram Dei, & conciliandā eius miſericordiam. Hinc adhuc extant antiqui canones pœnitentiales, de pœnis & afflictionibus varijs, quę iniungebantur confeſſis, priuſquàm abſoluerentur, aut manus eis imponerentur, ſiue pax cum Deo & eccleſia cum eis conſtitueretur. Si tamen quis morbo correptus non potuiſſet ſuſcipere, aut complere eiuſmodi, nihilominus abſoluebatur. Vide Cypri. epiſt. viij. iij. libr. vbi ſcribens ad fidum preſbyterum carpit Terapium, quòd victori preſbytero antequam pœnitentiam plenam peregiſſet, & domino Deo, in quem deliquerat, ſatisfeciſſet, temere immaturoq; tēpore, & pręposteraa feſtinatione pacē dediſſet: quo facto receſſum aſſerit ab eccleſia Decreti authoritate, quoniā ante legitimum & plenum tempus ſatisfactionis ei ſine petita ex lege conſcientia plebis, nulla infirmitate vrgēte, aut neceſsitate cogente pax ei conceſſa foret: quam tamen pacem quomodocunque à ſacerdote Dei ſemel conceſſam decernit idem Cypri. nō eſſe auferendam. In quibus verbis tria continentur. Primum, morem fuiſſe, imò ſtatutum eccleſiæ, prius pœnitentiam & ſatisfactionem complere, quàm abſolutionem recipere. Secundum quòd rata erat abſolutio nihilominus, quę præpoſtera feſtinatione daretur, nōdum perſoluta pœnitentia, quanquàm ea non ſine peccato ſacerdotis impenderetur. Tertium, quòd neceſsitate cogente, vel infirmitate vrgente licebat eū abſoluere, in quo non pręceſsiſſet eiuſmodi pœnitentia. Quod ipſum & Auguſt. li. j. ad Pollentium c. vltimo teſtatur, aſſerens ne- *Auguſtinus.*

mini qui veriſimiliter putatur pœnitens, imò qui non ſcitur eſſe impœnitens, negandum aut baptiſmi, aut reconciliationis ſacramentum, quando ad eam neceſſitatem deuenerit, vt præſtare non poſſit, quæ ab ipſo ſano requirerentur. Hac eadem de re pulchrè tractat idem Cyp. ſerm. v. de lapſis. Primùm grauiter eos reprehendens, qui ante expiata delicta, ante exomologeſin factā criminis, ante purgatam conſcientiam ſacrificio & manu ſacerdotis, ante offenſam placatam indignantis domini pacem putarent eſſe, quam quidam ſacerdotes verbis fallacibus venditarent, atque hoc modo ſecuri audebant his omnibus contemptis, dominicæ menſæ ſe ingerere. Demum quibuſdam interpoſitis ſubdit. Magna eſt perſecutio & tētatio, per quam ſubtilis inimicus impugnans in adhuc lapſos occulta populatione graſſatur, vt lamentatio conquieſcat, vt dolor ſileat, vt delicti memoria euaneſcat, comprimatur peccatorum gemitus, ſtatuatur fletus oculorum, ne dominū grauiter offenſum longa & plena pœnitentia deprecetur, ſicut ſcriptum eſt. Age pœnitētiā & memēto vnde excideris. Et paulòpòſt: Rogādus eſt Deus & ſatisfactione noſtra placādus, delicta noſtra reputāda, actus noſtri & animi ſecreta voluēda, cōſciētię merita ponderanda: redeat in cor noſtrū nō ambulaſſe nos in vijs domini, & abieciſſe legē domini, præceptaq; eius nunq̄ bene ſeruaſſe. Pœnitentiæ iter quod oſtēdit antiſtes, amplectamur remedia vitalia, quę de ſcripturis cœleſtibus ille depromit, aſſumamus, & ex vulneribus etiā occultis, quorū exomologeſin fecimus, exponētes apud eū, conſciētiæ noſtrę pōdus, ſalutarē medicinā exquiramus: nec ceſſemus in agenda pœnitentia, atque in domini miſericordia deprecanda, ne quod nimis eſſe in qualitate delicti videtur, in neglecta ſatiſ-

Cyprianus.

factione cumuletur. Cõfiteantur quæſo (inquit idẽ) vobis fratres delictum ſuũ, dũ adhuc qui deliquit in ſęculo eſt, dũ admitti eius confeſsio poteſt, dũ ſatisfactio & remiſsio facta per ſacerdotes apud dominũ grata eſt. Conuertamur ad dominũ mente tota, & pœnitentiam criminis veris doloribus exprimẽtes, Dei miſericordiã deprecemur: illi ſe anima proſternat, illi mœſtitia ſatisfaciat, illi ſpes omnis incũbat. Vnde ipſemet dicit per Prophetã, Cõuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, fletu, & planctu: & ſcindite corda veſtra, & nõ veſtimẽta. Itaq; ad dominũ toto corde redeamus, iram & offenſam eius ieiunijs, fletibus, & plãctibus, ſicut admonet ipſe, placemus. Et infrà. Si quem de tuis charis mortalitatis exitu pdidiſſes, ingemiſceres dolẽter & fleres, facie inculta, veſte mutata, capillo neglecto, vultu nubilo indicia mœroris oſtenderes: animã tuã miſerã perdidiſti ſpiritualiter mortua ſuperuiuere non poteſt: ſic enim quocunq; ambulas, tecũ tuum funus portas, & non acriter plangis, nõ iugiter ingemiſcis, nõ te vel pudore criminis, vel cõtinuatione lamẽtationis abſcõdis? ecce maiora delicta peccaſſe nec ſatisfacere, deliquiſſe, nec delicta deflere. Et poſt pauca. Vos verò fratres, quorũ timor in Deũ eſt pronus, pœnitẽtes & dolẽtes peccata veſtra perſpicite: grauiſsimũ conſciẽtię crimẽ delicti veſtri cordis oculos aperite, nec deſperantes miſericordiam Dei, neque tamen iam veniam vendicantes. Deus enim quantum patris pietate indulgẽs eſt tantum iudicis maieſtate metuendus eſt: alto vulneri diligens & longa medicina non deſit, pœnitentia crimine minor non ſit, orare oportet impenſiùs, diem luctu tranſigere, vigilijs noctes, ac fletibus inſomnes ducere tempus, lachrymoſis occupare lamen-

tationibus, ſtratos adhærere cineri, in cilicio volutari: & ſordibus: poſt diaboli cibum molle ieiunium, iuſtis operibus incumbere, quibus peccata purgantur, eleemoſinis frequentes inſiſtere, operibus quibus à morte animæ liberantur incunctanter & humiliter inſudetur, ſenſus omnis in medelam vulneris impendatur, opibus & facultatibus noſtris, qui de nobis iudicaturus eſt, domino fœneretur. Sic ſub apoſtolis viguit, ſic primus credentium populus mandata ſeruauit, promptus & largus erat, diſtribuendũ per apoſtolos totum dabat, vt non tam magna delicta retineret. Sicq; pius dominus, qui & miſericordiam ſuam protulit. dicens: Cùm cõuerſus ingemueris, tunc ſaluaberis, & iterum: Nolo mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur & viuat. Et Iobel pietatem domini domino ipſo monente declarat. Reuertimini (inquit) ad dominum Deum veſtrum, qui miſericors & pius eſt, & patiens & multę miſerationis, quique ſententiam flectit aduerſus maliciam irrogatã. Reuertimini in toto corde veſtro in ieiunio, fletu, & plãctu, & ſcindite corda, & non veſtimẽta veſtra. Poteſt ille indulgentiam dare ſententiã ſuam: poteſt ille deflectere pœnitenti, operanti, roganti clementer poteſt ignoſcere, poteſt acceptum ferre, quicquid pro talibus & petierint martyres, & fecerint ſacerdotes: vel ſi quis eum ſuis ſatisfactionibus mouerit, ſi indignantis eius iram iuſta deprecatione placauerit. Hac Cypr. cuius verba diffuſiùs adduximus, vt ex eis diſceremus, quàm ſeuera olim, quàm diſtricta pœnitentia exigebatur, & præſtabatur à peccatoribus priùs quàm pacem & reconciliationem ceu ſacerdotis abſolutionem mererentur accipere, quæ quidẽ pœnitentia ordinabatur, primùm & principaliter ad placandum

Deum. Secũdò ad extirpandum cauſas pecccatorum, interdum etiam ad aliorum exemplum & ſatisfactionem, aut ſcandalum ab eis remouendum. Quoniam nanque ſacerdos iudex eſt, in hac cauſa agere debet in primis, vt honor domini, cui per culpam derogatum eſt, per pœnitentiam reparetur & pœnam. Deinde quia etiam medicus eſt peccatoris ægri, ad eius officium ſpectat medicinam eius vulneribus adhibere, non ſolùm curatiuam, ſed etiam confortatiuam & præſeruatiuam. Denique quia inſuper paſtor eſt, opus eſt vt gregis habeat curam & rationem: vt ſi peccatum ſit admiſſum, quod in ſibi commiſſi gregis cedat ſcandalum, pœnitentiam talem præſcribat, ex qua ruina gregis reſtauretur, quemadmodum ſi perſonam aliquam particularem læſerit peccator, aut verbo, aut facto, ſiue in bono animæ, aut corporis, aut famæ, eius iniuriam admiſſam reparare reſtituendo (quod fieri poteſt) quod iniuſtè ablatum eſt. Iſtud cùm concors patrum ſententia tradat, etiam ſcripturæ apertiſſimè docent: ipſa quoque natura nos ſufficienter inſtruit. Quis enim filius quærens patri per ſe offenſo reconciliari, non tendet ad reconciliationem per eiuſmodi media, primùm offenſam agnoſcens, vehementerque de ea dolens, & ſigna doloris oſtendens, humiliter pro venia ſupplicans, emendationem vitæ certò proponens & promittens, ſolicitus patri deinceps præſtare grata obſequia? Quia autem hæc omnia, antequàm reconciliabatur, olim præſtabat pœnitens ex ſacerdotis iudicio & decreto: ideo rariùs in veteribus doctoribus fit mentio ſatisfactionis iniunctæ poſt culpam remiſſam, quoniam regulariter propter vehementiam præcedentis doloris, & grauitatem afflictionum, dum

poſt hæc fideliter prǽſtita abſoluebantur, tam pœna q̃ culpa ipſis remittebatur: vt nihil remaneret poſt culpã dimiſſam perſoluendũ, quẽadmodũ nec in baptiſmo. At nunc, prohdolor, refrigeſcente nimiùm charitate, rarus eſt qui ſic conteritur, qui adeò vehemẽter dolet de Dei offenſa, quiq; adeò ſeueram de ſeipſo ante abſolutionis ſibi impenſum beneficium, vt nulla ampliùs poſt remiſſam culpã in eo maneat luenda pœna: neq; ferret hominum carnalitas iſtam pœnitentiæ auſteritatem, quæ antè q̃ pax pœnitẽti redderetur, ſolet iniũgi, ſaltem poſt abſolutionem: ſi, non quantum requirit peccatorum grauitas, ſaltem quantũ fert humana fragilitas imponere ſatisfactionẽ. Atq; de hac ſatisfactione per ſacerdotis ſentẽtiam iniuncta propriè loquitur articulus: nam hæc vna eſt tertia pars ſacramenti pœnitentiæ. Cùm autem quis vltro aſſumit exercitia afflictiua, pro peccatorũ expiatione ſatisfacit quidem, verùm ſatisfactio illa non eſt pars ſacramenti pœnitẽtiæ, ſed eſt legis naturę, pertinẽs ad virtutẽ iuſtitiæ: quemadmodum eſt ipſe dolor præmittendus confeſſioni, & abſolutioni: hic enim in ſe conſideratus, vt eſt actus virtutis: non eſt pars ſacramenti pœnitentiæ, niſi inquantum includit in ſe propoſitum confitendi & ſatisfaciendi, vnde quolibet tempore ad remiſſionem peccati quondam fuerunt neceſſaria contritio & ſatisfactio. His igitur præmiſſis, accedamus declarationem poſterioris partis articuli, quoniam ex ea pendet prioris partis veritas, Pro cuius intelligentia aduertẽdũ, duos modos in ſcripturis nobis explicari, quibus Deus peccata remittit. Prior eſt, ſecundum quem plena fit remiſſio pœnę & culpę, quomodo ſuprà docuimus in baptimo fieri. Hinc eſt, quòd baptizato nulla pror-

Nota

Duplex modus dimittendi peccata.

prorſus iniũgitur ſatisfactio,ſic & latroni in cruce dominus plenè condonauit peccatum: vt in Euangelio patet. Alter modus eſt,quo culpa quidẽ remittitur,verùm non omnis pœna peccato debita. Quod quidem de pœnis præſentis ſœculi adeò clarè docent ſcripturæ,vt nullus omnino ſit tergiuerſandi locus. Teſtatur imprimis id humanis generis miſeria,in quam parentes noſtri per peccatum ſuum inciderunt,quam æquè remiſſo peccato tot annos perferre debuerunt. Teſtãtur Moſes & Aaron,qui ad contradictionis aquas offendentes dominum, eidem non tam fidenter quàm debebãt gloriam dantes,tametſi eius offenſæ mox remiſſionem obtinuerunt:pœnam tamẽ offenſæ, etiam poſt veniam perferre debebant,quam nullis etiã precibus deprecari potuerunt. Teſtatur horum etiam ſoror Maria, quæ detractionis in Moſen etiam poſt remiſſum peccatũ leprã ſeptẽ dierũ perferre debuit:pro qua Moſi deprecanti reſpondit. Si pater eius ei in faciẽ ſpuiſſet, nõne deberet ſaltem ſeptẽ diebus rubore ſuffundi?ſeparetur ſeptẽ diebus extra caſtra,&c. Teſtatur Deus in vniuerſo illo veteri populo,primùm poſt peccatum conflati vituli & adorati, cui & ſi pœnitenti & fletu luctuq́ue pœnitentiam demonſtranti Moſes ſua oratione impetraſſet commiſſi remiſſionem & veniã, attamẽ adiunxit dominus. Ego autem in die vltionis viſitabo & hoc peccatum eorum: cùm tamen Moſes prius ſeueriſſimam exercuiſſet vindictam, & in pluribus locis,libro numerorum,& Exodi de eod.pop. Teſtatur & Dauid miſericordẽ quidem eſſe dominũ, & quacunq; hora agnoſcenti confitentiq; peccatũ ſuũ, & ad eius miſericordiã cõfugienti, eã ipſam paratã afferre, nõ tãmẽ quãuis poſt veniã impunitum peccatũ dimittere. Dixi (inquit) cõfitebor auerſum me iniuſti-

tiã meã domino:& tu remiſiſti impietatẽ peccati mei: Nihilominus gemitibus & lachrymis,& vigilijs etiam poſt veniam carnem ſuam macerauit. Proinde poſtquàm corde contrito & humili confiteretur domino peccatum ſuum, ac ſupplex veniam poſceret:audiuit, per Naathan Prophetam: Dominus quidem tranſtulit peacatum tuum,non morieris:verùm quia blaſphemare feciſti inimicos nomen domini,propter verbum hoc filius qui natus eſt tibi,morietur. Ad hæc non recedet gladius de domo tua in æternum. Inſuper & hæc dicit dominus. Ecce ego adducam ſuper te malum de domo tua, & tollã vxores tuas in oculis tuis, & dabo eas proximo tuo. Rurſus idem cùm adnimaduerteret ſe offendiſſe Deum in numeratione populi,dixit domino. Peccaui valde in hoc facto,ſed prȩcor domine, vt transferas iniquitatem ſerui tui, quia ſtultè egi nimis. Quid igitur exiſtimas, an hîc miſericordiæ ſuæ oblitum dominum, vt agnoſcenti, confitentiq́ue peccatum ſuum, & de eo pœnitenti ex animo & corde humili,contritoq́ue veniam poſcenti nõ ignouerit? Audi parum quid ſubiungat ſcriptura. Venit Gad Propheta ad ipſum dicens. Hæc dicit dominus. Trium tibi datur optio, elige vnum quod malueris. Aut vij. annis veniet fames ſuper terram tuam, aut tribus menſibus fugies aduerſarios tuos, & illi te perſequentur: aut certè tribus diebus erit peſtilentia in terra tua. Cui Dauid. Coarctor nimis, ſed melius eſt, vt incidam in manus domini(multæ enim ſunt miſericordiæ eius,) quàm in manus hominum. Immiſit itaque dominus peſtilentiam in Iſraël. Vides vt etiam pro dimiſſo peccato nihilominus pœnam temporalem ſumat dominus,vt vindictam exigat. De quo rectè nos admonet Sapiens,ne etiam de propitiato pec-

cato ſimus abſque metu. Hinc idem Propheta Dauid aiebat. Domine deus tu exaudiebas eos, (loquens de Moſe & Aaron,& Samuele)deus tu propitius fuiſti eis, & vlciſcens in omnes adinuentiones eorum. Ecce dominus licèt propitius factus hominibus,adhuc tamen vlciſcitur adinuentiones. Idque clarè liquet exemplis adductis. Vide ſuper hac re Chryſoſt. homil. ij. ſuper Pſal. Miſerere mei Deus,qui eſt Dauidis, qui poſt dimiſſa peccata facit adhuc, hæc omnia deprecando, quæ hoc pſalmo continentur. Cui non ſatis erat peccatorum remiſſionem obtinuiſſe, niſi ablato peccato cicatricem exterminaret, niſi ablato vulnere pulchritudinem reciperet: quapropter aiebat, Miſerere mei, non ſolùm ſecundum miſericordiam tuam,ſed ſecundum magnam miſericordiam tuam: imò, ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam. & addit, Ampliùs laua me ab iniquitate mea,& à peccato meo müda me. Deinde pulchrè philoſophatur Chryſoſt. quid egerit Dauid ad hæc obtinenda, nempe quæ ſequëtibus verſibus deſcribuntur. *Chryſoſtomus* Quamuis enim ſit miſericordia domini(inquit Chryſoſto.) tamen ne homines remiſſiores fiant poſt adeptam remiſſionem criminum, adhuc aliquid à nobis erigit Deus, non quod noſtri egeat,ſed quia vult, nos & aliquid conferre ad noſtram vtilitatem,nempe peccatorum confeſſionem, fidem & paratam obedientiam,lachrymas pœnitentiæ, continuam memoriam delictorum,beneficiorum Dei,& eiuſmodi. His obtinuit Dauid non ſolùm remitti ſibi peccata, verùm etiam priſtinæ reſtitui dignitati,quam habuerat,antequàm caderet. Ex his ergo euidëter liquet frequenter poſt dimiſſam culpam adhuc reſtare pœnam aliquam

peccato debitã, cùm creberrimè legamus Deum peccata quãuis iam à ſecundo nata, adhuc tamen grauiſſimis pœnis illatis vindicaſſe: quare omnẽ pœnã peccato debitam culpa dimiſſa, condonari erroneũ eſt, & ſcripturis ſacris aduerſatur. At dices reſtare quidẽ frequenter pœnã in præſenti ſœculo luendã, verùm ſcripturas nihil tradere de pœnis luẽdis in futuro ſœculo poſt condonatam culpam. Ad hoc dicendũ eſt. Quòd ſi Deus hoc ſœculo, quod nõ retributionis eſt, ſed diſpenſationis gratiarum, tẽporaliter punit peccata, cui dubium eſſe poteſt, imò cui non certiſſimum, ipſum hoc quoq; multò magis facturum in ſœculo futuro, quod tẽpus eſt retributionis, in quo omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti tremẽdo: vt recipiat vnuſquiſq;, prout geſſit in corpore ſuo, ſiue bonum, ſiue malum: quemadmodum pulchrè habet D. Chryſoſt. hom. iiij. de pœnitentia. Iam enim modicum (inquit) & probatiuum vnicuique noſtrum fiet, cùm omnes aſtabimus tremẽdo Chriſti tribunali proprijs actionibus induti, & oculis tuebimur eas non ſolùm actiones, ſed & ſi quid fortè mente tractauimus, nihil poterit latere iudicem Deum: quoniam ipſe mentium ſcrutator eſt, & cogitationum iudex: ipſe vnicuique reddet ſecundum opera ſua. Idẽ hom. v. in Epiſt. ad Hebr. Nemo (inquit) turbetur, videns malignos proſperitatem habere, non eſt hic retributio neq; malignatis, neq; virtutis: quãdo itaq; videmus malignũ diteſcere, non deijciamur animis: & quando videmus bonum mala pati, nõ turbemur, in futuro coronæ, in futuro ſupplicia. Eſt & alia ratio: quia non põt vel malus in omnibus malus eſſe, ſed habet aliqua bona, neq; bonus in omnibus bonus eſſe, ſed habet aliqua peccata: quãdo ergo proſperitatem

Cauillatio.

Chryſoſtomus

tem

tem habet malus,malo capitis ſui habet: quoniã dum pro paucis bonis retributionẽ hîc accipit,illic iam pleniùs punietur:iuſtus verò pro paucis peccatis hîc patitur, vt omnibus illis abiectis ꝓbatus & purgatus hinc exeat. Et hoc nos Paulus docens dixit, Propter hoc in nobis multi infirmi,& dormiũt multi.Et iterum: Tradidi huiuſmodi Sathanæ,vt ſpiritus ſaluus fiat. Et Eſaias(inquit) Quia ſuſcipit de manu domini duplicia pro peccatis. Et iterũ Dauid. Vide inimicos meos,quoniã multiplicati ſunt,ſuper capilos capitis mei, & dimitte omnia peccata mea.Et rurſus alius.Domine Deus noſter pacem da nobis,omnia enim reddidiſti nobis.

Ex his igitur liquet Secũda pars articuli,quæ docet poſt culpam remiſſam plerunq; remanere pœnam ipſi debitam:quod vel ex ipſa oratione dominica euidẽter diſcere licet,quæ ſi Augu.credimus.euch.cap.lxxj.delet non ſolùm minima & quotidiana peccata,ſed etiã illa,à quibus vita fidelium ſcelerata etiã geſta,ſed pœnitendo in melius mutata,diſcedit,ſi quemadmodum veraciter dicitur, Dimitte nobis debita noſtra,quoniã non deſunt quæ dimittãtur :ita veraciter dicitur,ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. i. ſi fiet quod dicitur, quia & eleemoſyna eſt homini petenti veniã ignoſcere,de qua dicitur.Date eleemoſynã,& ecce omnia mũda ſunt vobis,& rurſus: Peccata tua eleemoſynis redime.Sicut enim aqua extinguit ignẽ ita eleemoſyna extinguit peccatum. Quapropter tantopere Thobias moriens eleemoſynæ virtutem filio ſuo cõmendabat. Secundo ex ijſdem liquet hanc pœnam propriè & per ſe pertinere ad futurũ ſæcullũ,quo redditurus eſt Deus vnicuique ſecundum opera ſua. Verùm diſputatur apud Scholaſticos doctores,de modo

quo reliqua eſt hæc pœna poſt culpam condonatam. Plærique dicunt pœnam æternam remiſſa culpa mutari in temporalem. Do. Thom. qui ſingulariter fuit in tradendis fidei dogmatibus illuſtratus conſiderauit, quòd quemadmodum duo ſunt in peccato mortali. Vnum formale, quod eſt auerſio à Deo: alterum materiale, quod eſt conuerſio ad bonum commutabile: ita duas eſſe conditiones pœnæ peccato debitæ, durare videlicet & acerbitas eius: duratio quidem quæ eſt alternitas correſpondet auerſioni à Deo: acerbitas verò cõuerſioni. Dum igitur quis per pœnitentiã ſe rurſus ad Deum conuertit, tollitur pœna inquãtum reſpondebat auerſioni, nempe inquantum æterna erat: hoc eſt, tollitur ipſa æternitas pœnæ, quod exigit reparata amicitia, vt pœna hoſtilis, ſcilicet, & exterminans, condonetur: manet tamen eadem pœna ſecundum ſubſtantiam & acerbitatem, quæ correſpondet conuerſioni, nunc maior & diuturnior, nunc minor & breuior iuxta diſpoſitionem pœnitentis, niſi quòd etiam virtute clauium diminuitur, tam quoad durationem, quàm quoad acerbitatem: vt quantum glorificauit ſe homo, & in delicijs fuit, tantum detur ei tormentum & luctus: & iuxta modum delicti ſit & plagarum. Atque hunc ſanè modum intellixiſſe videntur veteres, vt non ſine cauſa inſtituerint tam ſeueros canones pœnitentiales, & tam crebrò inculcant aſſumendos continuos & grauiſſimos pro peccatis dolores & afflictiones. Sed tempus expoſtulat, vt ad priorẽ partem articuli veniamus, qua docemur ſatisfactionem eſſe per ſolutionem pœnæ pro peccato adhuc debitæ remiſſa iam culpa. Pro cuius intellectu ſciendum duplices eſſe comminationes diuinas, & decreta de pœna aliqua inferenda pro peccato. Quędam ſunt abſol

Nota quomodo æterna pœna dicatur mutari in tẽporalem.

Thom. Aquinas.

Duplex comminatio diuina.

abſolutæ, atque hoc modo decretæ pœnæ nullis precibus, nullis lachrymis, nulla prorſus pœnitentia poſſunt auerti: quod patet in exemplo ſuprà adducto de Moſe & Aaron propter peccatũ contradictionis. Item in morte filij Dauid & Bethzabee, quã nulla ratione deprecari potuit. Aliæ ſunt comminationes Dei conditionatæ, & quæ iuxta merita hominum decernunt pœnas: Vnde hę poſſunt pręueniri & anticipari ex hominis ſatisfactione, atque animaduerſione in ſemetipſum. Quod Paulus docuit dicẽs. Si nos ipſos iudicaremus, non vtiq; iudicaremur: illi autẽ dijudicant ſemetipſos, qui perpetrato malo de ſemetipſis ſuppliciũ ſumunt: & hi à domino non flagellantur nec dijudicãtur. Proinde ſubiungit Apoſtolus. Cùm autem dijudicamur, à domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. Itaque d. Auguſt. ſerm. quod triplicem pœnitentiam diſtinguit: vnam, quæ in baptiſmo præexigitur: alteram, quæ quotidianis & minutis peccatis eſt neceſſaria. Tertia (inquit) actio pœnitentiæ eſt, quę pro illis peccatis ſubeũda eſt, de quibus Apoſtolus ait. Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt. In hac ergo pœnitentia maiorem quiſq; ſeueritatem debet exercere, vt à ſeipſo iudicatus, non iudicetur à Deo. Idipſum & exẽplis de tribus illis vet. teſtam. patribus docemur: niſi enim ſciuiſſent Deum interdum auertere comminata flagella, & pœnas decretas à Deo poſſe nos interdum deprecari, non rogaſſent dominum pro ijs auertendis, quæ dominus decreuerat eis inferre, prout ipſis ipſo reuelante conſtabat: non afflixiſſet ſe de filij ſui morte, cilicio, ieiunio & cinere Dauid, niſi eius vitam ſperaſſet obtinere, & non dubitaſſet dominum ob noſtram pœnitentiam non

Auguſtinus de triplici pœnitentia.

inferre ſemper cõminatam pœnam. Hinc cùm mortuo puero mirarentur ſerui, quòd lugere deſineret, & reuerteretur ad conſuetum cibum, æſtimabant enim quòd grauiùs ſe affligeret illo mortuo: ait ad illos. Propter infantem (inquit) cùm adhuc viueret, ieiunaui, & fleui, dicebã enim. Quis ſcit, ſi fortè donet eũ mihi dominus, & viuat infans? Ecce in pœnam delicti ſui prędicta erat illi mors filij ſui: ipſe tamen ſperabat eã pœnam peccati, ſcilicet per inflictam ſibi aliam pœnã ſe poſſe auertere, quòd tametſi ibi non obtinuerit, quod interminabili decreto hoc ipſum à Deo cõſtitutũ fuerat, obtinuit nihilominus in alio. Siquidẽ cùm ob peccatum numerati pópuli etiam poſtquàm eius pœnituiſſet ex animo & contrito humiliatoque corde, pro eius venia impetranda, ſe cõuertiſſet ad dominum: & in eiuſdem punitionem daretur illi ex tribus optio, fames ſeptennis, bellum trimeſtre, aut triduana peſtis, & hanc potiùs elegiſſet, quæ inter cætera Regem & plebem deuaſtat, tantũ afflixit ſeipſum, vt eius reſpectu Deus cũ vnius diei vindicta contẽtus fuerit. Proinde cùm Angelum videret cędentẽ populũ: ita dixit ad dominũ. Ego ſum qui peccaui, ego iniquè egi, iſti qui oues ſunt, quid fecerũt? Vertatur mucro tuus contra me, & contra domũ patris mei. Qua Dauidis pœnitẽtia mox ceſſauit plaga, quæ alioquin triduana conſtituta fuerat. Extãt & alia exempla quàmplurima hanc rem confirmantia, in ſcripturis ſacris, velut de Achab

Hieremias. Regę, de Niniuitis, de Ezechia Rege. Hinc Hierem. xviij. dicit. Dominus repentè loquitur aduerſus gentẽ, & aduerſus regnum vt eradicẽ, & deſtruam & diſperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo quod loquutus ſum aduerſus eam, agam & ego pœni

ten

tentiam ſuper malo quod cogitaueram, vt facerem eis, & ſubitò loquar de gente & regno vt ædificem & plantem illud. Vides igitur ex ſcripturis liquidum quoddam eſſe genus pœnarum à Deo comminatarum, quas homo poteſt auertere, & ſimul nonnullas alias eſſe, quas deprecari nequit. De vtriſque loquens D.Gregor. libr. ix. moralis expoſitionis in Iob capi.ij. circa illud. Deus, cuius iræ reſiſtere nemo poteſt. Mirum valde eſt (inquit) quòd iræ Dei nullum poſſe reſiſtere dicitur, cùm multos indignationi obuiaſſe eloquia diuina teſtentur. An non Moſes iræ Dei reſtitit qui peccante populo, ipſe pro eo precatus eſt dicens. Dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro quem ſcripſiſti. An nō iræ Dei Aaron reſtitit, cùm inter viuētes & mortuos thuribulum ſumpſit, atque animaduerſiones Dei igni incenſi oblatione temperauit? An non Phinees iræ Dei reſtitit, qui cum alienigenis luxuriantes in ipſo coitu trucidans, zelum ſuum diuinæ indignationi obtulit, & furorem gladio placauit? An nō iræ Dei Dauid reſtitit, qui Angelo percutienti ſe offerens placationis gratiā & ante tempus promeruit? An non Helias iræ Dei reſtitit, qui longo iam tempore terra arente ſubductas de cœlo pluuias verbo reuocauit? Quomodo ergo iræ diuinæ nullum poſſe reſiſtere dicitur, cùm multos reſtitiſſe exemplis demonſtratur? Sed ſi ſubtiliter & hæc B. Iob eloquia, & illorum facta penſamus, & verum cognoſcimus, quia iræ Dei non reſiſtitur, & verum, quia multi ſæpe reſtiterunt.

Gregorius.

Quomodo iræ Dei reſiſtipoſſit, & quomodo non.

Omnes enim ſancti qui iræ Dei obuiant, ab ipſo accipiunt, vt contra impetum paſſionis eius opponantur, atq; vt ita dixerim, cum ipſo ſe erigunt contra ipſum,

eoſque diuina vis ſibi opponit, ſecumque in eo quod aduerſus ſæuientis iram foris obtinent, intus eos gratia iraſcentis fouet, & famulátes interiùs leuat, quos quaſi aduerſantes exteriùs tolerat. Moſi enim dicit, Dimitte me, vt iraſcatur furor meus &c. Quid eſt ergo dicere, dimitte me, niſi deprecandi anſam præbere? ac ſi apertè diceret. Pẽſa quãtum apud me valeas, quia obtinere poteris, quicquid pro populo exoras. Hæc Grego. Poſt hæc ſubiungit aliud pœnarum genus, in quo per hominem flecti non poteſt. Cùm verò (inquit) ſuperna elatio ſeſe, vt ita dixerim, medullitus mouet, hãc oppoſitio humana nõ retinet, nec ſe vtiliter cuiuſlibet deprecatio obijcit, cùm ſemel Deus aliquid ab intimis iraſcendo diſponit. Hinc eſt enim quòd Moſes ad petram Oreb veniens, & pro aquæ exhibitione diffidẽs, repromiſſionis terram ingredi, domino iraſcente non potuit, & ſæpe de hac re affligitur, ſæpe deſyderio ſe excitante turbatur, & diſpoſitæ vltionis iracundiam à ſe repellere non valuit, qui hanc volente domino, & à populo amouit. Hinc Dauid qui proſtrata plebe poſtmodùm Angeli gladiũ præcompeſciuit, priùs plorãs & eiulãs nudis pedibus filium fugit, & quouſque perpetrati facinoris vltionem ad plenum reciperet, iram Dei pro ſemetipſo temperare nequaquam valuit. Iræ Dei igitur reſiſti valet, quãdo qui iraſcitur opitulatur, & reſiſti omnino non valet, quãdo ſe & ad excitandũ excitat, & ipſe precem quæ ei funditur nõ aſpirat. Hinc ad Hier. dicitur. Tu ergo noli orare pro populo hoc, quia non exaudiã te. Et rurſus. Si ſteterint Moſes, Noë, & Samuel coram me, non eſt anima ad populũ iſtum &c. Hæc ille. Atqui & hactenus quidem nobiſcum ſatis videntur conuenire aduerſarij. Primùm in hoc

quod

quòd peccatis noſtris mortalibus debeantur pœnæ æternæ in futuro ſæculo. Rurſus quòd hæc remiſſa quoad culpam, Deus frequenter punit pœnis præſentis ſæculi. Rurſus quòd ſint culpæ, poſſumus obtinere remiſſionem tam per pœnitentiam, ita & pœnarum tam æternarum quàm temporalium etiam futuri ſęculi. Agnoſcat nanque & ipſe Lutherus purgatorium, vt liquet ex diſputatione Lypſica quam habuit aduerſus Eckium (niſi quòd Caluinus eò impudentiæ prorupe rit) vt neget omnem pœnam tam præſentis quàm futuri ſęculi, pro peccatis electorum: & ſi quid patiantur in præſenti ſæculo, id negat habere rationem pœnæ. Verùm in hoc à nobis diſſident, quòd non admittant ſatisfactionem fieri ab homine pro pœna debita, tum quod hoc homini ſit impoſſibile Deo, inquam, ſatisfacere. Deo nanq; & parentib. non redditur æquiualens: tum quia hoc videtur derogare beneficio Chriſti, qui pro nobis ſufficientiſſimè ſatisfecerit. Verùm hæc argumenta multis annorum circulis propoſita & ſoluta in ſcholaſticis doctoribus, poſsint vidiſſe ſi dignati fuiſſent eos inſpicere. Rurſus hoc inter nos & aduerſarios in controuerſiã venit, an per claues eccleſiæ poſſit quiſpiam remitti de pœna hac reſtante poſt culpã remiſſam. Verùm huius defenſio magis ſpectat ad materiam indulgentiarum, quæ inferiùs tractabitur. Scripturæ autem docent non ſolùm nos auertere pœnam deprecando, quæ ſupereſt de peccatis noſtris, nec ſolùm vindictam Dei in nos ſufferendo, verùmetiam quod hanc pœnam poſſumus redimere, qui adhuc redimit reddendo aliquid æquiualens, ſatisfecit. Cùm igitur iuxta ſcripturas peccata poſſumus & iubeamur redimere, ſine reatu pœnæ ipſis debitæ, conſtat quòd

Lutherus.

Caluinus.

Quomodo pœna peccatis debita redimi poſſit.

pro ipſo poſſumus ſatisfacere, offerendo Deo patri aliquid æquè gratum, aut gratius illi, quod iuxta leges eius pro peccato deberemus ferre: verùm quia hoc ipſum offertur diuinę amicitię, per hunc modũ ſatisfit Deo, non ſecũdum æqualitatem quantitatis, ſed ſecundũ æqualitatẽ proportionis: vt pulchrè docet D. Tho. diſt. xv. & alij doctores. Audiamus quid dicat D. Greg. ca. xxx. lib. præallegati. Recurrat (inquit) in memoriam quod per Eſaiam admonet dominus, dicere. Quieſcite agere peruersè, diſcite bene agere, quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduã, & venite, & arguite me, dicit dominus. Ei quem arguimus, rationis authoritate cõtrahimus. Et quid eſt quod dominus admonens facere nos, niſi quod addit: venite & arguite me, apertè inſinuans, quantam bonis actibus fiduciam præſtat, ac ſi patenter dicat. Rectè agite, & animaduerſionis meæ motibus non iam per deprecationis gemitũ, ſed per iudicium authoritatis obuiate. Et infrà interpoſitis aliquot ſcripturæ exemplis: poſſunt (inquit) recti cuilibet per acceptę pœnitentiæ meritum aliquãdo præſentis motibus animaduerſionis obuiare. Pro intellectu ſolutionis replicæ & præcipuè obiectionis, quam faciunt aduerſarij, diligentiſſimè aduertendum eſt, quænam beneficia nobis à Christo proueniãt, & quę nõ ex eo nobis proueniũt. Sciendum eſt igitur Chriſtũ vnigenitũ Dei filiũ ad hoc præcipuè in mundũ veniſſe, & pro nobis paſſum & mortuum, vt nos Deo patri reconciliaret ſublata inimicitia, quæ inter nos & ipſum erat propter peccata noſtra, vt nos in filios adoptaret, & transferret in regnũ dilecti filij eius, hæredeſque regni conſtitueret. Hinc potiſſimùm his epithetis celebratur in ſcripturis, vt dicatur

Gregorius.

Quæ beneficia nobis ex Chriſto proueniant.

catur mediator, pacificator, reconciliator, redemptor, ſaluator, &c. Secūdò aduertendum eſt, quòd nulla ho rum beneficiorum præſtat nobis Chriſtus, (de adultis loquor) niſi cooperantibus ad ea nos diſponētibus per fidē, & pœnitentiam ac ſuſceptionem ſacramētorum: hæc ſi per noſipſos pręſtare potuiſſemus, Chriſtus ad hæc nobis impetranda & donanda non fuiſſet mortuus. Hinc apoſtolus argumētatur. Si enim ex lege eſſet iuſtitia, gratis Chriſtus mortuus eſſet. Et alibi quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato dominari peccatum in carne, vt iuſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundū ſpiritū. Quamuis autem non poſſumus ipſi hæc præſtare, ſed neceſſe ſit vt ipſe immediatè per ſeipſum efficiat in nobis: poſſumus tamē vtcūq; nos ad ea ſuſcipiēda pręparare, & diſponere cū eius adiutorio. Atque vt id, quantūcunque pręſtemus, requirit & perſpicit, atq; adſpirādo nos pręuenit, & adiuuādo proſequitur, hocq́; noſtrę ſaluti ac patris honori magis congruit, quàm ſi nos ſine vlla noſtra cooperatione iuſtificaret, patri reconciliaret, in filios adoptaret, & corpori ſuo vt mēbra viua inſereret. Atq; ita rē ſe habere ex ſcripturis clariſſimum eſt, quę monent, hortantur, pręcipiunt, vt credamus, vt pœnitentiam agamus, ſicque paremus domino viam, vt rectas videat & inueniat ſemitas noſtras, & cōuertamur ad ipſum, vt prębeamus ei cor noſtrum, vt illud emundemus, purificemus.

Chriſti epithet a.

Nota.

Tertiò ſciendum, ꝙ poſtquàm iā Deo ſumus reconciliati, & Chriſto incorporati, & ſicut membra eius viua eodem quo ipſe iuxta humanam naturam ſpiritu

imbuti: eadem quoque vita qua ille præditi, non ſolū Deo placemus per hunc ſpiritum, verùm opera præſtamus ei grata & accepta:neque enim fieri poteſt, vt ſpiritus qui tam inſignium operum eſt in capite principium,ſit in membris otioſus:prȩſertim in viuis,& ab eo viuificatis: verùm quemadmodum vnus eſt ſpiritus in capite operans,ita eſt in cȩteris membris:tametſi copioſiùs in capite. Non enim ad menſuram dedit ei Deus ſpiritum: In membris autem eſt iuxta menſuram donationis Chriſti, ita eaſdem exercet vires, eadem producit opera in membris,quæ in capite, ea faciens quæ congruunt ſaluti cuiuſcunque membri,per varia dona & chariſmata gratiarum,quæ ſecum aduexit,Fidem,Spem,& Charitatem, reliquaſque virtutes. Quemadmodum autem non poſſunt patri non placere opera Chriſti,capitis, propter ſpiritū ex quo proficiſcuntur:ita eadem ratione fieri nequit, vt ea deſpiciat, quæ in membris & per membra fiunt ab eodem ſpiritu.Docent iſtud palàm ſcripturæ. Primùm iuſtificatis donari ſpiritū Chriſti, & de plenitudine eius nos omnes accipere.Secūdò docent hūc ſpiritū larga donorum & chariſmatum ſpiritualium copia affluere. Tertiò docent per eundem ſpiritū agi iuſtificatos, & moueri iiſdem motib.ad quos eſt efficax & mouet in capite. Poſtremò hæc opera Deo patri eſſe gratiſsima, & acceptiſsima, vſqueadeò vt propter ipſa gratiā augeat,quæ ipſam pœnam delet temporalem: quæ reſtat poſt culpam dimiſſam, imò propter ipſa, vt rectè docet D.Thom.delet pœnam æternam, imò & ipſam pœnam illis ad hȩc non ſolùm diſpoſitiuè concurrentibus, quomodo ea ad iuſtitiam & reconciliationem concurrere diximus, verùm etiam effectiuè expellit

cul-

culpam, quam deteſtatur & odit: licèt enim tempore ſimul infundatur atque remittitur culpa: priùs tamen natura, non ſecus atque in rebus naturalibus, ſic ſe habet res, quòd nemo ſeipſum generat, nullus ſibi vitam & ſpiritum infundat, verùm cauſam extrinſecam neceſſe eſt habeat vnumquodque ſuæ generationis & vitæ. Verùm res vt genita eſt, corpus ipſum ſtatim vt ſpiritu viuificatur, incipit producere vitales operationes, eaſdem quas ea res producit, à qua eſt progenitum & viuificatum, ſeipſum vegetando, nutriendo, augmentando, & tandem ſibi ſimile generando, ſanando & reparando, ſi fortè in morbum aliquem inciderit, &c. Ita in hoc negotio ſupernaturali res geritur, nullus ſeipſum regenerat, nullus ſeipſum Chriſto incorporat, vitam ceu ſpiritum viuificātem ſibi nemo infundit: verùm vni Deo & Chriſto hæc tribuuntur, qui hæc per ſe & immediatè operatur. At vbi homo iam regeneratus eſt, vbi Chriſto capiti incorporatus eſt: eaſdem peragit operationes, quas ipſe Chriſtus, à quo regeneratus eſt, cuiuſque ſpiritu dotatus eſt. Hoc explicare volens Saluator ait, Ioan.xv. Ego ſum vitis vera, & pater meus agricola eſt: ſicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic nec vos niſi in me manſeritis. Ego ſum vitis, & vos palmites: qui manet in me, & ego in eo. Hic fert fructum multum, quia ſine me nihil poteſtis facere. Ex his igitur manifeſtum euadit dogmata eccleſiæ de meritis bonórum, de ſatisfactionibus humanis non ſolùm non derogare quicquam gratiæ Chriſti, aut eius beneficio dettahere, meritúmve, aut eius ſatisfactionem extenuare: Verùm hæc ipſa plurimùm ea illuſtrāt, & multò commendatiora reddunt, quàm eſſet, ſi ita res ſe

haberet:vt fingunt aduerſarij. Quoniam adeò copioſa fuiſſe ſcitur Chriſti redemptio & ſatisfactio, adeoq; vberans eius meritum,vt in nos quoque redundarint, & nobis vires merendi & ſatisfaciendi obtinuerint: quod multò plus eſt,quàm ſi in ſua ſolius perſona meritus eſſet,& ſatisfeciſſet, & fructus horum nobis impertiretur ocioſè degentibus & nihil cooperantibus, ſed duntaxat recipientibus operationes eius in nobis. Quemadmodum vitis feracitati non derogat, quòd palmites habeat, qui fructum proferant copioſiſſimum: ſed vitem hoc maximè commendat, & eius vbertatem prædicat. Certè vt fortaſſis maior gratia foret condonare filio ſimul cum cupla omnem etiam pœnæ reatum, nec tamen honori patris idem congrueret, nec eius ſapientiam deceret: nec noſtræ ſaluti conduceret, indulgentia enim nimia foret, non proinde clementia vtilis filio foret; iam ſecundò, aut tertiò peccantem impunè in gratiam recipere: citra vllam paternam diſciplinam & caſtigationem, daretur ſi quidem occaſio non magnifaciendi offenſam patris:ſicut quidem cecinit: *Blanda patrum ſegnes facit indulgentia natos.* Hinc non abs re dixit ſapiens. Qui parcit virgæ,odit filium ſuum:qui autem diligit,illum inſtanter erudit.Huius conſideratione D. Paulus Hebræos multis modis afflictos conſolatur,dicens (& ſimul reprehendit eos,qui obliti ſunt conſolationis per ſcripturam Sapientis Prouerbior.j.)Fili mi, noli negligere diſciplinam patris,neque fatigeris, dum ab eo argueris:quem enim diligit dominus, caſtigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. Poſteà ſubdit aliud argumentum à minori ſumptum ex diſciplina

pat

patris carnalis. Deinde patres quidem (inquit) carnis noſtræ, eruditores habuimus, & reuerebamur eos, & non multò magis obtemperabimus patri ſpirituum, & viuemus? Deinde ſubiungens vtilitatem huius eruditionis & diſciplinæ Dei erga ſuos fideles addit. Et illi quidem in tempore paucorum dierum ſecundum voluntatem ſuam erudiebant nos: hic autem ad id quod vtile eſt in recipiendo ſanctificationem eius ſubdit. Omnis autem diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudij, ſed mœroris, poſteà autem exercitatis per eam reddet fructum paratiſſimũ. Vides vt maximè deceat ſapientiam patris, & congruat vtilitati filij paterna diſciplina & correctio, præſertim in relapſo: nam quandoque congruit paternæ clementiæ, vt primam culpam ſine flagello remittat: interdum etiam poteſt eſſe tanta humiliatio filij iteratò peccantis, vt pater penitus condonet, eam humiliationem vice paternæ diſciplinæ habens. Atque ad hunc modum videmus Deum cum hominibus agere: in baptiſmo nanque plenè tollit primum peccatum, nec vllam exigit diſciplinam, correctionem, aut ſatisfactionem. Interdum etiam relapſis propter vehementiam doloris, & contritionis cum culpa ſimul remittit pœnam omnem, verùm hoc nequaquam eſt regulare. At obijcias. Cùm Deus dicatur non recordari iniquitatum omnium, quotquot ingemiſcentes pœnitentes commiſerint, quomodo tunc in Deo conſiſtit hæc vindicta, & tam ſeuera plerunq; animaduerſio, quam requiri dicimus à pœnitente? At quis eſt, qui neſciat hoc obtinere communem loquẽdi conſuetudinem, vt dicatur quis non recordari ad-

uerſum commiſſa, quãdo depoſuit hoſtilem animum & amarum erga eum, qui ſe læſit, quanquam adhuc requirat reparationem damni ſui. Sic ergo quanquam Deus à pœnitente adhuc requirat reparari honorem ſuum, & reſtaurare iuſtitiam per ſatisfactionem, recto & vſitato ſermone dicitur, non recordari ampliùs iniquitatum, quando pœnitenti recõciliatus eſt, reſtituẽdo eum in gratiam, & priſtinæ reſtituendo amicitiæ. Tu propitius fuiſti eis (inquit Pſalmiſta) & nihilominus (vt mox ſubiungit) vlciſcẽs in omnes adinuentiones eorum. Et rurſus: Viſitabo in virga iniquitates eorum, attamen miſericordiam meam (inquit idem Dominus) non diſpergam ab eis, neque nocebo in veritate mea. Vides vt cum vltione conſiſtat propitiatio, vt cum viſitatione iniquitatum miſericordia, non recordans earum, imò neq; nocens: non enim nocet flagellum patris corripientis in miſericordia, & miſerationibus, ſed quàmplurimùm prodeſt: continet enim animum filialem, in timore & amore patris, in quo niſi inſtanter nos tenuerimus, citò ſubuertetur domus noſtra. Nullius quoque momenti eſt, quod adferunt Chriſtum tollere peccata mundi. Item quòd Deus poſuit in eo iniquitates omnium noſtrûm, quòd lauguores noſtros ipſe portauit, & tulit dolores noſtros. Ad hæc quod dicitur Eſa. xliij. Ego ſum ipſe qui deleo iniquitates tuas propter me, & alia eiuſmodi, quæ adferunt aduerſus ſatisfactiones noſtras, facilè ex dictis ſolui poſſunt. Suſcepit in ſe ſine dubio Deus cauſam noſtram, & noſtra peccata ſuſtulit, verùm non ſolùm in ſe, & per ſe, verùm etiam in corpore ſuo, in quo adhuc quotidie patitur, & ſatisfacit effectualiter, (vt ſic loquamur) quod in ſe ſatisfecit ſufficienter. Conantur

Quomodo Deus portat iniquitatẽ omnium noſtrũ, & tollat peccata mundi?

prætereà euertere id quod putant noſtrum præcipuũ fundamentum, noſtræ inquam, ſatisfactionis, ſcilicet, ſcripturam illam. Facite fructus dignos pœnitentiæ. Cùm enim hoc preceptum baptizandis detur, conſtat non pertinere ad ſatisfactionem. Baptizandis enim quemadmodum ſuprà diximus, nulla iniungenda eſt ſatisfactio. Ad hoc dicendum eſt, præceptum illud eſſe generale, pertinens ad omnes adultos peccatis ob noxios. Hi omnes vt conſequantur remiſſionẽ & veniam delictorum debere facere fructus dignos pœnitentiæ, id eſt, opera proficiſcentia ex animo verè pœnitente, & mœrente ſuper peccato ſuo: quemadmodũ fructus ſpiritus dicuntur dona gratiarum, quæ proficiſcuntur ex ſpiritu. Eiuſmodi fructus pœnitentiæ digni cenſentur cùm reſpondẽt quantitati culpę, & doloris, qui debet eſſe iuxta quantitatem culpæ: eiuſmodi fructus ſunt agnitio offenſæ, dolor de offenſa, propoſitum emendandi vitam, deſyderium redeundi in gratiam, amplexus mediorum ad id neceſſariorum, & eiuſmodi, quæ quiſq; peccator debet habere, ex vi & obligatione huius præcepti. Alia, vt ieiunia, vigiliæ, eleemoſynæ & abſtinentia à multis per ſe licitis, & alia de quibus Gregor. Chryſoſtomusque diffusè in expoſitione dicti loci proſequuntur, quæ ſi naturaliter ad effectum veræ pœnitentiæ non exigantur, atque eorum omiſſio crimine careat, non tamen omni culpa. Ad hæc frequenter adhortantur veteres, quod hæc conducant ad placandum Deum. Vide Ambroſium in Epiſtol. ad quandam corruptam, quam ad pœnitẽtiam exagitat. Et D. Hierony. in comment. ſuper Malach. Ac Cyprianum ſerm. v. de lapſis ſuperiùs citato. Quos tamen omnes eiuſmodi tam operoſam, tam vi-

Cauilatio hæreticorum.

Fructus digni pœnitentiæ qui ſunt?

uam,ardentemque & diuturnam pro grauioribus illis criminibus pœnitentiam docentes, exigentes, hoc agere & exegiſſe exiſtimamus, non quòd miſericordiæ motas voluerint præſcribere, & tempora, vt quæ etiam quacunque hora peccator ex intimo cordis verè contriti, humiliatique pro peccatis ingemuerit, & ad ipſum ſupplex conuerſus fuerit, parata eſt, ſed quòd intellexerimus, diuinam nihilominus iuſtitiam, etiam pro remiſſis peccatis, ſecundum eorundem magnitudinem (quemadmodum paulò ſuperiùs etiã ex diuinis ſcripturis clariſſimè demonſtrauimus) punitionem exigere, quam ipſa ad nouiſſimum quadrantem exactura ſit: niſi ipſi nos in nobiſmetipſis eandem exercuerimus, aut charitatis feruore, aut operibus pietatis, in proximos eius remiſſionem obtinuerimus. Hæc autem quiſque eò magis amplectetur, quò ſpiritu feruentiori fuerit quiſque præditus, & præter has pœnas poſt culpam dimiſſam excepta iniuncta per ſacerdotem ſatisfactione, non ampliùs de neceſſitate ſalutis requiritur, quàm quod pœnitens paratus ſit, ſubmittere Deo flagellum & iudicium, vt ſi quod immittat, patienter ferat, ſiue in præſenti, ſiue in futuro ſœculo.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

De libero arbitrio.

Certa fide tenendum eſt, hominem habere liberum arbitrium, quo poteſt malè & cum gratia Dei bene agere, & poſt peccatum admiſſum Deo adiuuante pœnitere, & peccatorum remiſsionem conſequi.

Hoc

HOC articulo explicatur naturalis facultas liberi arbitrij cum ſuis actibus; tam ijs, quos ex ſe poteſt operari, quàm ijs, quos cum adiutorio diuinę gratiæ producere valet, tam ante, quàm poſt peccatum remiſſum. Primùm igitur tractandum eſt, de ipſa ratione huius nominis, liberum arbitrium, iam olim à patribus in vſum recepti, ad explicandam liberam hanc facultatem in homine exiſtentem, neceſſariò & inſeparabiliter, quandiu manet homo, creaturaque rationalis, quanquam eius vſus multipliciter poſſit impediri, vt patet in pueris & amentibus. Initio igitur aduertendum eſt arbitrium Latinis ſignificare propriè *iudicium, & arbitrari iudicare:* hinc arbitrum communiter iudicem dicimus, non quidem à lege danda, ſed à partibus contendentibus aſſumptum, cuius iudicio, ſententia, ac definitione lis, quę inter ipſos eſt, determinatur. *Liberum autem eſt, quod eſt indeterminatum ab vtroq; oppoſitorum*, vel contrariorum, *vel contradictoriorum: & opponitur liberum naturali, & determinato ad vnum.* Sic ergo liberũ arbitrium non eſt aliud quã indifferens & indeterminatum iudicium ad hoc, & ad illud: *quanquam etiam Latinè loquentium conſuetudine interdum arbitrium ad ſignificandam poteſtatem transferatur*, tam apud ſacros quàm apud prophanos ſcriptores. Secundò quò propiùs ad noſtrum inſtitutum accedamus, conſyderandùm iudicio cuilibet reſpondere ſuam appetitionem, ſicut cuilibet potentiæ iudicatiuæ reſpondet ſuus appetitus: ſenſui nanq; reſpondet appetitus ſenſitiuus, intellectui verò appetitus intellectiuus (quanquàm hoc controuertatur apud Philoſophos in ſingulis potẽtijs

Ratio nominis liberũ arbitrium, ſiue ethymologia vocabuli.

ſenſitiuis etiam exterioribus ſinguli correſpondeant appetitus ſenſitiui) id quod minus videtur probabile: videtur enim omnibus ſenſibus communem eſſe vnum appetitum ſenſitiuum,qui quidem per ſe & immediatè reſpondet æſtimatiuæ. Tertiò aduertendum, appetitum ſiue de actu,ſiue de potentia intelligas, ſequi neceſſariò naturam & conditionem ipſius potentiæ iudicatiuæ,vel actus eius,ita vt ſi liberum ſit & indeterminatum iudicium:appetitus quoque liber ſit & indeterminatus ad appetendum , ceu acceptandum, vel refutandum quod ipſi proponitur:iuxta quod ipſi ex iudicio proponitur vel acceptandum, vel refutandum. Similiter ſi naturale ſit iudicium & indeterminatum ad vnum, appetitus quoque naturalis liber ſit & indeterminatus oportet. Proinde libertas ſi qua eſt in homine ratione rerum agendarum vtrique potentię eſt communis appetitui , ſcilicet intellectiuo , ſiue intellectui,ſiue rationi & voluntati.Verùm alia & alia ratione,tam in actibus,quàm in potētijs correſpondentibus:*non poteſt enim actus eſſe liber, niſi & eius potentia ſit libera , neque è conuerſo , niſi fortè potentia ab vſu ſuæ libertatis impediatur.* Hinc magiſter diſt. xxiiij. ij.poſt Do.Auguſt. definit *liberum arbitrium eſſe facultatem rationis & voluntatis.* Rationis quidem eſt hæc libertas originaliter,formaliter & radicaliter:non enim poteſt conſiſtere , ſi rationis iudicium eſſet ad vnum determinatum. Voluntatis autem eſt eſſentialiter,formaliter & ſubiectiuè : ipſa enim eſt , quæ tã liberè ſuos elicit actus,quã aliarũ potẽtiarũ actibus imperat:*pẽdet tamen hæc eius libertas ex indeterminatione intellectus,ceu rationis,*eſtq́; ea naturaliter poſterior, vt omnis effectus ſua cauſa,& nihilomin⁹ ab ea libertate

Definitio liberi arbitrij.

intrin

Liberum arbitrium eſt voluntas ipſa pro ut libera eſt.

intrinſecè liberi denominãtur ſoli actus eliciti à volũtate extrinſecè autẽ & per participationem quandam actus aliarum potẽtiarum, etiam rationis. Quod enim non iudicet intellectus per priùs aut poſteriùs, quod nunc hoc, nunc illo modo iudicet, ex voluntatis libero arbitrio & imperio pendet. *Hinc fit, vt liberum arbitrium eſſentialiter ſit ipſa voluntas non intellectus, aut quæcunque alia potentia.* Vnde duplex, eſt flexus in ipſa voce. Primùm enim nomen actus ad potentiam ſignificandam transfertur: arbitrium enim, ſicut ſuprà diximus, propriè actum ſignificat. Secundò nomen cauſæ tranſſumitur ad ſignificandum effectum: *arbitrium ſiquidem propriè ad intellectum ſpectat: dum autem ei adiungitur liberum, transfertur complexũ hoc liberum arbitriũ ad ſignificandum voluntatẽ, prout libera eſt: quoniã libertas principaliter & eſſentialiter eſt in ipſa, licet in ratione cuius eſt iudicare & arbitrari ſit originaliter. Ipſa nanq; indeterminatio rationis in iudicãdo, cauſa eſt indeterminationis voluntatis in appetẽdo, & vtriuſq; prima cauſa eſt,* generalitas obiecti ꝓprij & poteſtas reflexus ſuper proprio actu. Vt enim volũtatis propoſitũ eſt generalis ratio boni, ita intellectus generalis ratio veri. *Vnde ratio poteſt apprehendere velle & nõ velle bonum, item agere & non agere.* Et rurſus in omnibus partibus boni, poteſt conſyderare rationem boni alicuius, & defectum alicuius boni, ſiue honeſti, vtilis, delectabilis: qui quidẽ defectus habet rationem mali: & ſecundum hoc vnuſquiſque homo poteſt apprehendere aliquid vt eligibile, vel fugibile: & per conſequens circa vnum quodque eorum poteſt tam velle quàm nolle, tam acceptare quàm refutare: ſolũ autem perfectum bonum, quod eſt beatitudo, non poteſt ratio apprehẽ

Beatitudinē nō poteſt ratio hominis nolle.

dere ſub ratione mali aut alicuius defectus: *& ideo circa illud appetendum non eſt libera voluntas*, quod ad ſpecificationem actus, ſic videlicet vt poſsit illud nolle: quãquam pro ſtatu huius vitę adhuc libera maneat quoad exercitium actus. *Poteſt enim nō velle de beatitudine cogitare, & imperare rationi*, vt ſe auertat ab illius conſyderatione: & proinde *poteſt ipſa illud nō velle, non tamē poteſt eam nolle, aut refutare, vnde relinquitur, vt circa ea quæ ſunt ad finem duntaxat, propriè ſit libertas in ipſa videlicet eorum electione*: quemadmodū intellectus non eſt liber circa cõmiſsiua principia neceſſaria, ſed dũtaxat circa concluſiones, & maximè circa cogentia, prę ſertim quando nondũ cognoſcit compoſitionē & connexionē neceſſariã ad prēmiſſa, vt patet in Rhetoricis & Dialecticis perſuaſionibus. Præter hãc libertatē quæ eſt à neceſsitate proponũt nobis ſcripturæ ſacræ multiplices alias libertatis ſpecies, quas recenſet pręallegata diſt.ij. ſentẽtiarum. *Alia eſt enim libertas à peccato*, de qua dicitur. Si filius Dei vos liberauerit, verè liberi eritis: & hęc eſt Euãgelica libertas. *Alia eſt libertas à miſeria & omni corruptionis defectu.* Verùm de his nulla nobis eſt cõtrouerſia, cũ aduerſarijs. Fatentur enim nobiſcũ neutrã ſaltē perfectã reperiri in vllo homine pro ſtatu huius vitę: omnes enim mortales ſumus & peccatores, quum affirmet D. Io. Quoniã ſi dixerimus quoniã peccatũ non habemus: noſipſos ſeducimus, &c. & D. Paulus. Statutũ eſt omnibus hominib⁹ ſemel mori. *Verùm diſceptatio omnis eſt de libertate ea quæ eſt à neceſsitate:* hanc enim excludũt aduerſarij, docentes hominē duntaxat *à coactione liberũ eſſe, quia ſcilicet ſpõte & nõ coactè fertur in ea quæ eligit. Quæ res adeò in confeſſo eſt, vt videatur implicare cõ*

De multiplici libertate.

Aduerſariorũ dogma de libertate.

cra

tradictionem oppoſiti, quempiam ſcilicet coactè, hãc libertatẽ in pueris & amentibus reperias, imò in beſtijs. Sũt enim horũ motus in obiecta volũtarij & ſpõtanei. Hinc Philo. in iij. Æthic. dicit pueros & bruta cõuenire in volũtario. Itẽ Gre. Nicenus & Damaſcenus. Verùm magnã eſſe differentiã inter hoc, modo ſpontaneũ, & liberũ, priùs dictũ eſt, libertate videlicet, nõ coactione ſolùm, verùm etiã à neceſſitate docet idẽ Ariſt. prealle. loco, c. xx. *Oſtendẽs quidẽ omnia libera, ſpõtanea eſſe, verùm nõ ẽ cõuerſo.* Motus nanq; volũtatis circa finẽ & circa media verſatur, neceſſariò connexa fini: ſpontanei quidẽ ſunt vltronei & volũtarij, verùm nõ liberi. Similiter nec ij qui preueniũt omnẽ rationis deliberationẽ, veluti ſunt motus primi mobilis. *Liberi nanq; actus propriè ſunt dũtaxat ij, quorũ ſumus domini, quoſq; in noſtra poteſtate habemus.* Quapropter cõcludit ibidẽ Ariſt. nõ eſſe libertatem aut liberam electionem *circa habitus*, aut ipſorum potiùs permanentiam: neque enim hos in noſtra poteſtate habemus, vt ſtatim cùm volumus, poſſimus eos in nobis aut producere, aut iam longa conſuetudine agendi partes protinus delere. Verùm *circa actus* voluntatis reſpectu mediorum præſertim non neceſſariorum ad finem eſt libertas hæc circa ipſam electionem: rurſus circa ipſos actus rationis, qui ſunt conſultare, iudicare, imperare, aſſentiri, diſſentiri, credere, diſcredere. Hinc Auguſtinus, credere non poteſt homo niſi volens.

Ariſtoteles.

Liberi actus qui dicendi ſunt.

Hanc libertatem primùm docet rationalis, ex qua Philoſophi gentiles non imbuti fide eam collegerunt. Hanc vſqueadeò neceſſariam retinere putauit Cicero, vt cùm non poſſet perſpicere, quomodo cum ea conſiſteret diuina præſcientia, hanc ma-

Arbitrij libertas per Philoſophos naturales probatur.

Cicero.

luit negare eſſe in Deo, quàm liberum arbitrium tollere, vt quo ſublato, videret penitus actum de omni humana vita, & conuerſatione, nullum relictum eſſe locum legibus, obiurgationibus, laudibus, exhortationibus, præmijs denique & ſupplicijs. Quis enim non videt abſurdiſſimum eſſe id cuipiã mãdare, quod nõ eſt in ſua poteſtate? Quis nõ iudicarit contra omnem rationẽ, quẽpiam aut obiurgare, aut præmiare pro re admiſſa, quã nõ potuit cauere, aut pro ea omiſſa quã nõ potuit præſtare? Rurſus quã laudẽ, quod præmiũ is meretur, qui id facit, quod non poteſt omittere, aut id omittit, quod non poteſt admittere? Vide Aug. lib. v. de ciuit. ca. x. An tamen hæc ratio euidentiam faciat ipſius libertatis arbitrij dubitari fortaſſis poſſet. Conantur aduerſarij multis modis id refellere. Adfertur tamen ea ratio, nedũ ab Ethnicis & recẽtioribus ſcriptorib: catholicis, verùm etiam ab vetuſtis patribus Aug. Hyero. Chryſoſt. & alijs. Putat etiam D. Thomas, & cum eo multi alij ex ſola ratione poſſe demõſtrari euidenter eſſe liberum arbitriũ in homine, & ad hoc adducit demonſtrationem in quæſt. j. de materię veritate. Veruntamen non eſt hoc præcipuum fundamentum, cui innixi ſunt ſemper vniuerſi doctores catholici: verùm præcipuè innixi ſunt tum ſcripturis ſacris euidentiſſimis, tum eccleſiæ traditioni, quæ ab ipſis apoſtolis per continuam ſibi inuicem ſuccedentium patrum ſeriem ad nos vſque dimanat, imò nec ſolùm ab ipſis apoſtolis, ſed à mundo condito ortum habet hęc conditio: id quod ſcripturæ veteteſtam. palàm demonſtrant, Geneſ. iiij. ait dominus ad Cain. Subter eſt appẽtitus tuus, & tu dominaberis illius. Item creauit Deus ab initio hominem rectum, & reliquit eum in manu

D. Thomas.

R ij conſi-

conſilij ſui, adiecit mandata, & præcepta ſua. Si volueris mandata ſeruare, conſeruabunt te. Appoſui tibi aquam & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malũ, quod placuerit ei, dabitur illi. *At dicerent aduerſarij his ſcripturis nil aliud ſignificari, quàm in homine eſſe deliberationem & conſultationem, & electionem omniũ, quæcunque ipſe voluerit, citra vllam violentiam aut extrinſecam coactionem: veruntamen ad hæc omnia eſſe neceſſitatem talem, per quam non poßit in oppoſitum eorum, quæ facit ſiue deliberando, ſiue eligendo.* Sed his palàm & irrefragabiliter obſiſtit, quod dicitur Eccleſ. xxxj. in cõmendatione viri diuitis iuſti, quòd potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit. Item ſi non ſit in homine poteſtas faciendi ea, quæ non facit, quomodo dicit D. Paulus (vt ad ſcripturas noui teſtamenti deſcendamus) j. Corin. ix. Nunquid non habemus poteſtatem manducandi & bibendi? nunquid non habemus poteſtatẽ mulierẽ ſororem circunducẽdi? *ſed non vſi ſumus hac poteſtate, ſed omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Chriſti*, & j. Theſſ. ij. ſimilia. Vides vt multa potuit Paulus velle & facere, quæ tamen nec fecit, nec voluit. Ad hunc modum, & Chriſtus dicebat Petro, Matt. xxvj: Non poſſum rogare patrem meum, & exhibebit mihi, &c. vbi vides Chriſtum non oraſſe pro ſubſidio, cùm tamen potuerit, ſi voluiſſet. Rurſus vides patrem potuiſſe ferre ſuppetias filio, id quod tamen non fecit: *quo cõuincitur & aliud plus quàm inſanum dogma, quod audet aſſerere Bucerus* ſcribens aduerſus Pighium, ſcilicet *ipſum Deum neceſſariò facere, & non poſſe non facere quæcunque facit; & proinde etiam non poſſe facere*

Effugiũ aduerſariorum quod neceſſario operatur.

Dogma Buceri.

quod non facit: id quod impium eſt, & blaſphemum, ſcripturis quoque euidenter contrarium. Attamen an poſſit ex ratione naturali euidenter demonſtrari Deũ eſſe liberi arbitrij, variè ſentiunt recentiores ſcriptores ſcholaſtici. Quidam inſignis ſcriptor reſoluit, ꝙ non, imò putat quòd iuxta ſolius naturalis rationis lumen procedendo veriſimilius apparere Deum non contingenter agere quæ agit, & liberè. Deinde mouens ſimilem quæſtionẽ de libero hominis arbitrio, arbitratur quidem non poſſe illud euidẽter ratione naturali demonſtrari: quamuis hoc rationi naturali valde conſentaneum ſit. Verùm in his citra periculum hæreſis variè opinantur Sapientes: quemadmodum & quæſtiones hæ ſunt extra materiam fidei in præſuppoſita deliberatione rationis, quę eiuſmodi iudicio practico, ſiue imperio de appetẽdo aliquid, aut refutando poſſit voluntas illud nõ appetere. Cuius quęſtionis affirmatiua nobis probabilior videtur: apparet enim quòd illis propoſitis voluntas poſſit ſuſpendere actũ ſuũ, putà quia iudicium habet ſuſpectum, & cupit ampliùs deliberare. Rurſus vtrũ eo ipſo inſtanti, quo homo bene vult: poſſit priùs, licet natura malè vellet. Cuius quęſt. negatiuam partem tenet Okam. Verùm in hoc ab eo omnes reliqui ferè deficiunt: *quamuis enim quicquid eſt, neceſſariò eſt: tamen hæc ipſa neceſſitas ex libera electione præcedenti eſt*. Sic circa ſecundam partem articuli, in qua agitur de vſu liberi arbitrij, quæſtio mouetur: cuius vtraque pars ſuos habet catholicos defenſores. *Vtrum liberum arbitrium nihil poſſit boni aut velle, aut facere ſine peccato, ſi omne opus quod ex ſe facit: non mouente gratia ſit peccatũ?* Quibuſdã enim videtur ipſam voluntatem per peccatum ſic eſſe depreſſam, ad carnis

Dubium.

nis commoda, ſicque inordinato ſui amore occupatum, vt ex ſeipſa non poſſit ſe ſolo iudicio naturalis rationis erigere ad bonum veræ virtutis: quod ferè ſentiunt omnes, qui his noſtris temporibus aduerſus Lutheranos ſcripſerunt, docentes, quòd etſi bonum ſit, quod appetitur, vitiari tamen per ipſam electionem, intentione peruerſi finis: qui eſt amor proprius, quo ſe ipſum amat, vt finem ſupra Deum. Dominus Auguſtinus libro Hypognoſticon, & pluribus alijs locis, & poſt eum Dominus Thomas cum eius ſequacibus. Idem Auguſtinus libro de bono perſeuerantiæ diſtinguit duplex genus bonorum. Quædam enim ſunt quæ pertinent ad veram pietatem & cultum Dei, atque hominis ſalutem, *& ad hæc non poteſt homo ſolis viribus ſuis ſine gratia Dei pertingere.* Non enim ſufficientes ſumus, ne cogitare quidē aliquid boni ex nobis. Alia ſunt bona quæ rectæ rationi conformia ſunt, & hæc homo ex ſe poteſt præſtare ſine gratia. Hinc dicit apoſt. Ro. ij. Quòd gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt: verùm ex nobiſipſis gratia Dei deſtitutis, multò magis ad mala propenſi ſumus. Senſus enim & cogitatio hominis ad malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua: & hanc pronitatem & propenſionem naturæ ferè ſequimur, quandiu non ſumus per gratiam ſuam. Priuſquàm ad ſecundam articuli partem explicandam deſcendamus, eſt aduertendum libertatem ad bonum & malum non eſſe eſſentialem libero arbitrio, aut conditionem ipſam naturaliter conſequentem: nam alioquin nec in Deo, nec in beatis, nec in damnatis, tam angelis, quàm hominibus eſſet liberum arbitrium. Deus ſiquidem cùm ſit ex ſua natura

Duplex genus bonorum.

Verti ad vtrumlibet nõ eſt lib. arb. eſſentiale, ſed tãtũmodo poſſe verti in oppoſita, & non eſſe determinatũ ad vnũ.

omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Loquimur autem de bono conducente ad ſalutem, vt loquitur Augnſt.c.xxvj.lib.de gratia, contra Pelagium & Celeſt.in quo quidem libro pulchrè & diffusè diſputat de gratia adiuuante liberum arbitrium in omnibus bonis actionibus, & voluntatibus contra præfatos hæreticos cap. xlvij. eiuſdem libri dicit hanc quæſtionem de arbitrio voluntatis & gratia Dei eſſe admodum diſſimilem ad diſcernendum, quoniam quando defenditur liberum arbitrium negari Dei gratia: liberum arbitriũ putatur auferri. Hinc hom.liij.ſuper Euang.Ioã. Dicit idem Auguſtinus quoſdam nimiam ſuæ voluntatis fiduciam extuliſſe in ſuperbiam, alios nimia voluntatis ſuæ diffidentia cecidiſſe in negligẽtiam. *Illi dicunt, vt quid rogamus, ne vincamur tentatione, quod in noſtra eſt poteſtate? Iſti dicunt. Quid conamur bene viuere, quod in Dei eſt poteſtate? Eccleſia Catholica media incedens ſemper via, ſic extulit Dei gratiam, vt libero arbitrio nequaquam præiudicaret.* Et rurſus: ſic defendit liberum arbitrium, vt nõ derogaret in vllo gratiæ. Verùm hæc duo in bonis operibus naturę ſemper coniunxit. Quod poſt B. Auguſtinum pulcherrimè explicauit Bernar.in fine li.de liber.arbit.& gratia. Apoſtolus (inquit) omne quod boni eſſe poteſt, id eſt, cogitare & velle, & perficere pro bona voluntate attribuit Deo, non ſuo arbitrio. Si (inquit) Deus hæc tria, hoc eſt cogitare, bonũ velle, & pficere operatur in nobis *primũ profectò ſine nobis, ſecundũ nobiſcum, tertiũ per nos facit.* Siquidem immittendo bonam cogitationem nos præuenit, ſanè ipſi nos præuenire nequaquam poſſumus: qui autem neminem bonum inuenit, neminem ſaluat, quem nõ præuenit. A Deo ergo ſine dubio no-

Auguſtinus.

Bernardus.

ſtræ fit ſalutis exordiũ,nec per nos vtiq; nec nobiſcũ: verũ cõſenſus& operis noſtri,vt ſi nõ ex nobis nõ iam tamen ſine nobis. Neq; primũ itaq; in quo nihil quippe facimus,nec vltimum, quod & plerũq; extorquet, aut timor inutilis,aut ſimulatio damnabilis: *ſed tãtum medium reputatur nobis in meritum, ſola nempe interdũ bona voluntas ſufficit,cætera non poſſunt, ſi ſola defuerit.* Et infrà. Cauendum(inquit) ne cùm hæc inuiſibiliter intra nos,ac nobiſcum operari ſentimus: *aut noſtræ voluntati attribuamus,quæ infirma eſt,aut Dei neceſſitati, quæ nulla eſt: ſed ſoli gratiæ qua plenus eſt.* Ipſa liberum excitat arbitriũ,cùm ſeminat cogitationes, ſanat cùm immuttat affectum,roborat,ne ſentiat defectũ. *Sic autem iſta cum libero arbitrio operatur, vt tãtùm illud primo præueniat in cæteris comitetur, ad hoc vtique præueniens, vt iam ſibi deinceps cooperetur, ita tamen quod à ſola gratia cœptũ,pariter ab vtroq; perficitur, vt miſtim non ſigillatim, ſimul non viciſſim per ſingulos profectus operentur,nõ partim gratia,nec partim liberum arbitriũ, ſed totum & ſingula indiuiduo opere peragunt,totũ quidẽ hoc, & totum illa, ſed vt totum in illo, ſic totum ex illa.* Hæc Bernar. Quibus verbis vides,quã diuinè explicet ſimul officium gratiæ & liberi arbitrij: dum docet primò omniũ gratia præueniri hominem,dum.ſ.gratuita Dei bonitate ei immittitur per varias orationes bona cogitatio, ſiue futuræ fœlicitatis,ſiue futurorum ſupplicɩorũ, & vitæ malè actæ,ſeu quæcunq; alia: quam quidem cogitationẽ,naturaliter quaſi cõſequitur affectio amoris,aut odij,deſiderij,aut fugę,aut alia ſimilis, Et hæc duo per ſuam gratiã Deus in nobis operatur, ſiue nobis cooperãtibus ad hoc vt faciamus nos eiuſmodi cogitate,aut eiuſmodi affectu moueri: quanquã

forte

forte ad hos actus non ſolùm paſſiuè concurrãt intellectus & voluntas,ſed etiã effectiuè: quemadmodum ad conceptũ & aſſenſum primorũ principiorũ, & naturalẽ nolitionẽ finis,qui actus non libero ſubſunt arbitrio,ſed naturales ſunt,ab ipſiſq; procedunt, vt ſunt naturales quædã potentiæ,& non vt ſunt actu liberę, & his ſimiles ſunt illi actus, in quibus Deus per gratiã nos præuenit,ſuntq; regulariter de ipſo fine ceu malorum,ceu bonorũ,quę nobis ob oculos mẽtis ponit, vt per hoc noſter affectus cõmotus ea cogitatione excitetur. *His ergo præuentũ lib.arb.in poteſtate habet conſentire aut diſſentire,acceptare,quod à Deo proponit,aut refutare,eo vti ad ſalutẽ,aut non vti. In hoc tamen conſenſu,aut in hac acceptatione cogitationis bonæ,ſibi diuinitus immiſſæ,& affectus recipientis neceſſe eſt iuuari gratia Dei, qua iuuetur in conſeruatione aut continuatione borum ſibi immiſſorum,& in vlteriori proceſſu ad amplexum mediorum,per quæ perducatur ad iuſtitiam,& tandem ad ſalutẽ,ſcilicet, ad recogitationẽ vitæ malè actæ, ad dolorem de eo ſuſcipiendum,ad ſacramentum baptiſmi aut pœnitentiæ deſyderandum & ſuſcipiẽdum, quo gratia conſequatur, & ab iniuſto & peccatore iuſtus efficiatur. Rurſus ad bene cogitandum,volendum,operandum,poſt acceptã iuſtitiã immutato iam penitus affectu per charitatẽ diffuſam in corde ſuo,per ſpiritũ ſanctũ ſibi in ſacramẽto datũ, & iam amãte cœleſtia ſibi per fidẽ propoſita, & ad quæ per ſpẽ erigitur:per q̃ omnia nõ quidẽ ex ſe facit liberũ arbitriũ,ſed gratia Dei iuuante & ſuauiter monente ipſum,iuxta quod congruit naturæ ipſius permittens ei plenam libertatem non ſequendi hanc motionẽ & ſuauem ductionem,& directionẽ, ſed deflectẽdi ad oppoſitũ.* Si enim tanta ſit in homine efficacia perſuadẽdi vt per

ſuadeat,vt videlicet citra hoc,quod aut intellectui ad aſſentiandum,aut voluntati ad conſentiendū vim aut neceſſitatē inferat,quantò magis hæc efficacia in Deo eiusq; gratia eſſe credēda eſt, per quam ſic nouit perſuadere,ſic dulciter attrahere, vt perſuadeatur homo, vt dulciter trahentem liberè ſequatur, *melle adactus, nulla neceſſitate impulſus.* Notandum in verbis Bernar. quòd ponit inter volūtatem bonam & actionem externam in ordine ad diuinam gratiā,differentiā, quòd hanc dicit Deum agere per nos,illam verò eum agere nobiſcum, quoniam ad bonam volūtatem ipſe Deus immediatè concurrit, ad actionē verò quodammodo mediante voluntate, quam vt afficit, continet ne per ſui immutabilitatē ad alia vagetur,& dilabatur, & inſuper eam roborat & firmat, vireſq; ei dat tantas, vt ad opus procedat.Inſuper & hoc aduerte D.Bernar.palàm hoc loco *ſtatuere meritum.* Nam ijs quæ præmittit paulò ante verba ex Apoſt.adducta,cùm adiutores Dei nos eſſe doceat diuina ſcriptura,vbi Deus homini benignè merita cōſtituit,vbi per ipſum,& cum ipſo boni quippiā operari dignanter inſtituit:hinc nos adiutores Dei,& cooperatores ſpiritus ſancti,promeritores regni nos eſſe præſumimus, quod per conſenſum vtiq; voluntariū diuinę voluntati coniungimur. *Quid ergo? Hoc igitur totum liberi arbitrij opus, hoc ſolum eius meritum quod conſentit,* non quidem quod vel ipſe cōſenſus,in quo omne meritum cōſiſtit,ab ipſo ſit, cùm nec cogitare quidem poſſumus quod minus eſt,quàm conſentire aliquid à nobis,quaſi ex nobis.Conferenda ſunt ergo cum hoc loco,quæ habet in ſerm. de annūciatione Mariæ,vbi quaſdam ſententias habet,quibus prima facie videri poſſet tollere omne meritū noſtrū:

quod

qđ nō aliter intelligēdū eſt, vt ex hoc loco liquet, niſi non ex nobis eſt, neq; ipſa vis merēdi, puta gratia, neq; meritum, *ſed vtrūq; ex Deo nobis tamen cooperantibus & merentibus*. Poſtremò vide quātū tribuat ipſi libero arbitrio, vt audeat dicere gratiā in cæteris ab illo, putà in velle ſiue cōſentire & operari ꝓcedere. Eandē prorſus doctrinam habet Auguſt. locis innumeris, lib. j. ad Simplicianum, q. ij. tom. iiij. & lib. de ſpiri. & litera, ca. xxxiij. & xxxiiij. Rurſus de bono perſeuerantię. ca. viij. ix. & ſequentibus. Item Ambr. in lib. de fuga ſœculi, ca. j. vbi docet primùm neceſſe eſſe, vt credat homo præcedere vocationem Dei, ſiue ſecretis per viſa mētis & ſpiritus, ſiue manifeſtioribus per ſenſus corporis manifeſtationibus vocaretur: *niſi enim vocādo præcedat dei miſericordia, nō poteſt quiſquā credere, vt ex hoc incipiat iuſtificari, & accipiat facultatem bene operādi. Hæc autē vocatio ſolius Dei eſt: nemo enim ſibi præſtare poteſt vt vocetur*. Quis enim in poteſtate habet, vt vel mēti occurrat, quod eum inuitat atq; delectat, vel vt delectet cùm occurrerit. Nō habet igitur in poteſtate quiſquā tali modo attingi mētem, quo eius voluntas moueatur ad fidem: *poſtquam autem ſua mera gratia præuenit nos, in noſtra poteſtatis arbitrio eſt, conſentire aut non cōſentire ijs, quæ credenda proponuntur: quanquam nec hoc ſine eius gratia poſſumus, qua non ſolū vocat nos, ſed hoc modo vocat, quo aptum eſt & congruum nos vocari, ne vocantem reſpuamus, ſed vt vocationē intelligamus & ſequamur: & ex ipſo inquam, vocandi modo pendet, quod vocatorum vnus ſequatur, alius nō ſequatur: iiſdem licet auditis & viſis: quia diuerſæ ſunt audientiū affectiones, quia vnius affectioni congruit ſic vocari, & nō alterius: qui etiam ſequeretur, ſi congruēter ille ſuæ affectioni vocaretur. Cur autem nō ſic vocetur, quomodo eum vocari*

Auguſtinus.

Ambroſius.

Quod niſi quiſquam à Deo vocetur, non poteſt iuſtificari.

congruit, vt ſequatur, ex Dei beneplacito pendet, cuius cauſam noli inueſtigare, ſi nolis errare. Quod tamen nō ſequatur qui hoc modo vocatur, ſibi imputet nolenti ſequi, non Deo ipſum iuſtè deſerēti: cùm ipſi liberum fuerit conſentire vocanti, ſi ad preces cōfugiſſet, quibus hunc cōſenſum impetraſſet à Deo, ſic eum vocāte, quomodo congruebat, vt ſequeretur vocantē. Verùm nec precum modo vti potuit, niſi gratia Dei ad hoc motus. Idē habet li. de ſpir. & lit. c. xxxiiij. Nō ideo tantùm volūtas diuino muneri tribuenda eſt, quia ex lib. arbitrio eſt, quod nobis naturaliter cōcreatum eſt, verùm etiam ꝙ viſorū ſuaſionibus agit Deus, ſiue extrinſecus per Euangelicā exhortationem, ſiue intrinſecus, *vbi nemo habet in poteſtate, quod in mentē nō veniat, ſed conſentire vel diſſentire propriæ voluntatis eſt.*

Vides vt planè conſentiant Augu. & Bernar. in doctrina de gratia & lib. arb. vtq́; doceant initium ſalutis noſtræ à Deo ſolo miſericorditer nos vocante, ſiue ad fidem, ſiue ad cordis conuerſionē eſſe. Alia autē non ſolùm poſt, ſed etiam ante conuerſionē eſſe, nō ſolùm à Deo, ſed & à nobis cooperantibus Deo: aliter tamen & aliter operatur ſpiritus ſanctus, ante conuerſionem peccatoris in corde quod nō inhabitat, aliter poſtquā inhabitare cœpit, vt pulchrè idem Aug. docet in Epiſ. ad Sixtum. *Augustinus.* *Non inhabitans (inquit) adiuuat vt ſint fideles, inhabitās adiuuat iam fideles, vt per opera bona mereantur vitam æternā.* Ante gratiā autē iuſtificationis nullū poteſt exiſtere meritū: poteſt quidē homo cum Dei adiutorio ad gratiā præparare agnoſcendo multitudinem & grauitatem delictorū ſuorum, ea deflēdo, proponendo, deinceps vita malè acta aliam amplecti: ſacramenta baptiſmi ceu pœnitentiæ ſuſcipiendo. *At in his omnibus nullum meritū, ſed mera Dei gratia eſt.*

Exem

Exempla habemus in ſcripturis quàmplurima, de filio prodigo, de Publicano, de Maria Magdalena, Petro, Paulo, Dauide, Latrone, & alijs peccatoribus, quorum pœnitentia nobis proponitur imitanda. Ex his omnibus patet, quid in hominibus exiſtat prima gratia, nempe prima vocatio noſtra, quid à ſolo lib. arb. nempe peccatum, quid deniq; ſimul à gratia & libe. arbitr. *nempe per bona opera certã noſtram vocationem facere. Patet rurſus, quomodo gratia ſuauiter cooperetur lib. arb. nihil ipſum impediẽs, quin liberrimè moueatur, ſeq́ ipſum moueat ad opus*: quæ quidem res etiã ex ipſa ſimilitudine actionis concupiſcentiæ & noſtri li. arb. in ijs per quæ ad interitum ducimus: non parum eluceſcit. Vides in hac re eiuſmodi proceſſum. Eſt radix omnium malorum concupiſcentia, quemadmodum Deus omnis boni principium: ab hac procedũt & pullulant ex cõſyderatione cuiuſpiam mali obiecti motus inordinati præuenientes omne iudicium rationis, omnenq; deliberationem tam expreſſam, quàm interpretatiuã. Vnuſquiq; enim (inquit Iaco.) à cõcupiſcentia ſua trahitur abſtractus & illectus. Hi motus ſunt prima ſemina mali, & dãnationis noſtræ, quæ plerunq; in poteſtate noſtra nõ exiſtũt. Sic ſuprà diximus ab ipſo Deo primũ immitti in corda noſtra cogitationẽ boni, & affectionẽ correſpondentẽ citra vllã noſtrã cooperationẽ. *Deinceps in noſtræ poteſtatis arbitrio relinquitur cõſentire vel diſſentire inſurgentibus in nobis ex cõcupiſcẽtia vitioſis motibus: quod ſi cõſenſerimus, tũc cõcipit cõcupiſcentia, & parit peccatum*. Sic illis primis initijs noſtræ ſalutis nobis eſt liberum adhærere & non adhærere, ſed reijcere: ſi aſſentimur, tunc ex illo ſemine verbi Dei nos concipimus, & parimus pœnitẽtiam: & in hoc negotio noſtræ ſalutis res ſeſe habet. Si perfectus ſit con-

ſenſus,& perfecta pœnitentia generat animæ ſalutem temporalem per gratiam iuſtificātem,& æternā, gloriam per beatificantem: & vt nō tollit in his libertatē arbitrij ipſa concupiſcentia,ita nec gratia præueniēdo liberum arbitrium agit, niſi quod in illis primis initijs tam peccati,quàm bonæ vitæ *præueniatur lib. arb. vt nō ſit in ſua facultate illa vitare.* Hinc Propheta Hiere. c.iiij.non arguit Hieruſalem,quòd noxias haberet cogitationes, *verū quod in ipſis moraretur.* Vnde(inquit) morantur in te cogitationes noxiæ. Similiter non exhortatur Paulus, vt non ſit in nobis peccatum(intellige fomitem)aut eius concupiſcētia: videbat enim eas nobis inuitis frequenter inſurgere, quod odimus malum,ſed hoc ſolū requirit,vt nō regnet in nobis, néve obediamus concupiſcentijs eius,vel concupiſcentiam & conſenſum eius in nobis retinendo, quoaduſq; peccatum quod parturiunt,pepererint,& mortem animę genuerint. Aliarum duarum particularū quæ in articulo ſequūtur, explicationem hîc omittimus,tum quòd breuitati ſit ſtudendū,tum quòd ex ijs quæ in articulo de pœnitētia, & Contritione dicta ſunt,ſatis eluceſcāt.

Hieremias.

ARTICVLVS OCTAVVS.

De fide & iuſtificatione.

Ad iuſtificationem ante omnia neceſſaria eſt fides in adultis,qua certò credimus Chriſtum Ieſum Dei filium nobis propitiatorem à patre propoſitum eſſe pro peccatis noſtris in ſanguine ipſius,ſine qua,nullis noſtris operibus,nulla pœnitentia, iuſtificatio obtineri poteſt,ſicut nec fide ſola ſine pœnitentia & propoſito viuendi ſecundum mandata Dei.

 Hic

HIC articulus cum ſequenti mox vnam habet difficultatē, propter eam quæ inter nos & ipſos eſt, controuerſiam, illis tenaciùs defendere conantibus, quę circa hanc materiā aſtruunt: quòd in ijs omnis doctrinæ ipſorum cardo voluatur. Primùm igitur explicandum venit circa hūc articulū, quid iuſtitia, & quid iuſtificatio: deinde cur dicatur hęc iuſtitia fidei, & quomodo ad eam ſe fides habeat.

Aduertendum igitur initio duplicem in ſcriptutis reperiri iuſtitiam. Alteram humanam, quam Apoſto. in epiſtol. ad Roman. & ad Galat. vocat iuſtitiam legis, ſiue quę ex lege eſt aut operum: atque hęc eſt, quam externam, moralem, atq; politicam dicimus, ſiue naturalem. De hac Ariſt. in Æthic. Cic. in offic. diſſeruêre. Dicitur autē ab Ariſt. v. Æthic. naturalis iuſtitia, tū quia reſpicit ſolùm naturale dictamen rationis, & illi conformiter operatur, tum quòd ex ſolis naturæ viribus acquiri poteſt & confirmari, tum deniq̀ue quo finem naturalē habeat, ad quem per ipſam homo operatur. Eadē dicitur moralis, quòd in moribus poſita ſit, & in vita ac conuerſatione humana modum ponat: ob quam cauſam ab

Iuſtitia humana.

Ariſtoteles. Cicero.

Iuſtitia duplex.
- Humana, q̄ à Philoſo. dicitur,
  - Naturalis.
  - Moralis.
- Ab Apoſtolo verò,
  - Legis,
  - Quæ ex lege eſt,
  - Operum.
- Diuina, q̄ vocatur ſubinde
  - Dei.
  - Chriſti.
  - Fidei. aut
  - Quæ eſt ex fide.

Apoſtolo operum & legis iuſtitia dicitur. Humana autem & propria iuſtitia cur dicatur, liquet attendenti, nempe quia nec principium habet, ſuperans hominis facultatem: nec habet alium finem, quàm naturalem,& quem ſuis viribus conſequi poſteſt. Hęc autem iuſtitia quamuis Deo non diſpliceat, vti nec ipſa natura,quæ eſt ipſius principium,non tamẽ propriè & iuxta modum ſcripturæ placet ei,quoniam nihil conducit homini ad vitam æternã. An autem huiuſmodi iuſtitia in homine ſit pro ſtatu naturæ corruptæ vera iuſtitia,an non, ſed omnino vitioſa & maculata,diſputant doctores ſcholaſtici:& variè de hac re varij ſentiunt. Auguſtino videtur pars negatiua
Auguſtinus. cõformior,quod ſcilicet non omne opus exiſtentis in peccato ſit malum & peccatũ,ſed poſſe eſſe quædã,in quibus nullus ſit moralis defectus, nullumq; peccatũ.
Calumniæ aduerſariorum. Aduerſarij calumniantur nos hanc iuſtitiam duntaxat prędicare & efferre,propter quod Pharizęos & Hypocritas tam ſæpe nos appellant. Verùm cum apoſt. Paulo & nos,& tota eccleſia catholica cũ vniuerſa catholicorum ſchola tradit,aduerſus Pelagianos. Hanc non eſſe veram iuſtitiã confitemur,quę nos Deo commendet,& corã eo iuſtos efficiat, vt enim argumentatur apoſt. Si ex lege eſt iuſtitia,ergo gratis Chriſtus mortuus eſt. Eodem & nos argumento cum Aug. vtimur. Si ex natura eſt iuſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt. Scimus quòd ex operibus legis cuiuſcunque ſiue naturalis,ſiue Moſaicæ non iuſtificabitur omnis caro coram illo. Ex eodem Paulo probè didicimus,quòd ſi ex eiuſmodi operibus Abraham iuſtificatus eſt, habet gloriam,ſed non apud Deum. *Gloriam autem quæ apud Deum eſt,non ignoramus*,ab homine excluſam per le-

legē fidei. Alia proinde eſt *iuſtitia diuina*, quā ſubinde appellat *iuſtitia Dei, aut Chriſti*. Rurſus *iuſtitiam fidei, aut iuſtitiam, quæ eſt ex fide: Dei* quidem dicitur, necnon & iuſtitia Chriſti, eò quòd ipſe eam nobis promeritus eſt, ab ipſoque *in nobis fluit*, quemadmodum dicitur fides Dei aut Chriſti, & ſpes & charitas Dei: quòd ex ipſo Paulo euidenter doceri poteſt, maximè ſi attendatur antitheſis illa & oppoſitio, quam facit, noſtram & Dei iuſtitiam. Fdei autem iuſtitia cur appelletur, inferiùs dicemus. Nunc præmittamus imaginationem aduerſariorum de hac iuſtitia. Putant enim illi hanc dici Dei & Chriſti iuſtitiam, quòd ea Deus iuſtus ſit, ipſeq; Chriſtus, qui Deus & homo ſimul eſt: nobis autē eā cōmunicari tradūt non communicatione participij, ſeu meriti, ſed imputationis: docētes nos ab illa ſolùm extrinſecus iuſtos nominari, propter illā quoq; à Deo dici, haberi, reputari, acceptari quoq; & approbari, necnon fieri iuſtos, nā his omnibus explicant quod concipiūt: reuera autē nihil eſſe in nobis participatum à Chriſto, quo formaliter & intrinſecè reddamur, & ſimus iuſti coram Deo, quod quò quiſq; meliùs intelligat, declarabimus per ſimile. Ponamus quempiam ex ſubditis Imperatoris grauiter offendiſſe Imperatorem, ita vt commeritus ſit non ſolùm omnibus beneficijs & priuilegijs quæ ab eo acceperat, priuari: imò nec exulare ſolùm perpetuò ab Imperiali territorio, verùm etiam extremum pati ſupplicium, vita ſimul & rebus omnibus priuari: quòd ſi filius Imperatoris, eius miſertus ſupplicet pro eo, apud patrem, ad hæc etiam vt in honorem patris ipſe quoq; huic veniam impetret, faciliùs inſigne aliquod obſequium præſtat, veluti committendo ſeipſum

Iuſtitia diuina.

Sententia aduerſariorū de iuſtitia euangelica.

diſcrimini mortis pro patris ſui gloria. Imperator verò commotus precibus filij ſui, ſi reo cõdonet offenſam, ſi prætereà donet eũ multis beneficijs, adoptet in filiũ, hæredẽ ſibi faciat, & cohęredem filio, & hæc omnia faciẽdo neq; ſpectat in eo, pro quo filius ſupplicauit, vllã dignitatem extrinſecam aut intrinſecam, ſed ob ſolam ſupplicationem filij ſui & meritum, eum abſoluat & ab offenſa, & conciliat ſibi, tandemq; multis donat beneficijs. Conſimili modo dicunt agi cũ homine, à Deo propter Chriſtum, dum propter ſupplicationẽ filij & meritum mortis eius, donat peccatorem, non ſolùm venia (à quo tam grauiter offenſus & læſus eſt) verùm hæredem omnium bonorũ ſuorum facit, & in filium adoptat, ſuique filij naturalis cohęredem. Hanc propitiationem & reconciliationem Dei cum homine dicunt iuſtitiam, qua iuſtificatur impius, quia à patre propter filium habetur, & reputatur tanquam qui prę ſtitiſſet iuſtitiam, quam filius ad honorem patris ſui nobis præſtitit, pro nobis vſque ad mortem patri obediendo, vt illi nos reconciliaret: vt quemadmodũ meritum, quo quis alteri meretur, illi imputatur, & ſatisfactio, qua quis pro altero ſatisfacit illius reputatur: ita & ipſa Chriſti iuſtitia, quam pręſtitit hoc modo propter nos pleniſſimè patri obediens ad eius gloriam & honorem nobis imputetur, noſtra reputetur, & quaſi per nos facta & præſtita habeatur, cùm nihil minùs fecerimus, vt propterea iuſtificemur corã Deo, ideſt ab eo tanquàm iuſti reputemur, & digni vita ęterna, cùm tamen reuera in nobis ſimus iniuſti, & illa indigni, imò ob noſtrã iniuſtitiam digni odio Dei, & perpetua damnatione: ita vt non ſecus ſimus iuſti & digni æterna vita, quàm Chriſtus dicitur in ſcripturis peccator, &

maledictio,atque execratio,nempe quia ſuſcepit peccata noſtra, & maledictionem. Poſuit enim: Deus in eo iniquitates omnium noſtrûm,quas portauit in corpore ſuo ſuper lignum crucis: dum pater poſita diſciplina pacis noſtræ, ſuper eum, propter peccata populi ſui flagellauit:& ita ipſe cum iniquis reputatus eſt,cùm tamen ipſe fuerit agnus immaculatus, in quo non eſt inuenta iniquitas, tamen ab hominibus reputatus eſt peccator, & ab ipſo Deo ſic tractatus, quaſi verè fuiſſet peccator,cùm pro peccatis noſtris in mortem ignominioſiſſimam ſimul & acerbiſſimam tradidit.Sicut igitur ille peccator reputatus eſt, ſic(ſecundum horum cõmentum) homo reputatur iuſtus, & per hoc iuſtificatur & non aliter coram Deo: *licet aliam tamen intrinſecam ponant iuſtitiam quandam*, imperfectam & inchoatam,ſed ſic imperfectã, vt reuera non poſſit in iudicio Dei conſiſtere:& proinde quæ reuera non ſit iuſtitia,ſed peccatum & iniuſtitia.Simili locutionis phraſi dicit Bethzabee Dauidi iij. Reg.Erimus quoque ego & filius tuus poſt obitum tuum peccatores,ideſt reputabimur peccatores. Verùm eccleſia catholica ſemper tenuit & docuit, & ex ſcripturis intellexit eſſe aliquam veram iuſtitiam in homine ipſi intrinſecè adhærentem, vt formaliter dicatur homo tali præditus iuſtitia, iuſtus coram Deo. Sed nunc videamus,cur hæc iuſtitia fidei appelletur,nempe quòd quemadmodũ illa iuſtitia moralis,(de qua paulò antè legimus)naturali cognitioni reſpondet,& iuxta eam dirigitur,aut ob quod & naturalis dicitur, ita hæc iuſtitia,fidei & doctrinæ Chriſti (quam per fidem accepimus)correſpondet: *per eam nanque* viuimus iuxta Dei & Chriſti inſtitutionem, quam nobis in ſcripturis ſa-

Sententia ſidei orthodoxæ de iuſtitia,qua formaliter iuſti ſumus coram Deo.

Quare illa iuſtitia dicitur fidei, & non operum.

cris per eccleſiam ſuam reuelauit. Quòd ſi quæratur cur non operũ iuſtitia dicatur, cùm ſit de operibus & vitæ actionibus? Reſpondetur quod iuſtitia communis eſt omni iuſtitię, tã huic diuinę, quàm humanæ, & ideo iuxta regulam Topicã, ſimpliciter enunciata non tribuitur ſpeciei indigniori, ſed digniori. Secundò quia huius iuſtitiæ officium eſt, non ſolùm ponere rectitudinẽ in opere, verùm etiam in operãte, imò etiã primò in operante, efficiendo rectitudinẽ in viribus operãtis, & deinde in vita ac operibus ipſius. *Iuſtitia verò moralis ſolùm ponit rectitudinem in opere, in operãte verò non:* atque hac ratione dicitur iuſtitia operũ, non illa, ne intelligatur ſolùm efficere rectitudinem operum. Tertiò quia moralis iuſtitiæ primũ & principale eſt opus, iuſtitiæ verò diuinæ, opus hominis non eſt, primum principium, ſed Dei gratia: augmenti autem eius opus quidẽ hominis eſt, gratia autẽ Dei illius per fidem ſpiritum intrãs, per quẽ ipſa diffunditur, primũ eſt. Atq; hac ratione potiſſimùm videtur cõſyderaſſe Apoſtolus, adimens illi nomenclaturã iuſtitiæ operũ, & eã appellauit iuſtitiã fidei, non quod non præſcribat opera:

Gregorius. Charitas enim (inquit Grego.) non poteſt eſſe otioſa, operatur enim magna, ſi eſt: ſi autẽ non operatur, charitas non eſt: hęc autẽ eſſentialiter eſt charitas, vt mox

Auguſtinus. oſtẽdemus. Vid. Aug. c. iij. v. cõtra Fauſtum Manichæum: ibi enim pulchrè ex ſcripturis demõſtrat, *vt nunquam ſit fides vera ſine operibus*, vt hæc requirat à nobis euangeliũ, vt his repromittatur vbiq; regnũ, beatitudo, vita, non autẽ vni fidei vanæ. Huius D. Auguſti. ſæpe multis locis repetitum, claram & apertam doctrinam præſertim in li. ij. contra Iulia. & lib. de nat. & ſequẽtes dicimus, hanc diuinã ceu fidei iuſtitiã. non eſſe

aliud

aliud ſecundum ſuã ſubſtantiã, quàm affectũ bene or dinatum, ſecũdũ inſtitutionẽ Chriſti & Dei. Hominis autem ſedundũ Dei inſtitutionẽ affectus bene eſt ordinatus, quãdo afficitur Deo tanquã principio & fini ſuo creatori ac redẽptori ſuo, atq; totius beatitudinis fonti, & rurſus proximo ſuo iuxta quod ille legibus ſuis & præceptis præſcribit, & requirit ab homine. Hic autem affectus bene ordinatus ad Deum, & omnes creaturas iuxta diuinã ordinationẽ in ſcripturis appellatur charitas, iuſtitiaq; Dei, quę omnino nõ eſt aliud, ſecundum ſuã ſubſtantiã, quàm charitas diuina per ſpiritũ ſanctũ in cor hominis diffuſa. Hanc deductionẽ facit Aug. in locis citatis: vnde in fi. illius li. de nat. & gra. poſt longã diſputationẽ, quaſi reſolutoriè concludit. Charitas ergo inchoata iuſtitia eſt charitas prouecta, iuſtitia eſt: ſed charitas de corde puro & conſcientia pura & fide non ficta, quæ tunc maximè eſt in hac vita, quando pro ipſa contemnitur & ipſa vita. Et rurſus li. de nat. & grat. capi. xxxviij. *Sola (inquit) charitate iuſti ſunt, quicunque iuſti ſunt*. Et lib. j. de doct. Chriſti. cap. xxvij. Ille, inquit, iuſtè & ſanctè viuit, qui rerum integer æſtimator eſt: ipſe autem eſt, qui rectã ordinationem habet, ne aut diligat quod non eſt diligendum, aut ampliùs diligat, quod minus eſt diligendum. His pulchrè ſubſcribit Anſelmus in libello de iuſtitia. Iuſtitia (inquiens) eſt rectitudo voluntatis propter ſeruata: *quod & ſcripturis confirmat, quæ vbique iuſtos, rectos corde: & initio dicunt* Deum condidiſſe *hominem rectum*, volẽtes exprimere iuſtitiam primo homini datam, eandem autem rectitudinẽ nobis reparauit Chriſtus, quã ille perdiderat, quanquã minùs perfectã pro ſtatu huius vitę. Sunt enim gradus varij in iuſtitia, licet ipſa in ſe ſit eſ-

Iuſtitia fidei quæ:

Hæc iuſtitia in ſcript. dicitur charitas.

Anſelmus.

ſentialiter vna,& eadem,eiuſdemque rationis: vbicunque ipſa ſit,ſiue in primo Adam, ſiue in Chriſto, ſiue in hominibus viatoribus, ſiue in beatis tam angelis, quàm hominibus:nempe voluntas bona ſiue recta, id eſt, affectus bene ordinatus erga Deum & creaturas, qui non eſt aliud,quàm iuxta omnium ęſtimatrix chaQuart. gra. iuſt. Ber. ritas.Hinc Bern.ſer.v. de verbis Eſaiæ iiij. facit gradus Primus gra. iuſtitiæ. Quædam enim eſt recta,ſed non pura, *veluti in nobis viatoribus,in quibus per gratiam reparatis non* Secūdus gra. Tertius gra. *regnat peccatum, vt obediamus concupiſcentijs eius:impura tamen eſt, quia non ſumus immunes prorſus à culpa.* Quartus gr. Alia eſt recta & pura,ſed non firma, qualis erat primi hominis iuſtitia. Tertiò quædam eſt recta, pura & firma,ſed mutabilis:non enim innata eſt eis,ſed à Deo collata,vt natura angelica:ipſa quantum ex ſe eſt,non modò iuſtitię ſed & iniuſtitiæ capax inueniatur.Quæ autē in ſolo Deo eſt, per ſe & eſſentialiter eſt iuſtitia:& proinde recta,pura,firma & immutabilis,cuius cōparatione nulla eſt,cuiuſcunq; creaturæ. Hinc propheta Dauid,pſal.cxlij.Non iuſtificabitur(inquit) in conſpectu tuo omnis viuens. Et Iob v. non iuſtificabitur homo compoſitus Deo.Aduerte tamen circa hos iuſtitię gradus,non hac ratione hominis iuſtitiam dici impuram,vt calumniantur aduerſarij : quaſi vel in homine primus motus concupiſcētiæ ſit peccatum,vel quodlibet opus ipſius impuritatē habeat, & peccatū:verùm quoniā nō poteſt tranſigi hęc vita ſine multis defectibus & peccatis cotidianis pro quib⁹ neceſſe habeamus dicere,Dimitte nobis debita noſtra.Si enim dixerimus quia peccatum non habemus,noſipſos ſeducimus, & veritas in nobis nō eſt:quoniā non eſt homo iuſtus q faciat bonum,& non peccet.Verùm hæc peccata non

dam.

damnãt hominẽ, neq; in quolibet opere reperiuntur. Vnde Bern.cauſam im puritatis nõ ſubiicuit;mox ſubiungens. Quomodo pura iuſtitia,vbi nõ poteſt culpa deeſſe? Qua quidẽ ſubiuncta ſentẽtia indicat,quid intellexerit per illud Prophetæ. Omnes iuſtitiæ noſtræ ſunt tanquam pannus menſtruatæ,nempe quãuis iuſti: multas eſſe impermiſtas ſordes peccatorũ,alioquin enim ſi vniuerſas vitæ actiones,ipſumq; adeò totũ hominem maculatũ dixeris,quomodo recta erit iuſtitia? quòd ſi nõ recta ſit,certè iuſtitia dici nõ poterit.Quomodo tunc quod in Adam perdidimus, Chriſtus reſtaurauit?quomodo tunc verũ erit, quod dicit Apoſt. Sicut per vnius inobedientiã multi conſtituti ſunt peccatores, ita per vnius obediẽtiam iuſti conſtituuntur multi:ergo per Chriſtũ nobis reſtituitur iuſtitia,quam perdidit Adam:verùm pro hoc ſtatu imperfectior, nõ ſolùm propter imperfectiorem cognitionem, cui ipſa vt correſpõdeat neceſſe eſt:quia enim ex parte cognoſcimus,ideo ex parte amamus:verũ multò magis propter hoſtes,quos patimur,& præcipuè propter continuam illam pugnã & rebellionẽ carnis aduerſus ſpiritum,per quam ipſa iuſtitia ceu charitas, multũ in ſuo vſu impeditur,aliquando etiam & ſæpiùs(proh dolor) læditur,verùm nihil damnationis eſt, modò non vincatur:quod fit,dum creſcit iſta cupiditas ceu peruerſus amor ſui,vſq; ad cõtemptum Dei & rectitudinis: alioqui enim etiam ſi deficiat à perfectiſſima Dei, quam Adam habuit,vel habituri ſumus in patria, non tamẽ vel ob id charitas vel iuſtitia non eſt:ſiue defectus iſte intelligatur à perfectione,quã poteſt habere, ſiue etiã à perfectione,quã debet habere : quod pulchrè declarat Auguſt.in Epiſt.ad Hiero.quæ eſt xxix. reprehen-

Antipophora ex verbis Bernardi.

Iuſtitia Dei ceu Chriſti quando vincitur.

Auguſtinus ad Hieronymum.

dens Stoicos in eo quod dicebãt eũ non habere virtuté aut ſapientiã,qui ab omnimoda illa eius perfectione deficiebat. Adſerebãt autem ſimilitudinẽ hanc. Nihil refert ad hominẽ ſuffocandũ, vtrũ aquã multis ſtadijs ſupra ſe habeat,aut vnã palmam aut digitũ. Sic inquiebãt,illos,qui ad ſapientiã tendũt, proficere quidẽ tanquam ab imo gurgitis ſurgentes in aërem, ſed niſi totam ſtultitiam velut opprimentem aquam,proficiendo, velut emergendo euaſerint, non habere virtutem, neque eſſe ſapientes: vbi autem euaſerint, mox habere totam,nec quicquam ſtultitiæ remanere,vnde omnino vllum peccatum poſſit exiſtere. Reſpondet Auguſtinus. Hæc ſimilitudo vbi aër pro ſapientia,& aqua pro ſtultitia ponitur, vt aiunt, à præfocatione ſtultitiæ velut emergens in ſapientia repẽte reſpiret,nõ videtur mihi ſatis accõmodata ſcripturarũ noſtrarũ authoritati,ſed illa potiùs vitium,vel ſtultitia tenebris,luci autẽ virtus,vel ſapientia cõparetur. quantũ iſta ſimilia de corporalib. ad intelligibilia duci poſſunt,&ſic tenebris paulatim decedẽtib⁹,lumẽ tum accreſcit ei,q̃ de abdita aliqua ſpelunca egreditur:ita homo paulatim magis ac magis iuſtificatur, iuſtitiaq́; ex fide,in qua viuit,induitur iuſtus: & tantò magis in ea augetur,quãtò magis à peccatis receditur. *Optimus eſt, non qui omni peccato caret,nemo enim hic viuit ſine peccato*(propter quod non prorſus iuſtificabitur corã illo omnis viuẽs:)*ſed qui minimũ habet.* Ecce his verbis Au. cùm neget in homine pfectam,& omnibus modis abſolutã iuſtitiam,inde tamẽ nõ vult conſequi nullã eſſe in homine iuſtitiam. Verùm agnoſcit in eo nũc maiorem,nunc minorẽ, ſiue in alio, ſiue in eodẽ ſubiecto, prout magis vel minus eſt in illo peccati: vt optimus

ſit

ſit, & iuſtiſſimus, qui nimimū habet peccati. Idē habet li. de na. & gra. c. xxxviij. Verùm vt ad id vnde digreſſi ſumus, redeamus, dicimus ipſam Dei iuſtitiā, quā ſcripturę (& pręſertim Paulus) iuſtitiā fidei appellat, eſſe iuſtitiā eſſentialiter ipſam charitatem Dei aut proximi, quod & ſcripturis ſanctis ac patrum doctrinę ſimul ac rationi conſentaneum eſt. Nam charitas, quæ ordinem ponit in omnibus rebus, & viribus hominis, & in toto homine, in omnibus quoque eius actionibus forma eſt reliquarum virtutum, vnamquanque earum in finem debitum referens, & ordinans, quem ipſa immediatè attendit. Ex iſto conſequitur, iuſtitiam non eſſe homini extrinſecam, ſed reuera ipſi inhærentem, & inexiſtentem formam & qualitatem, per quam gratia Dei in homine per peccatum deformata reſtituitur natiuæ ſuæ origini, vt ſit talis, qualis à Deo ab initio condita fuit, recta videlicet & iuſta. Hinc apoſtol. Paul. ad Ephe. iiij. Induite, inquit, nouum hominē qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia. Et Petrus ſecundæ epiſtol. ſuæ cap. iij. dicit in nobis iuſtitiam habitare. Sed de his ſatis. Nunc paucis attingamus argumenta aduerſariorum, quæ ferè ad iiij. iſta capita reduci poſſunt. Verùm principio aduerte non eſſe tam impudentes aduerſarios, vt negent iuſtificatis ineſſe ſpiritum Chriſti, aut ſpiritu Chriſti viuere. rurſus vt diffiteantur nos eſſe membra Chriſti, nos renouari, regenerari, emendari, & in nos per ſpiritum ſanctū charitatem infundi: cùm hæc expreſſis verbis contineant ſcripturæ ſacræ. Hæc ergo omnia fatentur nobiſcum fidelibus ineſſe, verùm negant vllum hominem habere dona ceu rationem iuſtitiæ. Dona, inquam illa, quorum participatione docemus nos iuſtificari,

Argumenta aduerſariorū contra preſentem articulū.

iuſtitia quæ poſſit componi de iudicio, & perquã ipſe homo audeat in illo cõparere, illudq́; atq; iudicis examen diſtrictum ſubire, tam ipſe quã opera ſua. Primũ igitur ipſorum argumentũ ſumitur ex imperfectione dilectionis noſtræ. Secundũ ex eius impuritate. Tertiũ ex peccato nos inhabitãtes, propter quod dicunt hominem eſſe in ſe Deo odibilem & abominabilem, vt omnino non poſſit ferre iudicium Dei, etiam ſi opera haberet perfecta & pura, cùm propter ſuã, ſuæq́; naturæ fœditatẽ veniret reijciendus. Quartũ ex legis præuaricatione, Iuſtum eſt, inquiunt, quod exactè reſpõdet ſuæ regulæ. Regula autem homini præfixa iuxta quam debet viuere, eſt lex Dei de diligendo ipſum ex toto corde, de alienis non concupiſcendis: nullus autẽ eſt, qui his legibus ſatisfaciat. cùm nullus ſit ſine peccato, aduerſatur autem omne peccatũ legi Dei. Argumenta quidem in ſpecie apparentia vidẽtur, ſed reuera in ſeipſis nihil habẽt ſoliditatis. Ad primũ igitur reſpondentes, dicimus duplicẽ eſſe perfectionem charitatis. Alteram patriæ, quæ congruit ſtatui beatorũ, & huius cõparatione imperfecta eſt noſtra dilectio, ſicut & cognitio, cui vt correſpondeat neceſſe eſt. Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte diligimus. Altera eſt perfectio viæ, id eſt, quæ adhuc viatori ſecundum ſuũ ſtatum congruit: atque hanc conſequi poſſumus. His præmiſſis primò dicimus, quòd cùm perfectio ſit accidens rei per imperfectionem; ceu perfectionis defectum non tolli ſubiectum rei, & proinde imperfectionem dilectionis non tollere charitatẽ, quare nec rationẽ iuſtitiæ, quã diximus & demõſtrauimus, in charitate cõſiſtere. Secũdò cùm nõ omnimoda charitatis perfectio à nobis exigatur, ſed ea dũtaxat, quã p̃ ſtatu huius

Primum argumentum.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Solutiones cõtra aduerſarios.

ius vię pręſtare poſſumus,cōſequitur nō imputari homini in culpā,quęcunq; defectum charitatis.Nam defectus ab ea pfectione,quā habebit charitas in patria, nō ſubeſt noſtro arbitrio,noſtræve poteſtati,vt eū vitare poſſimus,ſi velimus,quare nec culpabilis eſt,neq; enim Deus aliquid impoſſibile præcipit, aut homini imputat,quod vitare nō pōt. Hoc modo cōcordat D. Aug.ſcripturas,quare quædā exigūt à nobis pfectionē,& qbuſdā eam tribuūt, aliæ omnib⁹ eam adimūt, eamq; ꝓ hoc ſtatu à nobis nō exigi docēt,li.ij.de peccatorū meritis & remiſſionibus,c.xv.Mouēs nō neglīgēter cōſyderandū,cùm legitur in ſcripturis cuiuſquā pfectio,in qua re ipſa dicatur, variatur nāq; iuxta rei, de qua dicitur, variationē.Alia enim eſt pfectio pueri, alia viri,alia auditoris,& diſcipuli,alia doctoris & magiſtri,alia militātis, alia de victoria triūphātis. Ad hūc quoq; modū alia eſt perfectio viatoris,alia cōprehēſoris.Sufficit igitur,nec plus exigitur à nobis viatoribus adhuc à domino peregrinātibus,quā vt charitatē eam pręſtemus,quæ nil ſibi contrarium in corde admittit: quanq̄ & huius multiplex ſit gradus.Cōſtat enim vnū diligere plus,aliū minus:nec pōt ad eam ſublimitatem dilectionis quis peruenire,quā nō contingit pro ſtatu huius vitæ ſuperare:qua etiā conſyderatione imperfecta eſt cuiuſcunq; charitas,nō ſolùm cōparatione eius quæ reddetur in patria,ſed maioris,quæ pōt etiam haberi in via.Verùm vt nullus defectus à perfectione patriæ eſt peccatū viatori,cùm non ſit eius arbitrio ſubiectus,vt poſſit eo carere,ſi vellet:nō enim in poteſtatem hominis eſt,nō cōcupiſcere aduerſus ſpiritū carnem,qđ tamē quādiu eſt,nō omnimodo ex toto corde diligitur Deus.Hinc Apoſt.Paulus.Si autē quod odi Auguſtinus.

malum, hoc facio, iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. Ita nec omnis defectus à poſſibili perfectione viæ eſt peccatum: nam alioquin ſimili ratione fateamur neceſſe eſt, & in ipſis beatis eſſe peccatū: cùm ſimiliter deſit eis gradus aliquis ipſis impoſſibilis. Vt enim dicit Aug. xij. ſuper Geneſ. ad literā, c. xv. & poſt eū Bern. in li. de dilect. circa iiij. dilectionis gradū. Quodam appetitu naturali corpus adminiſtrādi retardātur animę, ne tota intētione ferātur in Deū. Quòd ſi charitati, quin ipſa vera ſit, non obſiſtit, hæc (de qua dictum eſt) imperfectio: imò quin ſit aliquo modo perfecta, non ſolùm ſubſtantiali perfectione (hanc enim oportet eſſe vbicunque eſt charitas vera) verùm etiam graduali & accidentali congrua ſtatui huius peregrinationis: nec obſtat eadem rationi iuſtitiæ, cùm hæc, vt dictum eſt, in charitate conſiſtat. Eandem doctrinam tradit Auguſt. in quàmplurimis locis, diſputans contra Iul. li. de ſpir. & litera, c. vlt. vbi duplicem diſtinguit iuſtitiam. *Poteſt (inquit) dici quædam iuſtitia minor, huic vitæ competēs, qua iuſtus ex fide viuit, quanuis peregrinus à domino,* & ideo per fidem ambulans, nondum per ſpeciem. Non abſurdè dicitur etiam ad iſtam pertinere ne peccet, neque enim ſi eſſe nondum poteſt tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenę perfecteque debetur, iam culpæ deputandum eſt. *Aliud enim eſt totam nondum aſſequi charitatem, aliud nullam ſequi omnino. Quamobrem debet homo, quanuis longè minus amet Deū,* quàm eum poteſt amare conſpectum, nihil tamen appetere illicitum, ſicut etiam in his quę adiacent corporis ſenſibus, poteſt oculus nullis tenebris delectari, quanuis non poſſit in fulgentiſſima luce defigi. Hæc ait Auguſtinus

Bernardus.

ſtinus in quibus vides eam, quam dedimus, argumen ti ſolutionem. Ad ſecundum argumentum dicen- *Secundum.* dum hominis iuſtitiam dici impuram, non quòd ipſa aliqua peccati ſorde coinquinetur & contaminetur, verùm quia cum ipſa in homine multæ eiuſmodi ſordes miſcentur, quæ nec hominem faciunt iniuſtum, nec reliqua eius bona opera inficiunt, aut eius bonitatem, iuſtitiam, ſiue rectitudini detrahunt: vt enim eiuſmodi leuia & quotidiana peccata non opponuntur charitati, ita nec iuſtitiæ: & ſicut illam à ſubiecto non expellunt, ita nec hanc. Adhæc ſordes hę venialiũ peccatorũ, vt propter nimiam hominis infirmitatem facilè cõtrahuntur: ita facilè remittũtur per bonum aliquod opus & feruenti charitate factũ: quibus quidem deletis iam totus purus & mũdus eſt homo, vt ſi id tẽporis articulo decedat, recta ad cælos euolet, nihil in eo inueniente rigore diuinæ iuſtitiæ quod puniat.

Tertij ſolutio ex ijs quę diximus in ſecũdo articulo *Tertium.* ſatis eſt manifeſta: oſtendimus ſiquidẽ concupiſcentiã quę in baptizatis manet, non habere veram peccati rationem, ſed duntaxat dici peccatum ab apoſtolo, quod (vt dicit Augu.) peccato ſit infecta, quodque ad peccatum inclinet, alioquin enim ſi in baptizato maneat peccatum, quomodo abluit baptiſma, mũdat & ſanctificat? Si homo in toto vitæ ſuæ decurſu maneat peccator, ſordidus, Deo abominabilis, palmites qui ſunt in ſe vite eſſe mundos? quomodo cor mundũ petit Dauid à domino? ſi nulli largiatur ãnimitus munditia cordis: at de hac re copioſius in loco prææallegato.

Quartũ argumẽtũ vehemẽter mouit quẽdam recentiorẽ ſcriptorẽ, virũ alioquin doct. & exercitã. & ſuprà *Quartum.* quàm dici aut credi poteſt ſtudioſum, vnde coactus

eſt fateri nos primò dici iuſtos extrinſeca denominatione ab ipſa Chriſti iuſtitia, quæ ſola exactè reſpōdet diuinæ regulę, diuinisq́; legibus. Idem tradit antididagma Colonien. verùm ſalua reuerentia ipſis debita à vero conſtat deuiare hanc imaginationem: quod patet, ſi aduertas doctrinam Auguſtini, quam tradit lib. iij. contra ij. Epiſtolas Pelagianorũ, ca. v. vbi dicit. Noſtram fidem .i. catholicā iuſtos ab iniuſtis non operum ſed ipſa lege fidei diſcernere: quia iuſtus ex fide viuit (inquam) per dilectionem operante: obiectio autem procedit de operum iuſtitia, quæ ſine dubio in toto operum corpore, totaq́; hominis vita exacta nō foret, niſi fides à Deo ſumeret & indulgētiam peccatorum, & dilectionem rectè factorum: illis ſe accuſans, in his Deum laudans, illi laudem tribuens, homini autem ignominiam. Quādiu ergo manet eiuſmodi fides per dilectionem operans, quæ eſt ipſa Chriſtiana iuſtitia, tam diu poteſt homo iniud icio cōſiſtere, & ſi nō per omnia ſit eius vita Deo ſubiecta: quoniam, ſicut dictũ eſt, eiuſmodi leuia peccata non tollunt charitatem, & proinde nec iuſtitiam, verùm per eam frequenter tolluntur, ſublata autē non ampliùs adducuntur ad examen diuini iudicij. Quòd ſi ea ſecum ferat homo decedens ex hoc ſæculo, certè non impedietur per illa, quo minus queat ferre iudicium Dei, ſaltem vt non mereatur in æternum condemnari propter vlla opera ſua: verùm ſine fine cum Chriſto regnabit propter bona opera ſua. Hinc D. Ioan. j. Epiſtol. ſuæ cap. iiij. In hoc (inquit) eſt perfecta charitas nobiſcum, vt fiduciā habeamus in die iudicij. Deinde mox huius cauſam reddens ſubiungit, non quia Chriſti iuſtitia nobis imputatur, aut Chriſti iuſtitia tegimur, aut induimur: ſed

quia

quia,inquit,ſicut ille eſt,& nos ſumus in hoc mundo, nempe membra eius eodẽ ſpiritu viuentia,id eſt,eadẽ opera per illum exercentia, non quidẽ æqualitate,ſed imitatione. Ipſi enim datus eſt ſpiritus non ad menſuram,nobis autem iuxta menſurã fidei,& ipſo modo donationis Chriſti.Huncq; ſpiritũ habemus nobis datum in arrã æternæ hæreditatis: inſuper diuinæ naturæ conſortes,ſiue cum illo in eandẽ imaginẽ transformati,& cõformes facti formæ illius.Quomodo, quæſo,poſſet pater talis reijcere,quomodo ſpiritũ ſibi tam gratum,ſcilicet filij, in nobis poſſet aſpernari? Item de operibus loquens Ioan.Euang.ſui cap.iij. Qui(inquit) facit veritatẽ,venit ad lucem, vt manifeſtentur opera eius, quia in Deo facta ſunt. Vides vt audeat homo prodire cũ omnibus operibus ſuis,quæ ipſum ſequuntur in lucem diuini iudicij (neq; enim de humano iudicio tantùm ſermo,aut de humana luce aut die) hoc enim iudiciũ ꝓ minimo ducit vir bonus, & hoc quia in Deo facta ſunt.Et Paulus,operũ vnũquodq;, quorũ ignis ꝓbabit diuini iudicij,quale ipſum ſit,dicit quædam arſura,alia verò manſura. Quædam ergo intacta erunt & illæſa in illo iudicio. Erunt ergo huiuſmodi opera iudiciũ dei.Rurſus Petrus ſpecialiter malis & impijs importabile facit Dei iudiciũ.Et cùm in eo iudicio tunc futura ſit laus à domino vnicuiq; iuſtorum,quis improbabit,aut reijciet,reiectioneq; dignum iudicet, quẽ Deus dignatur laude, gloria & honore coronare? Magna fiducia Paulus dicebat.Bonũ certamẽ certaui, curſum conſummaui,fidẽ ſeruaui,de reliquo ſupereſt mihi corona iuſtitiæ,quã reddet mihi iuſtus iudex. Et licèt inquit Auguſt.exponens Pſal.illum.Miſericordiã & iudiciũ cantabo tibi domine)non poſſit iuſtus Deo

dicere. *Redde quod accepiſti, poteſt tamen vtique dicere. Redde quod promiſiſti, tribue denarium, ſuper quo nobiſcũ nos conducens, vt laboraremus in vinea tua conueniſti.* Diſputamus autẽ hîc de potentia Dei ordinata, quam nobis explicat Euãgelium, ſecundum quod futurũ eſt (teſte Paulo) iudicium: non autẽ de potentia abſoluta: nam abſoluta ſua potentia ipſe poſſet aut nõ ſaluare, aut dãnare iuſtum, ſed de potentia condecenti. Et tandem, vt finem imponamus, palã conſpicis, vt nullum dictorum argumentorũ euacuet aut inualidet catholicam veritatẽ, de vera intrinſeca hominis iuſtitia, ſiue ea, quæ eſt in ipſa mente, ſiue de ea, quæ eſt in opere, quare hæc à nobis exercetur: illa tantùm à nobis ſuſcipitur Deo eam in nobis operante, ſiue nobis & per eã reformante imaginẽ ſuam in homine, vt iam ſibi placeat & grata ſit, nempe per reſtituta natiuæ ſuæ originis dignitati, quod hîc repetimus, vt videas dignitatem huius iuſtitiæ, ſeu charitatis, aduerſus quorundam ſtultam admirationẽ, quòd Deus vnum accidens, vnã in homine qualitatem tanti faciat. Nam quid, quæſo, erat aliud Chriſti iuſtitia, & quid nunc eſt aliud, quàm vna qualitas, nempe charitas, ordinãs omnes vires humanas in Deo, & ipſi ſubiecta reddens? Concludimus igitur eſſe aliquam hominis intrinſecã iuſtitiam, quæ ipſum coram Deo verè iuſtum reddit, & verè dignum vita æterna: quod quidẽ nõ derogat gratiæ Chriſti, ſed eam multò illuſtriorem reddit, dum agnoſcimus eam tantã, vt in nos ab ipſo diffluant, hæc maxima & præcioſa chariſmata, quæ nos ita Deo patri commendant & gratos reddunt, vt videamus nos ex priſtina inopia diuites factos, idq; plenitudine Chriſti, ex qua omnes accipimus exuberantẽ copiam ſpiritus, quem ipſe tam

Ioan. primo.

abun

abũde in nos diffudit. Qui quidẽ ſpiritus cùm ſit tam gratus patri in capite, quî poſſet nõ eſſe gratus in mẽbris? Rurſus cùm tã efficax ſit in capite, & tã inſigniũ & pręclarorũ operũ principiũ, quomodo credi poteſt ocioſus eſſe in mẽbris? vt nihil operetur qđ Deo gratũ ſit & acceptũ? Vides vt his oppoſitũ dicere nõ ſolũ abſurdũ ſit, verũetiã multũ diminuat gloriã gratiæ Chriſti, vt quę in nos nulla reuera ſit efficacia, ſed ſolũ per imputationẽ, ceu participationẽ. Fatemur quidẽ iuſtitiã Dei Chriſti nobis imputari.i.meritũ vitæ & mortis eius, nobis enim vt natus erat & incarnatus, ita vixit nobis, & pro nobis mortuus eſt, vt. ſ. morte ſua nobis impetraret remiſſionẽ peccatorũ, recõciliationẽ cum Deo patre, iuſtificationẽ & vires bene operãdi, deniq; ipſam vitã æternã: nec ſolũ impetrauit, verùm etiã hęc omnia meruit: hinc illi gloria datur à turba illa magna quã dinumerare nemo poterat. Cõſtat autẽ meritum reputari eius, pro quo fit: nõ tamẽ ab hac reputatione iuſti denominamur, & ſumus: quanq̃ ex iuſtitia Chriſti nõ formalis cauſa eſt, qua iuſtificamur, ſed efficiẽs & meritoria: quẽadmodũ Deus fortis Zelotes, licèt reddat iniquitates patrũ in tertiã, & quartã generationẽ, multaq; mala & bona propter merita parentũ, ſiue bona, ſiue mala, non tamẽ aut à malis patris filius malus dicitur, aut eius virtutibus iuſtus, ſed iuſtitia iuſti ſuper ipſum erit, & iniquitas impij ſuper impiũ. Ea nanque eſt natura abſolutorum concretorum, vt nõ admittant extrinſecam denominationem, ſed dũtaxat illud ſolùm denominent, cui ineſt forma, quam ſignificant: neque enim dicimus ſapientem eum, qui non habet inhærentem ſibi ſapientiam, ita nec iuſtum dicere poſſumus eum, cui non ineſt iuſtitia.

Natura abſolutorum concretorum.

Cùm ergo ſimpliciter & abſolutè ſcripturæ pronũcient nos iuſtos, neceſſariò fatendum eſt eſſe aliquam nobis inhærentem iuſtitiam, à qua iuſti denominemur & ſimus in conſpectu Dei, incedentes in mandatis eius ſine querela: nam maledictus pronunciatur, qui nõ permanet in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis. Iſtud interim aduertentes, quòd quidam aduerſariorũ confinxerũt, quendam alium modum explicandi ſuam doctrinã, verùm nõ minus abſurdũ. Iuſtificari (inquiũt) eſt Chriſti, & pronunciari iuſtum. At ſi pronũcietur homo iuſtus à Deo, quomodo tu Lutherane audes eum dicere iniuſtum? Si Deus iuſtificet, quis qui cõdẽnet? aut nũquid non iudiciũ Dei eſt ſecundũ veritatem? quomodo ergo poteſt reuera iniuſtus eſſe, quem ille iuſtũ iudicat? Scriptum eſt. Ve qui dicitis malum bonũ, & bonum malum, & rurſus: Ve qui iuſtificatis impiũ. Verè iuſtum igitur facit Deus impium, dum iuſtificat eum, immutãdo affectus, cõuertendo cor eius, imò cor nouum creando in eo, nouanq; prorſus creaturam condendo in operibus bonis. Sed tẽpus expoſtulat, vt ad declarationem articuli veniamus. Vbi aduertendũ iuſtificationẽ accipi pro motu, ab iniuſtitia ad iuſtitiam iſtam, de qua in ſuperioribus, accipiendo iuſtificationẽ paſſiuè, quanquã etiam actiuè poſſet accipi: nam hæc ſe inuicẽ neceſſariò comitantur, Deũ iuſtificare, & hominem iuſtificari. Ad hanc igitur ante omnia fides eſt neceſſaria: inquantũ hæc eſt primũ iuſtificationis fundamentum: ipſa enim eſt doctrix in agẽdis ad obtinẽdam iuſtitiam, quæ eiuſmodi eſt, vt nũquã ſine fide in cuiuſquam hominis, imò nec in cuiuſquã creatæ naturæ: nec angelicæ quidem mẽtem veniſſet: Neceſſaria proinde eſt, non hominibus ſolùm, in ſtatu naturæ

Abſurdũ effugium Lutheranorum.

Iuſtificatio.

Fides ad diuinã hanc iuſtitiam vt primum fundamentum ante omnia requiritur.

corr

corruptæ, verùm etiam ipſi Adæ pro ſtatu innocẽtiæ, imò & angelis ipſis, vt ſine ea nequeant obtinere iuſtitiam iſtam diuinam, quæ ſuperat omnes vires creaturæ, nõ poteſt diffundi in vllam creaturã niſi per ſpiritũ ſanctum, (vt inquit Augu. lib. de ciuitate Dei quinto.) Hinc ad Ephe. inquit Apoſtolus. Saluati eſtis per fidẽ, & hoc non ex vobis, Dei enim donũ eſt: vt ne quis glorietur, ne vlla, ſcilicet, prorſus creatura, in ſe glorietur: ſed quiſquis gloriatur, in domino glorietur, eiq; omne os obſtruatur, & ſubdit, illi fiat omnis mundus. Verùm quænã fuerit fides illis, ſcilicet, Angelis & primis parentibus neceſſaria, non eſt huius loci diſputare: videtur probabilior ſententia, ꝙ fuerit fides in dominũ Ieſum Chriſtum, quòd hic futurus eſſet caput omniũ, etiam ipſorum Angelorum: quod tam ſæpe inculcat Apoſtolus, maximè in Epiſt. ad Ephe. Quam rem non ferens Lucifer, tantam inquam, humanæ naturę ſublimitatem, quam ſibi potiùs deberi exiſtimauit, per hãc ſuam ſuperbiam recidit, trahens ſecum magnam partem Angelorum, ſibi in hac re conſentiẽtium. Nobis autem poſt Adæ lapſum ad iuſtitiam non obtinendã ſolùm, ſed recuperandam neceſſaria eſt fides propitiatoris & propitiationis: ita vt quicquid fecerimus, ſine hac fide, nihil ſit profuturum ad iuſtitiam & ſalutẽ, etiã ſi tantam ſubierimus delictorum noſtrorum pœnitẽtiam, quantam vllus vnquã mortalium, imò quantam omnes ſimul, in ieiunio, fletu, plãctu, &c. Quoniã nec vlla oratio citra hanc fidem eſt Deo accepta, vnde nõ ſufficit fides, qua credimus, nos ex nobis non poſſe cõſequi iuſtitiam, ſed ex ſola gratia Dei. *Verùm requiritur neceſſariò fides, quia certò, credimus Chriſtum Ieſum mediatorem & propitiatorem nobis à patre propoſitũ eſſe*

Fides eſt donum Dei, ac proinde nõ niſi ab ipſo Deo haberi poteſt.

Fides in Ieſum venturũ erat fundamentum iuſtitiæ angelorũ ac primorum parentum.

pro peccatis noſtris in ſanguine ipſius. Quæ quidem fides mirum in modum nata eſt in nobis excitare affectus, quos requirit pœnitétia, quę poſt fidem neceſſaria eſt ad iuſtificationem:vt dicetur in ſequenti parte articuli. Quis enim conſyderans tantū malum eſſe peccatū, ipſumq́; adeò Deum offendere,vt nullis precibus,nullis omnino obſequijs naturalis & vnigeniti filij ſui potuerit placari, niſi ſimul & ipſe proprium ſanguinem funderet, & non extabitur ad eius odium & deteſtationem? Quis rurſus conſyderans tãtam charitatē Dei patris erga nos,vt vnicū filium ſuum dederit in mortem pro ſalute noſtra,& non vehementer accenditur ad redamandum tantum & tali modo amãtem? Rurſus qui cōſyderat,quanta filius Dei paſſus eſt pro peccatis noſtris,vt nos patri reconciliaret, & ſubterfugiet moleſtiam vllam & aſperitatē pœnitentiæ pro peccatorum reconciliatione, & remiſſione cum patre aſſequēdis? Hæc ergo fides in primis & ante omnia neceſſaria eſt ab obtinēdam iuſtificationem,qua credamus nos nullo modo poſſe obtinere, niſi à patre per filij propitiationem, cui proinde tota noſtræ pœnitentiæ virtus eſt tribuenda,vt citra quem nihil faceret eã pater,niſi filius hoc apud eū obtinuiſſet merito ſuæ mortis,vt ipſe ad nos corde cōtritos reſpiceret,& cor cōtritum & humilitatū non deſpiceret. *Loquimur autē de fide actuali, & hanc dicimus debere adeſſe actu vel virtute*, & propterea reſtringimus neceſſitatem hanc ad adultos. *Conſtat enim paruulos, in quibus nulla eſt rationis poteſtas in vſu non poſſe actualē fidem habere.* Additur notãter *ad iuſtificationem*: nam ad alios affectus ſalutares non eſt fides propitiationis neceſſaria, nec ad omnem iuſtificationem,ſed ad eam duntaxat,quæ eſt

à pec

à peccatis. Vnde & huius expreſsè ferè meminerũt, dũ propitiationis, aut reconciliationis, ſiue diuinæ propitiationis meminerũt. Verùm fidem oportet correſpõdere affectui obtinendo pro directione, auxilio, ſalute, remuneratione obtinẽdis, opus eſt fide directoris, adiutoris, ſaluatoris, remuneratoris, *id eſt, credendum eſt, quòd ſine Chriſto dirigente, auxiliante, & ſaluante remunerante non poſſumus aliquid eorum obtinere*, & quòd ab ipſo nobis ſunt illa & virtutes obtinendi, vt in omnibus, quæ ſalutis ſunt, toti & ſemper ab illo pendeamus: de nobis omnino diffidentes. Hosq; affectus animi non poſſumus habere, niſi fide illuſtrãte intellectũ noſtrum, & nos dirigente. Quapropter ſine illa nõ eſt vlla ſpes obtinendi iuſtificationes, aut aliquid omnino boni ſalutaris. Non enim poſſumus ne cogitare quidẽ aliquid boni à nobis, quaſi ex nobis: ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum: & ſine fide omnino impoſſibile eſt placere Deo, vel nos, vel opus noſtrum: vt deducit Apoſt. ad Heb. xj. Vbi aduerte, ꝙ pro hac cauſa Moſes magis elegerit affligi cum populo Dei, quàm temporalis vitę ſeu peccati iucunditatem habere, maiores æſtimãs diuitias improperium Chriſti, Theſauro Ægyptiorum. Additur. Aſpiciebat enim in remunerationem, & non in propitiationem ceu redemptionem: & intelliges verum eſſe, quod dicimus, pro varietate, ſcilicet, effectuũ obtentorum, aut obtinendorum variari fidei obiectũ.

Altera pars articuli cõtinet fidem eſſe neceſſariam ad veram pœnitentiam, ita vt ſine ea non poſſit vera pœnitentia peragi, qualem ſcripturæ requirunt ad impetrandam remiſſionem peccatorum, & gratiam iuſtificationis. Pro cuius intellectu aduertendum

Primum. eſt in pœnitentia iij. includi. Primum quod importat ipſum nomē, Pœnitentia eſt dolor de peccato admiſſo. *Secundum.* Secundum, eſt diligentia placādi Deum offenſum. *Tertium.* Tertium eſt propoſitū emendandæ vitę:atq; hęc duo à primo illo quod diximus in ipſius vocis ſignificatione, includi reperiūtur. Si enim efficax ſit dolor, qui ſuſcipitur propter Dei offenſam: cōſequens eſt, vt quęrat qui offendit medium, quo recōciliatur offenſo, & rurſus vt concipiat propoſitum cauendi deinceps offenſam. Dicimus igitur de primo & tertio dubitari poſſe, an fidem neceſſariò requirant. Quidam nō improbabiliter defendūt eiuſmodi affectus poſſe aſſumi ex ſolo iudicio naturalis rationis circa fidem: certum tamē videtur, ad ea non requiri fidem in propitiatorem, licèt hæc ipſa multùm conducat, ſicut & fides in genere. Si tamen (quod minus probabile nobis videtur,) nō ſit omnino neceſſaria fides, eaq; quæ ſit de ipſo propitiatore, hinc eſt quòd ſcripturæ ſacræ percrebò eam pœnitentiæ coniungant. Veluti cùm dominus Saluator eam primò annuncians ait Marc.j. Pœnitemini, & credite Euangelio. Et D. Paulus act.xx. in cōcione quā habuit ad maiores natu in Epheſo congregatos, Teſtificatum ſe dicit Iudæis atq; Gentibus pœnitentiam in Deum, & fidem in dominum noſtrum Ieſum Chriſtū. Quibus ſcripturis probari videtur, etiā ad omnes pręctactas pœnitentiæ partes requiri fidem aliquam in Deum: verùm citra periculum hæreſis, vt præmiſimus de eius neceſſitate quoad primū & vltimum, quod in pœnitētia includitur, dubitari poteſt. De medio verò, quin neceſſariò eam requirat, omnino non licet dubitare, quoniam ita ordinauit pater, vt quemadmodum nullus venit ad filiū niſi à ſe tractus: ita nullus quoq;

ad ſe

ad ſe veniat, niſi per filium. Non enim eſt aliud nomẽ datum ſub cælo, in quo oporteat nos ſaluos fieri: alioquin enim ſi vel ex operibus noſtris, vel etiam ex gratia patris aliunde quàm per filium iuſtificari, aut ſaluari poſſemus, Chriſtus gratis mortuus eſſet. *Habet enim ſe fides in iuſtificatione per modum directionis & ponentis rationem & modum perueniendi ad iuſtitiam, nempe vt diffidentes de nobiſipſis noſtra pœnitentia, noſtriſque operibus omnibus, & illorum omnium inſufficientiam agnoſcẽtes, omnem ſpem in Chriſto collocemus, ab eóque toti pendeamus, certò perſuaſi, quòd nihil noſtrorum conatuũ pater reſpiceret, niſi in gratiã filij ſui, qui hoc apud ipſum promeritus eſt*, vt cor contritum & humiliatum non deſpiceret, verùm oculis miſericordiæ ſuæ reſpicere dignaretur pauperculum, contritum ſpiritu & trementem. Ad conſimilem quoque modum ſe ſe habet ſiue fides, ſiue infuſa prudentia, quæ illi immittitur iam iuſtificato, oſtendens iuſto modum deinceps viuendi. Et rurſus: vnde nam in vita ſua habeat, quòd Deo placeat, ac vſque gratus ſit illi, vt ab illo ęterna retributione remuneretur. *Ipſa verò pœnitentia ad iuſtificationẽ habet ſe vt proxima diſpoſitio, quæ expellendo peccatum iuſtitiam introducat.* Hinc eſt, quòd reliquæ ſcripturæ, exceptis Paulinis epiſtolis, multò frequentiùs illi iuſtificationem tribuant, quàm fidei: adhortantes in primis peccatores ad pœnitentiam: vt liquet ex vete. teſta. & euãgelijs: quo factum eſt, vt varij errores naſcerentur in eccleſia Dei: alijs non attendentibus ad Pauli doctrinam, ſoli pœnitentiæ tribuentes iuſtitiam, alijs ſolius Pauli doctrinæ oculos intendẽtibus, ſoli fidei eandem vendicantibus Ipſa verò catholica Chriſti eccleſia ſpiritusſancti directione gubernata, vtriſque ad inuicem

collatis,neque huic,neque illi ſolùm, ſed ambobus ſimul, & fidei, & pœnitentiæ tribuit iuſtificationem. Probè nanque ex ſcripturis didicit, & quòd peccator niſi pœnitentiam egerit,peribit:& quòd qui non crediderit,etiam ſi pœnitentiam egerit, condemnabitur. Proinde ſcripturas de pœnitentia loquentes ita interpretatur, vt fidem quoque includere intelligatur: alias verò,quæ non niſi fidei meminerunt,ſic accipit, vt in ipſa fide pœnitentia & contritio cordis includi intelligantur. Quod Apoſtol. Paulus palàm explicuit,dum Ro.x.concluſurus quam habuerit hactenus de iuſtitia fidei diſputationem, ſic ait comparans legis iuſtitiæ fidei. Moſes(inquit)ſcripſit, ſcilicet Leuit. xviij. Iuſtitiam quæ ex lege eſt,qui fecerit homo,viuet in ea, vita ſcilicet temporali. Quæ autem ex fide eſt iuſtitia:ſic dicit de ea.Ne dixeris in corde tuo.Quis aſcendet in cælum, vt ſcilicet inde iuſtitiam ad nos
Deutero.30. deferat?nam hoc eſt Chriſtum deducere, ideſt,hoc eſt negare eius aduentum,& eum demũ velle ad nos deducere:aut,Quis deſcendat in abyſſum,hoc eſt Chriſtum à mortuis reuocare, ideſt negare eũ reſurrexiſſe. Hęc eſt myſtica verborum Moſi intelligẽtia,quã Paulus ſpirituſancto edoctus nobis explicuit. Nam ad literam Moſęs docere voluit, quid faciendum foret populo in captiuitatem abducto propter peccata ſua, nempe quod ad dominum deberet ſe conuertere in toto corde ſuo,& in tota anima ſua:quod quidẽ mandatum neque ſupra ipſos poſitum eſſe docet, ipſorũ ſ. vires ſuperans,neque etiam procul poſitum ab vnoquoque ipſorum, aut in cælum,aut tranſmare, vt illic differendum ſit,quò non poſſit quiſq; pertingere.Sed (inquit) iuxtà eſt ſermo in ore tuo valde, & in corde
tuo

tuo vt facias illum. Hæc igitur verba transferens ad iuſtitiam fidei Apoſtolus, ſubdit loco prętacto. Sed quid? Prope eſt verbum in corde tuo, & in ore tuo. deinde ſubiũgit: hoc eſt verbũ fidei, quod prędicamus hoc ipſum ſcilicet verbum, quod Moſes locutus eſt populo Dei, demonſtrans ei rationem & modum, quibus poſſent à ſe auertere aut depellere Dei maledictiones, nempe ſi ſe toto corde & tota anima ad ipſum cõuerterent, futuri ei deinceps obedientes in omnibus verbis ſuis. Vides igitur, vt iuxta apertam declarationem Apoſtoli, fides cui tribuit iuſtitiam, in ſe comprehendat conuerſionem cordis ſiue pœnitentiam. Vnde & in epiſtol. ad Galat. Simili conſilio cùm ad eum vſq; locum fidei dũtaxat meminiſſet: quod id requireret, quemadmodum & in ea quę eſt ad Ro. epiſtola ſuſcepta diſputatio, ne quis inde ſumeret erroris occaſionem: tandem c. v. velut concludens diſputationem oſtendit, quam fidem intellexit in præcedentibus, In Chriſto (inquit) neque circuncilio aliquid valet, neq; præputium, ſed fides, quæ per dilectionem operatur. Et quia non obſtante tam aperta eius explicatione viderunt alij Apoſtoli, Petrus, Iacobus, Ioannes, Iudas, quoſdam accepturos ex eius ſcriptis erroris occaſionem: contra eum (inquit) Auguſti. *Auguſtinus.* de fid. & operib. capit. xiii.) maximè dirigunt intentionem, vt vehementer aſtruant fidem ſine operibus non prodeſſe. Ex eodẽ quoq; Apoſt. Pauli loco c. x. ad Roman. colligimus in pœnitentia & conuerſione cordis, de qua ſcripturæ mentionem faciunt, intelligi debere fidem includi, vt ex qua procedere debeat. Vnde & locum illum ex Deuteron. qui ſolius conuerſionis & non fidei meminit expreſsè, aptat fidei, hoc

(inquiēs)eſt verbū fidei, quod prędicamus. *Verùm quoniam in ipſa ratione ex ſubſtantia fidei non includitur iſta pœnitentia & conuerſio cordu, ſicut nec ipſa fides in cō uerſionis* & *pœnitentiæ ſubſtantia*: ideo rectè inſtruit articulus, quodq; admodum ſine fide, nullis noſtris operibus, nullaq; pœnitentia iuſtificatio obtineri poteſt: ita nec ſola fide ſine pœnitētia & propoſito viuēdi ſecundum mandata Dei. In qua quidem poſtrema articuli parte, quid excludat vox ſola, particulæ ſequentes declarant, nempe pœnitentiam, & propoſitum viuendi ſecundum mandata Dei: quæ quidem conſtat extranea eſſe ab ipſa ſubſtantia fidei, quę nō eſt aliud, quàm firmus aſſenſus, quo quis aſſentitur verbo Dei, ſiue rei cuipiam à Deo reuelatę. At obijciet fortaſſis quiſpiam iuxta apoſtoli doctrinam, iuſtificamur fide ſine operibus: dicit enim ca.iij. ad Rom. Ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro corā illo: & paulò inferiùs. Arbitramur hominem iuſtificari per fidem ſine operibus legis. Item c.iiij. Si Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, non habet gloriam apud Deum. Item ei qui non operatur fides operatur ad iuſtitiam. Ex quibus quidē locis conſequi videtur, quòd iuſtitia non ex operibus, ſed ex fide ſine operibus, ſiue ipſam eſſe ex ſola fide. Reſpondendum Paulum in tota hac epiſtola palàm opponere opera legis, imò & opera ſimpliciter ipſi fidei, ſicut & legem ipſam gratiæ opponit: quemadmodum liquet tam ex vltimo potiſſimùm loco, quem ex ipſo adducit obiectio ei, qui non operatur, credenti autem in eum &c. quàm ex ca.vj. vbi ait: Non enim eſtis ſub lege, ſed ſub gratia. Iis ergo duntaxat operibus iuſtitiā detrahit, ceu iuſtificandi vim, quæ non procedunt ex fide, ſed ex ſolis liberi arbitrij viribus, aut duntaxat ad

Obiectio.

Roma.iij.

Nota.

mi

miniculo legis adiutis, certè quòd præter fidem requiratur ad iuſtificationem obtinendam conuerſio cordis per pœnitentiam ad Deum,palàm ex Paulo demõſtrauimus: & tota inſuper reliqua ſcriptura nuſquam non manifeſtiſſimè demonſtrat. Ipſe D.Ioan. domini præcurſor,nunciúsve prædicationis à pœnitentia exorſus eſt.Item poſtea fecit ipſe Chriſtus.Pœnitentiam agite(refert Matt.iiij.& v.cap.ſui euangelij) appropinquabit enim regnũ cælorum.& Marc.c.x.Pœnitemini & credite euãgelio. Et apud eundẽ c. xiij.ait dominus.Niſi pœnitentiã habueritis,omnes ſimul peribitis. Similiter D. Petrus in prima, quam habuit poſt Chriſti aſcenſionem ad populum cõcione,pœnitentiæ neceſſitatem claris expreſſit verbis.Rogantibus enim Iudæis,quid facere deberent:repletus ſpirituſancto reſpõdiſſe legitur.Pœnitentiã agite,& baptizetur vnuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorũ. Et c.viij. act. idem Petrus ait ad Simonem Magum.Pœnitentiã age ab hac tua nequitia,& roga Deum, ſi fortè remittatur tibi hęc cogitatio cordis tui.ſic D.Ioan.in apoc. introducit angelum loquentem eccleſię Epheſinæ.Memor eſto vnde excideris,& age pœnitẽtiam, & prima opera fac.Sed quid adhuc locis recenſendis immoramur? Plena eſt ſcriptura vtriuſque teſt.commendatione pœnitentiæ nuſquam nõ eius vtilitatem & neceſſitatem declarans,imò eam multò frequẽtiùs inculcans quàm fidem:excepto enim vnico Paulo,vt ſuprà diximus,reliqui ſcriptores rariùs expreſsè tribuunt iuſtificationẽ & ſalutem,pœnitentię autẽ frequentiſſimè :quòd hęc ſit proxima diſpoſitio ad iuſtitiam obtinendam, vt diximus,ſi ea fidem includat & ſupponat., quandoquidem ipſa eſt initiale fundamentum omnis boni . Fides

inquit apoſtol. eſt ſubſtantia & fundamentum ſperandarum rerum, ſine qua Deo non ſolùm non placere valemus, ſed nec ad ipſum accedere poſſumus, vt placeamus. Nec opus eſt ad eam reſtituendã pluribus vti teſtimonijs, quoniam hæc nuſquam non ſe palàm offerunt: nec ſuper ea re vlla nobiſcum aduerſarijs eſt controuerſia. Fatentur enim tam aperta ſcripturarum teſtimonia, eáque innumera quorum paucula quædam recenſuimus. Adhęc docet idipſum ratio naturalis, pœnitentiam neceſſariò ſubeundam, ſiue à filio ſi patri, ſiue à ſeruo ſi is domino cupiat offenſo reconciliari. Quis enim pater filium in gratiam recipiet, quem non pœnitet offenſæ? Quis dominus ſeruo reconciliatur, quem non pœnitet deliquiſſe? Vnde non videtur nobis probabilis quorundam ſententia, docentium vehementem interdum dilectionis ardorem (qualis eſſet eius, qui raperetur propter Chriſtum ad martyriũ) ſupplere, quod pœnitentiæ deeſſet. Indecens enim videtur, ſi inquirens amicitię patris, aut domini reconciliationi meritò offenſæ, nondum compenſata, póſtque iniuriam non oblata ad minus ſatisfactione temerariè accedere pro pace non veretur offenſum: verùm primùm pœniteat veteris vitæ decet, qui vult nouam inchoare, & reformare amicitiam deperditam. Exceptum tamen volumus caſum, quo quis prætermitteret pœnitentiam, eò quòd citra culpam non occurrit memoriæ, ante confeſſa peccata. Similiter præter pœnitentiam admiſſorum delictorum requiri propoſitum vitæ emendandæ manifeſtum eſt. Qui enim vult alicui reconciliari, oportet offerat ſe paratum ad ſeruandum leges amicitiæ, quæ ſunt idem velle, & idem nolle. Neceſſarium igitur eſt, vt qui offenſi

Chriſti amicitiā rurſus inire ſtudet:paratus ſit illi dein ceps,illiuſque mandatis ſubijci,prǽſertim cùm offenſa, quę inimicitiam pepererat,contigerat per præuaricationem mandatorum ipſius.

ARTICVLVS NONVS.

De obiecto fidei.

Fides,qua quis firmiter credit & certò ſtatuit propter Chriſtum ſibi remiſſa peccata eſſe, ſeque poſſeſſurum vitam æternam,nullum habet in ſcripturis teſtimonium:imò eiſdem aduerſatur:& ſi firma & certa ſpe expectare debemus in hac quidem vita per ſacramentum baptiſmi & pœnitentiæ peccatorum remiſsionem , in futuro autem ſœculo vitam æternam.

CIRCA hunc articulum primùm explicandum eſt, quid ſentiāt aduerſarij. Primùm igitur in hoc nobiſcum conueniunt , quòd faciunt obiectum fidei verbum Dei quęcunq; cōtineat, ſiue prǽſentia,ſiue præterita,ſiue futura,ſiue comminationes,ſiue permiſſiones,ſiue res exhibitas,ſiue exhibēdas : verùm hoc Dei verbum arctant ad ſcripturas ſacras, *cùm per eccleſiam citra ſcripturas multa prodiderit Spiritusſanctus:* vnde dicunt,quēadmodū & nos ipſam primam veritatem nobis reuelatam, eſſe formale obiectum fidei, cuius conditio ipſi eſſentialiter adiūncta, ob quam illi fides immobiliter innititur , eſt veritas ipſius Dei reuelantis,per quēm fit,vt ſicut non poteſt

Obiectum fidei.
Dogma aduerſariorum.

ipſe falli, ita nec nos fallere poteſt. Duo autem potiſſimùm aiunt Deum nobis in ſcripturis patefacere: Vnum qualis ipſe ſit in ſeipſo: alterum, qualis ſit erga nos, videlicet optimo & plus quàm dici poſſit affectu, & charitate maiore, quàm vlla mens ad plenũ poſſit concipere. Quem affectum teſtificatus eſt nobis, dum filium ſuum vnigenitum in hunc mundum miſit, cumque pro nobis incarnari voluit, atque in natura aſſumpta pati & mori pro nobis, vt ſcilicet nos à peccato & morte liberaret, & patri ſuo reconciliaret, in filios rurſus adoptaret, & hæredes regni, à quo per peccatum excideramus, rurſus conſtitueret: aliaq; maxima & precioſa nobis promiſſa donauit: quæ omnia in ſcripturis ſuis explicare dignatus eſt, *vt oblata per fidem accipiamus*. Hanc igitur Dei bonitatem, ſiue bonam voluntatem erga nos, quam ſcripturę multipliciter explicant, volunt eſſe velut formalẽ rationem obiecti fidei, non ſecus atq; eſt ratio veritatis Dei. Primùm igitur in primis docent hanc debere reſpici, attendi & conſyderari à fide, ita vt alia omnia non cadãt ſub fide niſi per relationem ad hanc Dei bonitatem. Cõmminationes *proinde, iram, vltionem, vindictam Dei, pœnásque æternas & acerbiſſimas quas ſumet de reprobis, volunt fidẽ non reſpicere, niſi quatenus dicta ſunt à Deo nobis optimè volẽte, quatenus illorum conſyderatione territi, ad apprehenſionem & acceptationem bonitatis eius, & beneficiorum quæ tota reliqua ſcriptura proponit confugiamus per fidem: qua credamus omnia illa, illum nobis verè impertiri per filium, remiſſionem peccatorum, ipſam quoque iuſtitiam, & vitam æternam:* & ſic perſuaſi de aſſecutione illorum tantorum bonorum affectu in ipſo Deo conquieſcamus, pacemque plenam habeamus

mus

mus. *Hanc fidem aſſerunt neceſſariò ex ſe gignere charitatem, viuamq́ eſſe, non quidem vita emendicata à charitate, cùm ipſa eam pariat, ſed vitam habere & ſpiritum, qui ipſam donat,* talemque efficit. Quis enim (inquiunt) certiſſimè & infallibiliter perſuaſus de eiuſmodi affectu & amore inexplicabili Dei erga nos, poterit tantum amatorem non redamare, non ſe totum & pleniſſimè ei ſubijcere, totum ſe in eius obſequium & proximorum propter ipſum impedire? *Charitatem ergo Dei faciunt fructum fidei, & ſpiritus inſpirantis fidem, qua viuit iuſtus,* vt ex iij. capit. Abacuc, docet Apoſtolus j. cap. ad Rom. Hinc & de ſeipſo dicit ad Galat. ij. Quod viuo ego, in fide filij viuo. Et rurſus: Viuo iam, non ego: viuit verò in me Chriſtus. Ad id autem, quod obijcimus ex apoſtolo. Nunc autem manent tria hæc, fides, ſpes, & charitas: maior autem horum eſt charitas. ex quo conſequi videtur, charitatem dici fide maiorem, & eam ſuperare dignitate. Reſpondent *charitatem dici maiorem fide; non quòd ſit dignitate præſtantior, ſed quia latior eſt, & ad plura ſe extendit, ad Deum ſcilicet, & ad homines,* hosq́; tam amicos, quàm inimicos, tam viuos quàm mortuos, *cùm fides duntaxat Deum, Deiq́ verbum reſpiciat.* Poſtremò volunt aduerſarij *hanc vitam eſſe ab eo, qui ſemel verè credidit inſeparabilem: quoniam (inquiunt) per eam homo Chriſto datur: oues autem Chriſti nemo poteſt rapere de manu ipſius.* Quòd ſi obijcias Petrum, qui tamen fidẽ habuit, & tamen poſt ſuſceptam ſemel fidem negauit dominũ ſuum, & proinde ab ea fide excidiſſe. Reſpondent Bucerus & Caluinus, (Philippo & alijs pleriſq;, vt opinor, diſſentientibus) *in Petro fidem non fuiſſe extinctam, ſed duntaxat ſopitam,* vt deſineret exercere vires

Charitas fructus fidei.

Errores hæreticorum.

Bucerus.
Caluinus.

ſuas,quas tamen poſtmodum reſumpſit. Hoc etiam aduertendum eſt, eis non ſatis eſſe credere in genere Deum eſſe propitiatorem, [illegible]minem,&miſericordem, niſi quiſque apud *ſe certò ſtatuat,quòd Deus ipſi ſit miſericors*,& propitius,nõ imputans ampliùs delicta, ſed in gratiam recipiens,propter Chriſtũ,non ſecus,quàm ſi expreſsè ſibi foret Dei verbo. *Tibi remittuntur peccata. Scripturæ enim(inquiunt) loquuntur vniuerſaliter, neminem excipientes credentem a participatione beneficiorum filij Dei.*Hinc Apoſt.ad Galat. ij. Quod autem nunc viuo in carne,in fide viuo filij Dei,qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me. Quem locum Chryſoſto. citans lib. de compunctione cordis ſic habet.*Hic eſt affectus ſerui fidelis,vt beneficia domini ſui, quæ communiter data ſunt omnibus, quaſi ſibi ſoli præſtita computet,& quaſi ſit omnium debitor, & pro omnibus ipſe ſolus habeatur obnoxius.*Hoc enim fecit Paulus qui mortem domini,& ſaluatoris noſtri,quæ pro vniuerſo impenſa eſt mũdo,ſibi ſoli præſtitam dicit, quaſi enim de ſe ſolo loquens,ita ſcribit.Quod enim nũc viuo in carne,in fide filij Dei viuo. Et reuera quid intereſt?Si & alijs præſtitit,cùm quæ tibi pręſtita ſint, ita integra ſint, & perfecta, quaſi nulli alij aliquid ex his fuerit præſtitum. Idipſum ibidem pluribus proſequitur,vt licet in ipſo authore videre, in eodem loco.Hactenus ergo optima fide,& ea qua potuimus probabilitate,propoſuimus aduerſariorum de fide ſententiam, quam in hunc modum reperies *in Caluino deſcriptam, in inſt. Chriſt. titulo de fide.* Fides Euangelica eſt firma certaq́; cognitio, quæ gratuitè in Chriſto præmiſſionis veritate fundata, per ſpiritum ſanctum reuelatur, & cordibus obſignatur. Reſponſuri igitur ad hoc

Chryſoſtomus

Reſolutiones argumẽtorũ.

ipſor

ipſorum dogma, aduertamus oportet, ſcripturas ſacras palàm docere totam humani generis maſſam eſſe peccato corruptam & perditam, noſque omnes naſci filios iræ, & æternę dãnationi obnoxios: & niſi nos ab hac ira & damnatione liberet miſericordia Dei, nos ab his malis non liberari poſſe. Rurſus Deum ipſum ſecundum æternum propoſitum ſuum, & decretum ſic vti ſua miſericordia, quoſdam ſecernendo ex hac maſſa perditionis, vt etiam in multò maiore parte hominum vtatur ſua iuſtitia eos deſerendo, & non eruẽdo ex hac perditione in qua nati ſunt. Idque in hunc finem quemadmodũ explicat Apoſtolus Rom. ix. vt oſtendat diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quę præparauit in gloriam. Eius rei conſideratione cantat Apoſtolus Paulus, miſericordiam & iudicium, dum præallegato loco ſubinfert. Ergo cuius vult miſeretur (inquit) de magna bonitate, & quem vult indurat, nulla iniquitate, vt nec liberatus de ſuis meritis glorietur, & damnatus, niſi de ſuis meritis conqueratur: *ſola enim gratia redemptos decernit à perditis: quos in vnam perditionis maſſam concreauerat ab origine.* Et infrà ponit reſponſionem obiurgatoriam Apoſtolus, qua conquerentibus de Deo reſpondet. ô homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo &c. Videt (inquit Auguſtinus) homo ſi ei placet, quòd ſi vniuerſum genus humanum tam iuſto iudicio diuino in apoſtatica radice damnatum eſſet, vt etiam ſi nullus, niſi liberaretur, nemo poſſet rectè Dei vituperare iuſtitiam: propterea etiam qui liberantur, ſic oportet liberari, vt ex pluribus non liberatis atque in damnatione iuſtiſſima derelictis, oſtendatur, quid vniuerſa meruerit conſperſio, vtque volentium de ſuis meritis

gloriari omne os obſtruatur,& qui gloriatur in domino glorietur.Hæc ille.Idem habet in lib. de prædeſtin. ſanct.& in lib.de bono perſeuerantiæ. Hoc autem iudicium Dei imperſcrutabile maximè elucet in paruulis,quorum vnus ad baptiſmum miſericordia Dei peruenire conceditur,alter verò,quamuis citra propriam culpam morte præuenitur & damnatur. Rurſum in adultis æquè impijs,*vnus trahitur, vt ſequatur, alter pari impietate non item, & duorum æquè piorum alteri datur perſeuerantia in finem vſque, alteri non.* Conſtat autem hos effectus in æternam Dei prædeſtinationem eſſe referendos, non in humana merita aut demerita. Quemadmodum de Tyro & Capharnaum explicat Auguſtinus cap.ix.& x. de bono perſeuerantiæ.Quæ cùm ita ſint,manifeſtum eſt, non velle Deū voluntate efficaci omnes homines ſaluos fieri: ſi enim eo modo vellet,procul dubio fieret:omnia enim quęcunq; voluit, fecit. Quare imprimis falſa eſt fides aduerſariorum,de fide diuinæ volūtatis erga omnes homines ꝙ eo,ſcilicet affectu erga omnes vtitur, vt velit omnes efficaciter ſaluare:& quomodo id poſſet conſiſtere cum eo quod licèt falsè & impiè docent, quod dogma etiam à Pelagio Aug.obiectum,Deum quoſdā creare ad æternam damnationem, & creādo dououere æterno ſupplicio & perpetuæ damnationi. Ad ſcripturam autem Apoſt.qua dicit.*Omnes homines ſaluos fieri,reſpondet Auguſt.* pluribus locis, illius triplicem aſſignans intelligentiā,aut enim intelligenda ibi eſt eſſe *diſtributio pro generibus ſingulorum*, id eſt, ex quolibet hominum genere vult aliquos ſaluos fieri.Cui ſententiæ ſatis conſonant textus circunſtantiæ. Iſtud enim aſſignat pro cauſa, cur velit orari pro omni genere homin

Solam Dei voluntatē eſſe cām quorundam prædeſtinationis, & quorundā reprobationis.

Deum non habere erga omnes homines æqualem affectum.

Auguſtinus.

hominum:pro regibus,principibus, &c. quoniam inquit,vult omnes ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.Secundò poteſt intelligi eſſe diſtributio,quã vocant in ſcholis *accommodam ſiue reſtrictam* : vt ſit ſenſus.Vult omnes homines ſaluos fieri,*id eſt,qui ſalui fiunt homines venientes in hunc mundum*. Tertiò rectè intelligitur ea ſcriptura loqui *de voluntate præcepti*, *id eſt,vult vt omnes homines velint ſalui fieri,vtq; ad ſalutem tandem perueniant,totis admittantur viribus*. Et quiſquis tandẽ ſenſus Germanus ſit eius ſcripturę,certum eſt per eum nõ ſignificari Deum efficaciter velle, vt omnes ad ſalutem perueniant : alioquin proculdubio fieret,(cùm voluntati eius non ſit, qui queat reſiſtere)nulla humana malitia valeat obſiſtere. Declarant autem apertiſſimè ſcripturæ aliquos dãnari, & hos ab æterno à Deo reprobari, *imò verò multos eſſe vocatos,paucos verò electos*,latamque eſſe viam, quæ ducit ad perditionem, arctamque & anguſtam eam, quæ ducit ad vitam : & eam paucos ingredi, & quomodo in hac tanta paucitate electorum poterit quiſpiam certò credere ſe eſſe de numero eorum?At conſtat non niſi electos peruenire ad ſalutem : *vt ergo incerta eſt vnicuique ſua electio:ita incertus exitus, incerta ſalus,& iuſtitia,& remiſſio peccatorum* : quod & ipſis neceſſariò confitendum fuerit,ſi ad illam ipſam,fidem ſufficere credant ad iuſtitiam. Verùm eam requirunt quæ prorſus immutet hominis affectum, totumque cor emoueat, pleniſſimè illud Deo ſubijciẽs, vt nihil præter ipſius honorem & gloriam quærat. *Eiuſmodi autem affectus in nobis eſſe non niſi experientia diſcimus,quam fallacem facit,& non rarò fallunt nos cordis noſtri profunditas & inſcrutabilitas*, (vt interim *Magnum argumentum.*

taceamus)quòd Angelus *Satanæ transferat ſe in Angelum lucis:rurſus,quod multipliciter ſpiritus Dei etiam loquitur,& operatur in cordibus quæ necdum inhabitat.*

Ad hæc cùm doceant ipſi veram fidem non fuiſſe, niſi quæ ad finem vſque perſeuerauerit, ad ſalutem producat credentem,æquè incertam oportet eſſe hāc fidem, fideiq́ue iuſtitiam, atque eſt ipſa æterna ſalus: quæ quàm cuique incerta eſt,ex ipſa electionis incertitudine oſtendimus. Ad ſcriptūras autem quæ docent à patre Chriſtum propoſitum propitiatorem,redemptorem, aduocatum pro toto humano genere, ipſum paſſum,mortuum,pro omnium peccatis ipſum eſſe medicum, qui curat omnes infirmitates noſtras. Reſpondemus hæc omnia beneficia nobis à patre parata eſſe, per filium omnibus & ſingulis: verùm non omnes fieri participes declarant ſcripturæ.Verùm requirunt certa media ex parte hominum, per quæ ipſi fiant illorum participes,quod nec ipſi quidem diffiteri poſſunt, *cùm incredulos & infideles ipſorum iudicio ab horum bonorum beneficio excludant.* Nos autem non ſolam fidem, ſed præter hanc ſacramenta requirimus,baptiſmi in paruulis, quemadmodum explicat articulus.Neque enim vult Chriſtus, neque congruit honori patris,vt impœnitens & in malis ſuis perſiſtens reconcilietur: & cùm patronus non ſit iniquitatis, non ſuſcipit eorum patrocinium & defenſionem, qui in peccatis ſuis permanent, & non reſipiſcunt à diaboli laqueis. *Verum quidem eſt, quòd quantum eſt ex parte Dei totum genus humanum,omnesq́ & ſinguli homines ſunt redempti, reconciliati, deleto peccati chyrographo quod erat aduerſum nos,& cruci affixo:*eſt enim copioſa apud eum redemptio, per cuius ſufficien-

tiam

tiam ipſe in Chriſto mundum ſibi reconciliat:non imputans eis ampliùs delicta ipſorum: *ſed ex parte hominis, requiritur vt præſtet conditiones, de quibus conuenit inter Chriſtum & patrem, vt ipſe in gratiam ſui hæc beneficia efficaciter largiatur hominibus*, atque hæc duo mira prudentia diſtinxit Apoſtolus Corint. v. Cùm enim præmiſiſſet omnia ex Deo,qui nos reconciliauit ſibi per Chriſtum, & dedit nobis myſterium reconciliationis, quando quidem Deus erat in Chriſto,mundum reconcilians ſibi,non reputans illis delicta ipſorum, & poſuit in nobis verbum reconciliationis. Deinde ſubiunxit. *Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tánque Deo per nos exhortante, obſecramus pro Chriſto,reconciliamini Deo. Vides vt velit reconciliari Deo, quos priùs dixerat Deum ſibi reconciliaſſe.* Quo pacto autem ſibi reconciliaſſe Deum intelligi debeat, declarat dum ſubiungit. Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis fecit peccatum: vt efficeremur Dei iuſtitia in ipſo, id eſt, Chriſtum fecit hoſtiam ſufficientiſſimam ad expiationem omnium peccatorum noſtrorum. Quod autem aiunt, fidem non reſpicere niſi ipſam diuinam bonitatem, & alia duntaxat ſub ipſa,conſtat eſſe falſum: cùm fides primò & principaliter reſpiciat primam veritatem reuelantem, *& quæcunque per eius reuelationem nobis innoteſcunt, ſiue ei bona ſint, ſiue mala*. Quemadmodum enim fides, quam homini adhibemus,innititur eius veritati,quæcunque ſint,quæ narrantur: ſic & fides quæ Deo adhibetur,innititur eius veracitati,quod ipſe ſcilicet ſit, nòn ſolùm verax, ſed verum, ipſa veritas, eaque prima,quæ nec falli,nec fallere poteſt,& proinde nec falſum eſſe, quod nobis reuelat,poſſe. Vnde Apoſtolus

oſtendens, quòd nō poſſit Dei fides euacuari vlla noſtra infidelitate, ſubijcit pro probatione. Eſt autem Deus verax. & alibi: qui non mentitur Deus. Vides vt vbique ad credendum inducat *non ex Dei bonitate, ſed ex eius fidelitate & veracitate.* Quod etiam aiunt *fidem neceſſariò ex ſe gignere charitatem*, etiam ſi de ea quam ipſi concipiunt, fide intelligas: liquet eſſe falſum. Tanta enim eſt libertas humani arbitrij, tantaque humana malitia, vt etiam ſic apprehenſam per fidem tanquam ſibi optimè volentē non amet, quanquàm regulariter talem apprehenſionem ſequatur amor in non omnino peruerſis. Rurſus quod dicunt *ſcripturas loqui vniuerſaliter omnibus*, eas nempe quæ proponunt Deum propitium factum, reconciliatum, dimittere & non imputare peccata, propter Chriſtum donare vitam æternam. Primùm diximus Deum in ſcripturis non hæc ſolùm quæ ad eius ſpectant miſericordiam proponere, in ſcripturis: verùm etiam ea quæ ad iram & iuſtitiam eius pertinent, quam exercebit in impios. *Hinc non ſolùm miſericordiarum, ſed & vltionum Deus dicitur*, non ſolùm præmiās bonos, ſed & puniens malos paſſim in ſcripturis nuncupatur, quod vtrunque ex æquo poteſt credere, cùm vtrunque ab eadem veritate proficiſcatur. Secūdò dicimus ſcripturas, quæ illa beneficia proponunt, *nunquā loqui vniuerſaliter hominibus omnibus, ſed certo modo qualificatis.* Verbi gratia. nuſquā dicit omnibus hominibus, Remiſſa ſunt peccata. Omnes homines vſque in finem perſeuerabunt, omnes denique per eundem ſaluabuntur. Conſtat enim has propoſitiones eſſe falſas, & palàm ſcripturis repugnantes, verùm vbique conditio præponitur. Pœnitentiam agite &c. Si pœnitentiam

Et hîc eſt fides catholica.

tentiam egerit gens illa, agam & ego pœnitentiam ſuper malo quod cogitaueram, vt facerem illis. Item: Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis. Rurſus: ſi vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Item: qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Et act. xxvj. Paulus recitans Regi Agrippæ & alijs qui in concilio erant, conuerſionis ſuæ ſeriem, ſic ait. *Non fui incredulus ô Agrippa Rex cœleſti viſioni,* ſed his qui ſunt Damaſci primùm, & Hieroſolymis, & in omnem regionem Iudææ & Gentibus annunciabam, *vt pœnitentiam agerēt, & conuerterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes,* & alijs locis innumeris, vbique *pœnitentia & fides*, aut ſimul, aut ſeorſim, ſic tamen vt vbicūque vnum ponitur, reliquum includatur. *Non poteſt proinde eiuſmodi ſermo vniuerſalis domini, applicari certò & infallibiliter, niſi in quo conſtet eſſe eiuſmodi conditionem, quam requirit promiſſio. Eſſe autem eiuſmodi conditionem, aut fore in hoc vel in illo, hoc cùm nullus ſermo diuinus explicet, temerariè quis ſibi certò* & infallibiliter iuſtitiam tribuit, aut ſtatuit ſe peruenturum ad vitam æternam: *cùm incertus num verè pœniteat, cùm incertus ſit: num verè obſeruet mandata, num in eis vſque in finem ſit perſeueraturus. Hoc enim non reuelat cuiquam Dei verbum, extra quod (ſi aduerſarijs credimus) nihil eſt credendum: ſed ſolo proprio ſenſu & experientia affectuum, teſtimonióque propriæ conſcientiæ, quod propter cordis inſtabilitatem non eſt infallibile, & ſi regulariter non fallat pios. Et reuera dum nituntur aduerſarij ſibi facere viam ſalutis facilem & cuique certam, faciunt difficillimam & maximè incertam (vt interim taceamus, quod reuera eam*

tam ſibi, quàm alijs, quos miſerrimè ſeducunt, & decipiunt, occludat:) Primùm, quoniam longè facilius eſt peruenire ad iuſtitiam, iuxta catholicam eccleſiæ doctrinam, quàm iuxta ipſorum ſomnium. Eſt enim ipſa eorum fides catholica cum adiuncta pœnitentia: requirit enim quemadmodum docent, vt affectus ita plenè ſubijciatur, vt liber ab omni lege, ex vera libertate omnia gratuitò faciat, quæcunque facit, nihil quærens aut commodi, aut ſalutis ſed bene placitum Dei duntaxat. Verùm omniũ improbabiliſſimum eſt, quod volunt in ea fide includi perſeuerãtiam, & certitudinem ſalutis. Si enim res ita ſeſe habeat, neceſſariò conſequitur omnes fideles & iuſtos ſaluãdos, nec poſſe vlla ratione à ſalute excidere. Quorſum igitur tam ſolicitè Do. Paulus monet Romanos eos, qui ex Gentibus crediderunt, & cõuerſi ad fidem ne glorientur aduerſus Iudæos, ne efferantur, ſed licèt inſerti Chriſto, licèt eccleſiæ iuncti, licèt facti participes radicis & pinguedinis oliuæ, licèt facti ſtantes, timeant tamen, ne fortè ſi naturalibus ramis non pepercit Deus, nec ipſis parcat: agnoſcant vt in eis, qui ceciderant, ſeueritatem Dei, ita in ſeipſis eius bonitatem, *ſi tamen permanſerint in eius bonitate*: alioquin (inquit) & tu excideris. Verùm vt gentibus Romanis quanquam fidem habẽtibus, imò fide ſtantibus imminebat periculum iræ diuinæ, & præciſionis, ac damnationis: quomodo ſecurus erit & certus de ſua ſalute, quiſquis fidem habuerit? Audiamus quid dicat Aug. lib. xj. de Ciui. Dei, c. xij. Licèt (inquit) iuſti de ſuæ perſeuerantiæ præmio certi ſint, de ipſa tamen perſeuerantia ſua reperiuntur incerti. Quis enim hominũ in actione profectuque iuſtitię *Auguſtinus.*

ſe

ſe perſeueraturum ſcit vſque in finem, niſi aliqua reuelatione ab illo fiat certus, qui de hac re iuſto latentique iudicio non omnes inſtruit, ſed neminem fallit. Item de correptione & gratia, capi. xiij. Quis enim ex multitudine fidelium, quandiu in hac mortalitate viuitur, in numero prædeſtinatorum ſe eſſe præſumat, quum id occultari opus ſit in hoc loco, vbi ſic cauenda eſt elatio, vt etiam per Sathanę angelũ ne extolleretur, tantus colaphizetur Apoſtolus. Hinc Apoſtolis dicebatur. Si manſeritis in me, dicente illo, qui vtique ſciebat illos manſuros: & per prophetam. Si volueritis, & audiueritis me, ſciente illo in quibus operaretur, & velle, & perficere. Et ſimilia multa dicuntur propter vtilitatem huius ſecreti, ne fortè quis extollatur, ſed omnes etiam qui bene currunt, timeant, dum occultum eſt quò perueniant. Propter ergo huius vtilitatem ſecreti, credendum eſt quoſdam de filijs perditionis non accepto dono perſeuerantiæ vſque in finem, in fide, quæ per dilectionem operatur, incipere viuere: & aliquandiu fideliter ac iuſtè viuere, ac poſteà cadere; neq; de vita hac, priùs quàm eis hoc contingat auferri: quorum ſi nemini cõtigiſſet, tandiu haberent homines ſaluberrimum timorem, quo elationis vitium opprimitur, donec ad Chriſti gratiam, qua piè viuitur, peruenirent: deinceps iam ſecuri nunquam ſe ab illo caſuros. Hęc Aug. cui conſonat Greg. in hom. xxxviij. in euang. tractans illud Matt. xxij. Multi ſunt vocati, pauci verò electi. Tremendum eſt, inquit, fratres chariſſimi, quod audiuimus. Ecce nos omnes iam vocati per fidem ad cęleſtis Regis nuptias venimus: incarnationis eius myſterium credimus & confitemur, diuini verbi epulas ſu-

Auguſtinus.

mimus, ſed futuro die iudicij Rex intraturus eſt, *quia vocati ſumus nouimus: ſi ſimus electi neſcimus. Tātò ergo neceſſe eſt, vt vnuſquiſque noſtrum in humilitate ſe deprimat, quātò ſi ſit electus ignorat.* Nonnulli enim bona nec incipiunt, nonnulli verò in bonis quæ incœperunt, minimè perſeuerant: alter penè totam vitam in prauitate ducere conſpicitur, ſed iuxta finem vitæ à prauitate ſua per diſtrictæ pœnitentiæ medicamenta reuocatur: alter electam videtur vitam ducere, & tamen hunc contingit ad errores nequitiæ iuxta finem vitæ declinare: alius bonum bene inchoat, & meliùs conſumat: alius in malis actibus ex primæua ætate ſe exercet, & in iiſdem operibus ſemper ſeipſo deterior conſummatur. Tantò ergo vnuſquiſque ſibi ſolicitè metuat, quantò ignorat quod reſtat: quia quod ſæpe dicendum eſt, & ſine obliuione retinendum. Multi ſunt vocati, pauci verò electi. Hæc ille eandem doctrinam conſtanter ab omnibus patribus traditam reperies: quam & ſacræ literæ palàm locis infinitis continent, *vt nunquam quiſquam extiterit ante Lutherum, qui oppoſitum ſenſerit*, iſtudque tam temerarium commentum defendere præſumpſerit: indignum planè, cui refellendo tantum temporis inſumatur, cùm ſeipſum ſatis conuincat. Cùm enim velint ipſi fidem ſuam verbo Dei inniti, nuſquam autem tradat verbum Dei hunc vel illum vſque in finem perſeueraturum, & ſaluandum, aut electum. Conſtat etiam ex ipſorum principijs conſequi planè præſumptuoſam temerariam & falſam eſſe hanc fidem, quam quiſque apud ſe certò ſtatuat ſe poſſeſſurum vitam æternam: & hoc de prima parte articuli.

Secunda pars continet vnumquemq; firma & certa

ſpe

ſpe expectare in hac quidem vita per ſacramentum baptiſmi & pœnitentiæ peccatorum remiſſionem, in ſœculo autem futuro vitam æternam. Qua parte docetur, vt erigi debeat Chriſtianus animus & pœnitentium conſcientiæ, & iuſtorum mentes conſolandæ, nempe certa & firma ſpe, ac cõfidentia tam remiſſionis peccatorum, quàm vitæ æternæ. Verùm multùm differunt *firmitas & certitudo, quam nos ſpei firmitate, alij certitudine fidei obtinere putant. Differunt enim, quoniam firmitas & certitudo fidei excludunt errorem, & omnem de oppoſito formidinem: certitudo verò ſpei ponit firmam & virilem extentionẽ affectus in rem ſperatam, & excludit non ſolùm diffidentiam, ſed etiam hæſitationem, verùm non infallibilitatem, quod facit fides.* Poteſt enim qui certò ſperat fruſtrari bonis ſperatis: ſed falſum eſſe non poteſt, cui per veram fidem adhæret intellectus. Neque tamen falſum eſt quod ait apoſtolus. Spem nos non confundere, ſed attendẽda eſt cauſa, mox ſubiũcta: quia *charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris:* qua remota, nõ mirũ eſt, ſi remoueatur effectus ſpei: ad hęc nõ ipſa ſpes, ſed noſtra negligentia, noſtra pręſumptio, noſtra nos peccata ſæpe confundunt. Certitudinem autem hanc ſpei generat fides promiſſionis, & experientia propriorum affectuum. Scimus enim Deum promiſiſſe pœnitẽtibus veniam peccatorum. Cùm igitur nos confidimus pœnitentes, cur impetrata abſolutione ſacerdotis non ſummè ſperemus, cùm dixerit, qui nõ mentitur Deus, quorum remiſeritis peccata, remiſſa ſunt? Rurſus, certò credimus iuſtos eſſe hæredes regni, cur non igitur ſummè confidamus nos excepturos poſt exactam hãc peregrinationem regnum promiſſum? cuius hæredes

Firmitas fidei.
Certitudo fidei.
Firmitas ſpei.
Certitudo ſpei.

nos eſſe confidimus per gratiã Dei,& merita bonę vitæ,aut legitimam pœnitentiam,vbi fortè bene viuendi tempus non datur.Ipſam autem ſpem re iam adepta ſequitur tentio , per quam ſuauiter conquieſcit animus in bono , quod ſe per Dei gratiam confidit adeptum , nulla ſcrupuloſa anguſtia animi prorſus,qua plerique nimis deijciuntur , non ſatis confidentes & ſentientes de Dei bonitate. Vides ergo vt omnis altercatio in hoc conſiſtat,quod aduerſarij hæc nolunt aut non nouerunt diſtinguere: *ſed tribuunt fidei, quod ſpei tribuendum eſt*: quæ cùm reſpiciat proprium ſperãris bonum, appropriat ſibi generales promiſſiones, quas fides apprehendit & credit . Si vis pulchrè & dilucidè videre hanc materiam tractatam,lege Bonauentu.ſanctum in iij.ſententiarum diſtinctio.xxvj.prima parte iiij.v.

Articulus decimus.

Itaque quandiu inter hoſtes noſtros & aduerſarias poteſtates hîc viuimus , nulla nobis eſt ſecuritas , ſed cum timore & tremore iuxta apoſtoli ſententiam , noſtram ſalutem operari debemus , & ſecundum varias animorum noſtrorum affectiones , nunc magis ſperare , nunc magis timere ſimpliciter , tamen magis & frequenter de miſericordia domini ſperandum eſt , quàm de eius ſeueritate formidandum.

Hunc

HVNC articulum putamus ex ijs quæ dicta ſunt circa præcedentem ſatis manifeſtum. Nam ex eo pendet eius veritas. Quare breuitati ſtudentes ſuperſedemus, ad alia cœpto itinere, progredientes.

Articulus vndecimus.

OPERA bona ſunt omnibus adultis ad ſalutem neceſſaria, & cùm ex fidei, & ſpiritu charitatis procedunt: ita grata ſunt Deo, vt eis tanquàm iuſtam mercedem vitam retribuat æternam.

HIC articulus oſtendit hominem non ſola fide iuſtificari aut ſaluari, ſed ad vtrumque horum neceſſaria eſſe bona opera. Nomine ſalutis enim hoc loco, intelligimus non ſolùm vitam æternam, verùm etiam remiſſionem peccatorum, ſiue præſentem iuſtitiam, quomodo & ſcripturæ eam non rarò accipiunt, dum dicunt per Chriſtum nobis partam ſalutem: velut in cantico illo Zachariæ: & in verbo angeli ad Mariam. Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Præſupponit autem hic articulus, quòd ex ſcripturis euidentiſſimum eſt, eſſe quædam opera bona, cuiuſmodi ſunt non ſolùm ea, quę fiũt in vtilitatẽ proximi, neq; ſolùm ea quę ſunt lege Dei pręcepta, *Vocabulũ ſalutis quomodo hoc loco accipiendum.*

Opera bona hic.

aut ab eo conſulta, verùm omnia quæcunq; legi eius conſonant, etiam ſi permiſſa ſunt tantum, & talia quę aduerſantur meliùs ſit omittere, quàm facere, quẽadmodum per oppoſitũ dicuntur ea quę legi Dei aduerſantur. Si loca quiſpiam deſyderet, in quibus ſcripturę teſtimoniũ perhibent bonis operibus: quanquàm hęc nuſquam non obuia ſint, euidentiſſima tamen ſunt, Matt.vj. Ioann.ij. Iac.iij. Matt.vij. & xij. & Ioann.xv. ad Rom.ij. Neceſſaria autẽ hęc eſſe ad ſalutem intelligendũ eſt, nõ tantùm hac ratione, quia excludunt impedimentum ſalutis, neq; rurſus duntaxat quia ſigna ſunt Iuſtitię, Fidei, Charitatis, homini inexiſtentis, demum nec hac ratione, quia ſunt gratitudinis ſigna, quæ Deo exhibemus: verùm quia eorum reſpectu & conſyderatione Deus donat hominem iuſtitia, & vita æterna, ſicut pro eorum diuerſitate auctiorem det gratiam pœnitentibus, & gloriam pijs & iuſtis. Verùm aduertendum quod diuerſum reſpectũ operũ habeat Deus, in eo, quem iuſtitia donat, & in eo, cui vitam ęternam largitur. In iuſtificando enim reſpicit opera pœnitẽtię, non tanquam merita, quibus reddat gratiam & iuſtitiam, ceu mercedem illis debitam, ſed tanquam diſpoſitiones, quas ipſe in homine requirit, vt infundat ei iuſtitiam gratis, ex ſua miſericordia & liberalitate, homine nullo modo hoc merente, ſuis quibuſcunque operibus. Hinc nuſquam in tota ſcriptura legimus iuſtitiam eſſe mercedem pœnitentię aut pœnitentium: reſpicit tamen Deus pœnitentiam & eius qualitatem, ac modum, ac iuxta eũ infundit, nunc maiorem, nunc minorem gratiam: aliquando etiam non infundit, quando inſufficiens eſt pœnitentia, ad eam obtinendam. Hinc de Niniuitis Ion.iij. dicitur. Et vidit

Opera ante iuſtificationẽ non ſunt meritoria, gratiæ & iuſtitiæ, ſunt tamẽ diſpoſitoria ad iuſtificationẽ quæ omnino fit gratis.

Deus

Deus opera eorum,quia conuerſi ſunt de via ſua mala,& miſertus eſt ſuper malitia, quam locutus fuerat eis, & non fecit. Sapien. xij. dicitur Deus diſſimulare peccata hominum propter pœnitentiam.Item Pſal.l. Cor contritum & humiliatum non deſpicit. Et Eſaiæ lxvj.Ad quem reſpiciam niſi ad pauperculum contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos. Vides vt non ſolùm fidem intueatur Deus in eo, quem ſibi reconciliat,verùm etiam opera pœnitentiæ,verùm non tanquam meritum iuſtificationis: ſed vt dictum eſt, tanquam diſpoſitiones, quibus præparari debet liberum arbitrium, ad ſuam gratiam accipiendam. Verùm in donando vitam æternam hominibus, reſpicit Deus opera iuſtorum,quibus ipſe tanquam iuſtus iudex retribuat tanquam mercedem debitam, vitam æternam, vnicuique iuxta proportionem operum ſuorum:prout dicit Secunda pars articuli.

Fatentur quidem aduerſarij opera eſſe ad ſalutem neceſſaria, cùm fides, quæ ſecundum ipſos iuſtificat & ſaluat, neceſſariò ſit bonorum operum ferax: niſi quòd docens ea peccata, quæ non extingunt illam ipſorum fidem,non impedire ſalutem, & proinde non eſſe neceſſaria ad ſalutem opera, quæ talibus peccatis opponuntur.Verùm docent hæc opera non eſſe vitæ æternæ meritoria. Qua in re ijs aduerſatur articulus qui dicit:quòd,cùm ex ſpiritu fidei,& charitatis procedunt,tám grata ſunt Deo, vt eis tãquam iuſtam mercedem vitam retribuat æternam.Notanter autem dicitur cùm ex ſpiritu fidei & charitatis procedũt, quoniam ſi ex ſolis naturæ humanæ,quanquàm integræ, etiam viribus procedant,nequaquam eiuſmodi dignitatem obtinebunt. Aduerte etiam non dici ex fide &

charitate, ſed ex ſpiritu fidei & charitatis: quoniam qualitates hæ ſi ſint acquiſitæ, & non per ſpiritum ſanctum infuſæ in corda credentium & diligentium, nequaquam hanc dignitatem tribuerent operibus. Tertiò dicitur copulatim ex ſpiritu fidei & charitatis: quoniam ſola fides(quanquàm Dei donum ſit etiam, & adhuc informis ſit)ſicut & ipſe timor, licet ſeruilis: vt patet ex cap.viij.ad Rom.non ſufficit opera in eam dignitatem eleuare, vt vitæ æternæ ſunt meritoria. Oportet ergo vt non ſolùm adſit fides,qua mens hominis illuſtretur, & opera in quem debeant dirigi finem monſtrentur:verùm etiam neceſſarium eſt adſit charitas, qua mens eleuetur, vt poſſit opera præſtare diuina,& Deo digna, ad quæ alioquin eſt improportionata, eò quòd longè eius naturales vires ſuperent. Nolumus tamen hoc loco ſuſcipere diſputationem illam.An ratio meriti conſiſtat in charitate? an in gratia ceu ſpiritu Chriſti, quo viuit homo? in quo variè ſentiunt catholici doctores inter ſe, & anne citra charitatis habitum ex ſolo ſpiritu Chriſti, poſſint opera meritoria fieri? id enim eſt extra materiam præſentis articuli. Aduerte quartò quod dicitur ex ſpiritu. Non enim ſufficit vt ex fide & dilectione procedant, (etiã talibus, quæ ſunt Dei dona) quoniam ex ijs procedit & ipſa pœnitentia,quæ tamen non eſt meritoria vitæ æternæ: verùm oportet hæc eſſe à ſpiritu inhabitante animam hominis,& viuificante ipſam, & conſtituente hominem, filium Dei, & excitante in nobis diuinos, & verè filiales affectus. Aliter enim longè operatur ſpiritus,teſte Auguſtino in his,quos iam inhabitat,& aliter in ijs,quos nondum inhabitat.Nam quos inhabitat, eos filios Dei facit, vt iam non tam ipſorum

In Epiſtol. ad Sixtum quæſti cv.

rum

rum ſint opera, quàm in ipſis viuentis Chriſti: eò quòd ab eodem, quo ille viuebat ſpiritu procedunt, viuificante hominem, & efficiente ipſum membrum Chriſti myſticum. Quòd autem eiuſmodi ſint ex ſpiritu fidei & charitatis perfecta, qualia dicimus, id in ſolutione argumentorum, quæ aduerſarij faciunt, palàm fiet. Primum ergo & præcipuum quod faciunt argumentum eſt, quòd ſcripturæ doceant vitam æternam eſſe gratiam. Ad Roman. vj. Stipendia peccati mors, inquit Apoſtolus. Ex quo inferunt ex ſequenti, ſcilicet gratia autem Dei vita æterna: quòd ſi gratia, iam ex operibus, alioquin gratia non eſſet gratia. ſic enim illis ipſis verbis argumentatur Apoſtolus eiuſdē Epiſto. cap. xj. Verùm hoc argumentum nō latuit Auguſtin. li. de libe. arb. cap. viij. vbi illud in forma proponit. Ex verbis, inquit, Apoſtoli, quibus dicit gratiā eſſe vitam æternam, naſcitur nō parua quæſtio, quæ domino donante ſoluenda eſt. Si enim vita æterna bonis operibus redditur, ſicut apertiſſimè dicit ſcriptura. Quoniam Deus reddet vnicuique iuxta opera ſua, quomodo gratia eſt vita æterna, cùm gratia non operibus reddatur, ſed gratis detur, ipſo Apoſtolo dicente. Ei qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. Et iterum. Si gratia, iam non ex operibus: alioqui gratia iam non eſt gratia. Quomodo eſt ergo gratia vita æterna, quæ operibus ſumitur? Iſta ergo quæſtio nullo modo poteſt ſolui, niſi intelligamus & ipſa noſtra opera bona, quibus æterna redditur vita, ad Dei gratiam pertinere. Vnde ait Saluator. Sine me nihil poteſtis facere. Et Apoſtolus cùm dixiſſet. Gratia ſalui facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, ſed Dei donū, non ex operibus ne fortè quis

Primum argumentū aduerſariorum.

extollatur. Vidit itaque putare poſſe homines hoc ita dictum,quaſi non ſint neceſſaria opera bona credentibus,ſed eis fides ſola ſufficiat: & rurſus eos poſſe, de bonis operibus extolli, velut ad ea facienda ſibi ſufficiant: mox itaque addidit. Ipſius ſumus figmentum, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus,vt in illis ambulemus.Quid eſt hoc? quod cùm Dei gratiam commendans dixiſſet. non ex operibus, ne forte quis extollatur, cur hoc dixerit, rationem reddens.Ipſius enim ſumus figmentum,creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis. Quomodo ergo non ex operibus bonis?ne fortè quis extollatur. Sed audi & intellige.non ex operibus dictũ,tanquàm tuis,ex te ipſo tibi inexiſtentibus,ſed tanquàm ijs, in quibus te Deus finxit,id eſt,formauit.Et paucis interpoſitis. Itaque chariſſimi vita noſtra bona,nihil aliud eſt, quàm Dei gratia,ſine dubio & vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur.Et capitu.ſequenti. Cùm potuiſſet dicere (inquit)Apoſtolus.Stipendium autem iuſtitiæ vita æterna maluit dicere. Gratia autem Dei vita æterna, vt hinc intelligeremus, non pro meritis noſtris, Deum nos ad vitam æternam,ſed pro ſua miſeratione & miſericordia perducere.De quo in Pſal. dicit homo animæ ſuæ.Qui coronat te in miſericordia & miſerationibus. Nunquid non corona bonis operibus redditur?Sed quia ipſa bona opera ille in bonis operatur,de quo dictum eſt.Deus enim qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate,ideo dixit Pſal.Coronat te in miſericordia & miſeratione, quia eius miſeratione bona operamur,quibus coronare. Deus dicitur.Non enim quia dixit. Deus eſt enim qui operatur in nobis velle & operari pro bona voluntate: ideo

liber

liberum arbitrium abſtuliſſe putandus eſt: quia ſi ita *Antipophora*
eſſet, non ſuperiùs dixiſſet. Cum timore & tremore
veſtram ſalutem operamini: quando enim iubetur, vt
operentur, liberum eorum conuenitur arbitrium: ſed
ideo cum timore & tremore, ne ſibi tribuendo, quòd
bene operantur, de bonis tanquam ſuis extollantur
operibus. Hact. Auguſtinus. Ex quo diſcis, quo ſenſu
accipiendæ ſunt ſcripturæ: quæ dicunt. Vitam æternam
eſſe gratiam: aut nos gratia ſiue miſericordia coronari, aut ſaluari. Rurſus & illę, quæ aſſerunt, nos non
ex operibus ſaluari, nempe vt conſueto noſtro more
loquamur. Vita æterna gratia eſt, antecedenter aut
cauſaliter, quia operibus quibus redditur, ſunt gratiæ
Dei, & gratuita eius dona: operibus verò ſalus adiuuatur, inquantum ipſa homini ſunt ex ipſo per gratiam. Pro pleniore tamen ſolutione aduerte quàm
multiplex ſit hac in re cōcurrens gratia, vt videas meritò ipſam vitam æternam dici gratiam. Primùm gra- *Primo.*
tiæ & meræ liberalitatis diuinæ eſt, quod nobis in ſtadio currentibus pro præmio curſus nobis proponatur
brauium vitæ æternæ, & ſupernæ vocationis. Secundò *Secundo.*
quòd poſſumus currere, vt comprehendamus hoc
brauium nobis propoſitum: gratia enim diffunditur
in cordibus noſtris, per quam id poſſimus. Tertiò gra- *Tertio.*
tię quoq; eſt quòd currimus: vnde dicitur quòd creauit nos in operibus bonis, quæ præparauit vt in illis *Quarto.*
ambulemus. Rurſus Deus eſt qui operatur velle &
perficere pro bona ſua voluntate, deniq; etiā ipſa vita *Quinto.*
ęterna, ad quam apprehendendam facti pugiles Chriſti ipſo adiuuante currimus. Ex ſuo genere gratia eſt,
ſuperat enim omnes vires naturæ, nec poteſt, niſi ex
diuino munere expectari. Nam nec oculus vidit, nec

auris audiuit, quæ præparauit &c. Et quibuſdam ex mera gratia datur, vt patet in paruulis baptizatis, & in nonnullis adultis, quibus in extremo vitæ ſuæ pœnitentibus deeſt facultas bene operandi. Secundò ex eodem Auguſtino diſcimus, & eædem ſcripturæ minimè aduerſantur meritis operum, quæ palàm & apertiſſimè (inquit) aliæ ſcripturæ ſtatuunt. Certè etiam euidentiſſimum eſt nō repugnare merito gratiam: quia quicquid nobis, quantunuis gratuitum largitur Deus, per Chriſtum largitur, etiam ipſam paccatorum remiſſionem: hoc ipſum tamen meritus eſt Chriſtus ſua paſſione,& morte,nobisque fecit debitum: debetur enim ex Chriſto pœnitentibus remiſſio peccatorum. At quæres fortaſſis. Foret multò magnificentiùs, dare nobis vitam æternam purè gratis, citra vllum meritum operum noſtrorum, quemadmodum & remiſſio peccatorum datur: quàm eam donare ob merita pręcedentia. Videri enim poſſet hoc cedere in maiorem commendationem gratiæ Chriſti. Reſpondetur, quòd quemadmodum fuit multò glorioſius Chriſto, ad exaltationem ſui nominis peruenire per meritum crucis, quàm eam citra meritum accipere ſibi debitam, ratione vnionis hypoſtaticæ: ita electis multò eſt glorioſius per legitimum certamen brauium vitæ æternæ, & per legitimũ curſum obtinere coronam iuſtitiæ, quàm eam citra meritum accipere:ſibi iure duntaxat filiali debitam, aut prorſus indebitam. Multò enim magis cedit in commendationem gratiæ,quòd per merita ex fide procedentia poſſumus peruenire ad vitam æternam, quàm citra merita ſola eius liberalitate perduceremus. Obijcias. Nulli homini, quantunuis ſancto debet vitam

ætern

æternam: ergo non ex iuſtitia, ſed ex ſua liberalitate mera donat vitam æternam, quanquàm fortaſſis iuxta operum proportionē, vt bene operanti det gloriam, meliùs operanti meliorem, optimè autem maximam. Reſpondendum ad illam phantaſiā, quam quidam aduerſariorum confinxerunt, quòd ad ſaluandū ſcripturas, quæ docent Deum redditurum vnicuique ſecundum opera quæ geſſit in corpore, additum eſſe in articulo quòd Deus, *Tanquàm iuſtam mercedem vitam retribuat æternam.* Sicut Paulus ait. Fidem ſeruaui, curſum cōſummaui, de reliquo ſupereſt mihi &c. Quę ſentētia Pauli nullo modo patitur vt dicas, quòd Deus reddit gratioſè vitam æternam, iuxta opera ſua: dicit enim ibidem, quòd coronam iuſtitiæ reddet vnicuiq; tanquàm iuſtus iudex, ad iudicem enim ſpectat vnicuiq; pro meritis reddere. Verùm diligenter aduertendum, quòd quemadmodum Thomas tradit, diſt. xlvi. xiiij. ſententiarum attendendum eſſe in præmiatione bonorum & malorū rationē diſtributiuæ iuſtitiæ, per quam conſtituitur æqualitas inter recipientes: quod contingit ſecundum hoc, quòd quilibet æqualiter accipit pro meritis: non autem attendenda eſt iuſtitia commutatiua; qua conſtituitur æqualitas inter dantem & accipientem, & datum & acceptum: non enim poteſt eſſe eiuſmodi æqualitas inter Deum & homines ſimpliciter: quia homo non poteſt recompenſare æquiualens beneficijs à Deo acceptis. Dijs & parentibus (Philoſopho teſte) nō redditur æquiualens: ſed aliquo modo eius iuſtitiæ ſaluari poteſt, inquantum homo retribuit Deo ſecundum ſuum modū, ſicut Deus homini ſecūdū modū ſuum beneficia: vt ſic ſe habeat Deus ad ſuam ſuperabūdantiam, ſicut homo ad ſuam

paruitatem. Ex quibus duo licet colligere. Primum non excludi rationem iuſtitiæ: quia præmium valoris excedit meritum: quemadmodum in ſupplicijs reddendis nõ excluditur ratio iuſtitiæ, quia redditur amplius quàm debetur: neq; ob id in malis mala reddẽdo iuſtitia non ſeruatur, quia miſericorditer demerenti in parte parcitur: ſed ſolùm ſequitur excludi iuſtitiam commutatiuam ſtrictè dictam, quam tamen aliquo modo ſeruari, ſi intelligere cupis, transferre debes conſyderationem ad principium bonorum operum, nempe ad Chriſti ſpiritum, inhabitantem cor hominis iuſti: ex quo fiunt opera bona, & dignitatem diuinam ſortiuntur. Conſyderare (inquam) debes, ea opera non eſſe opera hominum, ſed filiorum Dei & membrorũ Chriſti, ac hominum diuinæ naturæ conſortium. Secundò ad admittendam hanc propoſitionẽ. Deus dat homini iuſto bene operanti, pro bono opere vitam æternam. In iuſtitia enim diſtributiua, qui diſtributor eſt, per ſe non eſt obligatus ad diſtributionem, ſed accidit ei, qui ex ſuperiori mandato executor eſt diſtributionis. Vnde communitas illa libera non violat iuſtitiam, ſi non diſtribuat bona communia, ſicut nec Dauid iuſtitiam violabat, quia non infligebat ſibi, aut infligi curabat pœnam in lege adultero debitã. Sic in propoſito Deus pater, quia ſupremus eſt omniũ iudex nullum habens ſuperiorem, licèt nõ vtatur iuſtitia diſtributiua, ſi non redderet vnicuique ſecundum opera ſua, nihil tamen per ſe læderet eam, non magis non reddendo pro benefactis vitam æternam, quàm non retribuendo pro malefactis ſupplicium: neque in hoc homini faceret vllam iniuriam, ſed ſibijpſi dum ſuæ promiſſioni deeſt. Verus dominus Ieſus ſecundũ naturam

turã humanã conſtitutus iudex viuorum & mortuorũ, tenetur ex mãdato patris, à quo conſtitutus eſt executor diſtributionis, operarijs reddere mercedem vni cuiq; iuxta quod in vinea domini deſudauit. Obijciũt præterea aduerſarij ſententiam Bern. in ſerm. de annũciatione Mariæ, vbi videtur palàm tollere omne meritum hominis, idq; ex ſententia apoſtoli, qua affirmat non eſſe condignas paſſiones huius temporis ad futuram gloriam. Iam verò, inquit, de æterna vita certũ eſt, quia non ſunt condignæ paſſiones ad futurã gloriam, nec ſi vnus omnes ſubſtineat, denique quis melior eſt Propheta? tamen & ipſe neceſſe habuit dicere. Ne intres in iudiciũ cum ſeruo tuo domine. Similes ſententias colligunt ex eodẽ, velut quod ait ſer. lxviij. in cant. Hîc nõ eſt quod quæras, quibus meritis ſperemus, bonũ prệſertim cùm audias apud Prophetã. Non propter vos, ſed propter me ego faciã. Sufficit (inquit,) ad meritum ſcire, quòd non ſufficiant merita: & infrà. Ad merita ſatis eſt, de meritis non præſumere. Rurſus ſer. xvj. in pſalm. Qui habitat. Hoc enim eſt totum meritum hominis, ſi totam ſpem ſuã ponat in eo, qui totum hominem ſaluum facit. Verùm ſi diligẽter loca, quibus aduerſarij hæc citent, conſyderentur, planè nullus eſt in quo non ſtatuit meritum. Verùm mos eſt hệreticorũ omnium, vt ſcripturas ita & patrum authoritates truncatim citare, quò ſic faciliùs ſimplices nihil ampliùs conſyderantes, quàm quod ſibi audiunt proponi circunueniant. Non ergo aliud vult Bernardus his omnibus ſententijs citatis, quàm quod ſuperiùs ex Auguſtino oſtendimus, nempe non eſſe hominis merita ex ſe, niſi gratia Dei præueniente, & adiuuante vt fiãt merita. Vnde in loco primo propoſito in princi *Bernardus.*

pio illius ſermonis ſic habet. Credēdum eſt, quod æternam vitam nullis poteſt operibus promereri, niſi gratis detur: hoc eſt, vt dicit Augu. ex Paulo, niſi ex gratia detur: nam & gratia Dei ſunt ipſa bona opera: quibus iuſta merces redditur. Quod verò addit (per inaduertentiam ſuperiùs ſcribere omiſeramus) neque enim talia ſunt hominum merita, vt propterea vita æterna debeatur ex iure: aut Deus aliquam iniuriam faceret, niſi eam donaret. Nam vt taceam, quòd merita omnia Dei dona ſunt: & ita homo magis propter ipſa Deo debitor eſt, quàm Deus homini, quid ſunt merita omnia ad tantam gloriam? Verùm quàm nihil hęc derogent meritis, ex his quæ ſuprà diximus, patet. Certè idem Bern. paucis quibuſdam interpoſitis, ſicut & in antecedentibus fecit, palàm ſe explicat. Ita de meritis (inquit) ſi credis non poſſe homini per Chriſtum, non ſufficit, donec tibi perhibeat teſtimonium ſpiritus veritatis. Et alijs tam crebrò & euidenter ſuffragatur meritis, vt nullus omnino reliquus ſit tergiuerſandi locus, cùm idem de his cum Auguſtino Ambroſio, & reliquis patribus ſenſerit: à quibus duabus columnis firmiſſimis (Auguſtino ſcilicet & Ambroſio) nemo, inquit, quodam loco, me auellet, ſer. lxxxj. ſuper cant. Ex libero arbitrio, inquit homo ad promerēdum potens: omne etenim quod fecerit bonum, malúmve, quod quidē non facere liberū ſit, meritò ad meritum reputatur. Vbi autem nō eſt libertas, ibi nec meritum. Idem tradit in tract. de grat. & lib. arbit. & alijs quàmplurimis locis. Ad ſentētiam autem Apoſtoli, qua affirmat non eſſe condignas paſſiones huius temporis ad futuram gloriam in duratione & qualitate, intelligit ita quod neget comparationē inter eas, & vitam æter

nam

nam. Quoad durationem, quia paſſiones huius tēporis breues ſunt, at futura gloria æterna eſt. Quoad qualitatem autē paſſionū, præſentium moleſtia & acerbitas omnis nullam habet comparationē cum delectatione & gaudio, quæ efficiet futura gloria. Quoad valorem autem, pretium & æſtimationem, nullam facit Apoſtolus comparationem: quinimo obfuiſſet eius intentioni magis & propoſito, quàm quadraſſet minuere valorem, pretiū & æſtimationē paſſionū huius tēporis, ad quas fortiter perferēdas exhortatur, ex cōſyderatione futuræ gloriæ, aliquando propter eas reuelandæ: quin multò magis congruebat, vt ſicut alio loco dicit, æſtimaret id, quod momentaneum eſt & leue tribulationis noſtræ ſupra modum operari magnum gloriæ pōdus. At conſimilem ſenſum certè rectè diceretur. Non ſunt condignæ delectationes huius temporis, aut voluptates, ad futuram pœnam, aut ſupplicium. Qua ſententia minimè negatur voluptates demereri æterna ſupplicia, ſed ſignificatur momētaneū eſſe quod delectat, ſi conferatur ad æternū quod cruciat. Rurſum paruam admodū eſſe, aut nullā delectationē cōparatione acerbitatis ſupplicij propter eam poſteà ſecuturi.

ARTICVLVS DVODECIMVS.

De ſacramento Confirmationis & extremæ Vnctionis.

Confirmatio & extrema vnctio ſacramēta ſunt à Chriſto inſtituta, ſed non vt duo præcedentia ad ſalutē neceſſaria: ex contemptu tamen illa omittere mortale peccatum eſt.

VTRVNQVE horum duorum ſacramentum eſſe liquet ex ijs,quę ſuprà in declaratione primi articuli dicta ſunt. Sunt enim ſigna ſenſibilia, ſub quibus Deus noſtram ſalutem inuiſibiliter operatur. Equidem quòd ſigna ſint externa & ſenſibilia,probatione non indiget: quòd verò ſub illis Deus ſalutares operetur in nobis effectus,id ex ſcripturis ſimul & concordi patrum traditione, & generalium conciliorum definitione, totiusque eccleſiæ, conſenſu manifeſtum faciemus. Primùm igitur de confirmatione apertum eſt teſtimonium act. viij. vbi refert Lucas, quòd baptizatis ad impoſitionē manuū apoſtolicam dabatur ſpirituſſanctus. Non venit autē ſpirituſſanctus vacuus ad homines, ſed ſecum ſua adfert dona ac chariſmata, & effectus ſalutares. Idem quoque refert act.xix.Cùm impoſuiſſet Paulus(inquit Lucas)illis manus, qui baptizati priùs erant in nomine domini &c.venit ſpirituſſanctus ſuper eos.At dices fortaſſis tunc per impoſitionem manuum datum ſpiritum ſanctū, & per hunc largitū donum linguarum prophetiæ,atque miraculorum. Vnde & in loco prææallegato ſubditur: & loquebātur varijs linguis & prophetabant. Quibus verbis videtur velle explicare effectus venientis ſuper eos ſpirituſſancti, quibus Paulus manus impoſuerat;quare & ſi fuerit tunc fortaſſis ſacramentum,iam tamen eſſe deſijſſe,ſicut & eius effectum. Dicendum illos quidem tunc temporis fuiſſe effectus confirmationis, verùm non erat is primarius & principalis, ſed acceſſorius in vtilitatem eccleſiæ,quę tunc eiuſmodi dona requirebat : vt inferiùs ex Auguſtino dicetur.Verùm primarius & principalis

lis effectus huius ſacramenti erat robur & fortitudo animi ad conſtanter confitendum fidē Chriſti etiam in ipſis medijs periculis & tribulationibus ingruentibus: quod etiam dominus explicauit, cùm diſcipulis diceret, Luc. xxiiij. Sedete in ciuitate, quouſq; induamini virtute ex alto, & act. x. Accipietis (inquit idem Chriſtus) virtutem ſuperuenientis ſpiritus ſancti in vos. Deinde velut declarans ad quid hæc virtus redditura eſſet eos fortes, nempe ad audacter teſtificandum nomen Chriſti, ſubdidit. Et eritis mihi teſtes, inquit, in Hieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vſque ad vltimum terræ. Eundem effectum huius ſacramenti concorditer explicuerunt vniuerſi patres, vt de quàmplurimis mox in mediam proferemus. At obijciunt aduerſarij confirmationem, quam defendimus, nihil habere commune cum manuum impoſitione: neq; enim ampliùs manus imponuntur, ſed chriſmate in frōte vngūtur, qui confirmari dicuntur. Proinde & ſi fuerit impoſitio manuū ſacramentū, non videtur inde conſequi noſtrā chriſmationē eſſe ſacramentum: cùm hęc cum illa nihil videatur habere cōmune, neq; eius vlla videtur in ſcripturis fieri mētio, aut exemplum vſquam haberi: & proinde videtur eſſe inuentum hominū, pręter Chriſti inſtitutum & ordinationem, imò ſacrilegam, quia immutat authoritatem de manuum impoſitione. Ad hanc obiectionem reſpondendum eſt, quòd tametſi Chriſmatica vnctio, in qua adhibita certa verborum forma, perficitur conſecratio, nihilque commune habeat cū manuū impoſitione, cùm illa tamē in effectu conuenit primario illo & principali impoſitionis manuum. Ratio autem cur tunc habebat illa miracula coniuncta, & non nunc,

redditur ab Aug.li.iij.contra Donatiſtas.de baptiſ.ca. xvj.Neque enim,inquit, temporalibus & ſenſibilibus miraculis atteſtantibus per manus impoſitionem modò datur ſpiritus ſanctus, ſicut antè dabatur ad commendationem rudis fidei,& eccleſiæ primordia dilatanda.Quis enim nunc hoc expectat,vt ij,quibus manus ad accipiendū ſpiritum ſanctū imponuntur repentè incipiant linguis loqui? Sed inuiſibiliter & latenter intelligitur per vinculum pacis eorum cordibus diuina charitate inflammari. Ecce vides eandem eſſe cauſam,cui tunc viſibiliter dabatur ſpiritus ſanctus, & cum eo dona manifeſta,quæ erant miraculorum: nam idcirco tunc donum dabatur miraculorum, vt eccleſia adhuc recens incrementum fidei caperet, & eius primordia dilataret, ſignis talibus confirmantibus prædicationem apoſtolicam. Nunc autem dilatata eſt eccleſia,& fides confirmata illis,quę non dubitamus facta,miracula, & tot martyrium conſtantia, ac tam copioſo populorum conſenſu firmiſſimo.Eodem autem tempore quando ipſa ſpiritus donatio erat alioqui ſatis manifeſta,non erat opus aliquo externo ſigno,alio hoc ſignificante. Verùm ad ſolam impoſitionem manuum apoſtolicam,dabatur ſpiritus ſanctus.Ceſſantibus autem illis, congruum fuit,vt ſignū aliquod inſtitueretur, ad deſignandum inuiſibilem ſpiritui donationem & effectum:ad quod conuenienter inſtituta eſt loco impoſitionis manuum chriſmatio in fronte,cum certa verborum forma:quanquàm huius rei nulla fiat in ſcripturis mentio. nam neque vſquam in ſcripturis legitur, quòd à domino mandatum habuerint Apoſtoli,impoſitione manuū donandi

ſpiri

ſpiritumſanctum: quod & ſi habuiſſent, nihilominus æquè licuiſſet eis ex ſpiritus inſtinctu, quò dirigebantur aliud ſignum ordinare, atque licuit, circa formam baptiſmi, quæ tamen expreſſis verbis eis erat à domino præſcripta. Ab ipſis autem Apoſtolis hunc profectum vngendi ritum in confirmatione, ipſe Dyon. Areopag. Paulo contemporaneus teſtis eſt in c. iiij. cæleſtis Hierarchiæ, ſcribitque in hæc verba, cùm multa præmiſiſſet de chriſmate, & eius conſecratione, conſecrationiſque ritu & vſu, Dicendum tantùm (inquit) ſpirituſſancti conſummans vnctio largitur, quod palàm ad hoc ſacramentum pertinet confirmationis. Item teſtatur Clemens ſucceſſor Petri in epiſtola ad Iulianum epiſcopum. Dicit enim feſtinandum eſſe omnibus ſine mora renaſci Deo, & demum conſignari ab epiſcopo, ideſt ſeptiformem ſpiritu gratiam accipere: quia incertus eſt vniuſcuiuſque exitus vitæ. Cùm autem regeneratus fuerit per aquam, & poſtmodum ſpiritus ſeptiformi gratia ab epiſcopo, vt memoratum eſt, confirmatus (inquit) quia aliâs nunquam perfectus Chriſtianus eſſe poterit, ſi non neceſſitate: ſed incuria, aut voluntate remanſerit, vt habeat quod à Petro accepimus, & cæteri Apoſtoli præcipiente domino docuerunt. In quibus verbis aduerte confirmationem appellari etiam conſignationem, ex ritu quo tunc vſa eſt, & nunc etiam vtitur eccleſia conſignãdo, ſcilicet frontem ſigno crucis ex ſacro chriſmate: qua ratione etiam ab alijs chriſma dicitur à materia denominatione ſumpta. Confirmationis autem nomen ratione effectus ſortitum eſt. Eidem rei teſtificatur Euſeb. li. vj. eccle. hiſt. capitul. xxxiij. ex epiſt. Corne. Papę. Item EuſebiusPapa in epi. ad epiſcopos Cãpanię.

Dyon. Areopagita.

Clem. Papa.

Euſebius Cæſarienſis.

Euſebius Papa.

Manus(inquit)impoſitionis ſacramentum magna veneratione tenendum eſt, quod ab alijs perfici non poteſt, niſi à ſummis ſacerdotibus: nec tempore Apoſtolorum ab alijs quàm ab ipſis legitur aut ſcitur peractum eſſe:nec ab alijs quàm qui eorum locum tenent perfici poteſt,aut debet fieri.Item Melchiades Papa ad vniuerſos per Italiam Epiſcopos, Spirituſſanctus (inquit)in confirmatione augmentum præſtat & gratiã:& quia hoc mundo tota ętate victuris,inter pericula gradiendum eſt: ideo in baptiſmo regeneramur ad vitam,poſt baptiſmum confirmamur ad pugnã: regeneratio per ſe ſaluat mox tranſituros, confirmatio armat & inſtruit ad agones & prælia huius vitæ. De eodem magnifica habet Cyprianus,& multoties illud ſacramentum appellat li.ij. epiſtolarum epiſtol. j. & li. j.epiſt.xij.item lib.de vnctione chriſmatis.Non eſt,inquit,medendis corporibus vnctio inſtituta: quia ſanctificatis elementis, iam non propria natura præbet effectum,ſed virtus diuina potentiùs operatur: adeſt veritas ſigno,& virtus ſacramento:vt & ipſis rerum efficientis gratiæ dignitas pateat, & interiori homini, quanta ei ex his detur authoritas deiformi conuerſatione,vt ſanctis moribus innoteſcat, & paulò inferiùs. Ex hoc humore conſtat deſcendere omnes gratiarum diuiſiones, quas ſpiritus ſanctus prout vult, ſingulis largitur. Do.Auguſtinum citauimus ſuprà, verùm quia vno tantùm loco de eadem reſcribit, ſubijciamus adhuc vnum atque alterum locum.li. cõtra literas Petiliani,cap.ciiij.dicit ſacramentum chriſmatis in genere viſibilium ſignaculorum ſacroſanctum eſſe ſicut & ipſum baptiſmum.Item libr. xxv. de Ciuita. Dei.c.xxvj.Diui Hieronymi quoque aperta eſt de eadem:

Melchiades Papa. *Cyprianus.* *Auguſtinus.* *Hieronymus.*

dem re ſententia, in Epiſtol. aduerſus Luciferianos, vbi ſcribit conſuetudinem ſuo tempore fuiſſe, vt Epiſcopi ad minores vrbes excurrerent, baptizatis impoſituri manus, vt acciperent ſpiritum ſanctum.

Habes igitur concordem patrum traditionem, Dyonin. Clem. vtriuſque Euſebij, Cyprian. Auguſtini, Hieronymi, Innocentij primi in Epiſt. ad Decentium: quia omnes vnanimi conſenſu reddunt teſtimonium veritati acceptæ in eccleſia, & apoſtolica traditione, promanante de hoc ſacramento confirmationis, de eius ritu & vtilitate & multiplici effectu, vt meritò miretur quis impudentiam aduerſariorum, qui non verentur docere ſacratiſſimum hoc ſacramentum hominum inuentum eſſe, blaſphemo ore irridentes hanc meram Dei gratiam maximè cùm præter ſcripturas, & concordem patrum traditionem, nõ deſint etiam nobis generalium conciliorum definitiones, & maximè iſtius concilij Florentini: in quo ſic legimus. Secũdum ſacramentum eſt confirmatio, cuius materia eſt, chriſma confectum ex oleo, quod nitorem conſcientiæ ſignificat, & balſamo, quod odorem ſignificat bonæ famæ, per Epiſcopum benedicto. Forma autẽ eſt, ſigno te ſigno &c. Ordinarius miniſter eſt Epiſcopus, & cùm cæteras vnctiones ſimplex ſacerdos valeat exhibere: hanc non niſi Epiſcopus conferre poteſt, quia de ſolis Apoſtolis legitur, quorum vicem tenent Epiſcopi, quòd per manuum impoſitionem ſpiritum ſanctum dabant, quemadmodum in actibus patet. Cùm enim audiſſent, inquiunt Apoſtoli, qui Hieroſolymis erant, quòd recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Ioannem, qui orauerunt pro illis, & acceperunt ſpiritum ſanctum: nondũ enim in quẽquã

Con. Floren.

Materia confirmationis.

Forma.

illorũ venerat,ſed baptizati tãtùm erãt &c. Loco autẽ illius manuum impoſitionis datur in eccleſia cõfirmatio,licèt quando ex rationabili cauſa diſpẽſatum quãdoq; legatur à ſede apoſtolica. Effectus huius ſacramẽti eſt,quia in eo datur ſpiritus ſanctus ad robur: ſicuti datus eſt Apoſtolis in die Penthec. vt Chriſtianus audacter Chriſti confiteatur nomen,ideoque in fronte, vbi verecundiæ eſt ſedes, confirmandus inungitur,ne Chriſti nomen confiteri erubeſcat. Habes hîc claram concilij illius definitionem,de materia,forma, miniſtro,& effectu huius ſacramenti, vt non opus ſit vlteriori diſcuſſione aut determinatione. Priuſquàm tamen finẽ imponamus, aduertendũ eſt non eſſe huius ſacramenti effectum fidei confeſſionem, aut gratiam eam confitendi.Hæc enim ſicut & ipſa fides datur in baptiſmo:verùm proprius eius effectus eſt conſtanter & intrepidè eam confiteri,ceu gratia, per quã hoc poſſumus,non obſtantibus tyrannorum ceu hæreticorum perſecutionibus,id quod per baptiſmũ non aſſequimur.Baptiſmali nanque gratia regeneramur & renaſcimur in Chriſto, & ſimus tãquàm modò geniti infantes adhuc,proinde debiles & infirmi. Confirmatio verò perducit nos ad virilem ętatem,augmentum virium pręſtando,ac robur animi,ac maſculinã quandam fortitudinem tribuendo,vt animæ ſit confirmatio,quod corpori augmentatio.Hinc patres dicunt in confirmatione perfici baptiſmum, & perfectum fieri Chriſtianum: item conſummari aduẽtum ſpiritusſancti:ſicut liquet ex præinductis authoritatibus. Congruum autem fuit,vt Deus,cuius perfecta ſunt opera, quique in nullo quod nobis neceſſarium eſt,aut vtile deficit: vt quemadmodum quo renaſceremur in

Chriſt

Chriſto inſtituerat regenerationis ſacramentum:ita & aliud inſtitueret,quo in ipſo creſceremus & roboraremur per virtutem ſuperuenientem ſpiritusſancti.

De ſacramento extremæ Vnctionis.

NVNC paucis de ſacramēto extremæ Vnctionis agamus,quod ſimili ratione quam obſeruauimus in aſtruendo confirmationis ſacramēto demōſtraremus:niſi temporis præmeremur anguſtia.Omiſſis igitur patrum teſtimonijs, & conciliorum generaliū definitionibus,dūtaxat videamus,quibus cauillis vtantur aduerſarij contra illud argumentum,quod pro hoc ſacramento Catholici omnes ſumant,ex ſcriptura Iaco.ca.vlt.Infirmatur quis,inducat presbyteros eccleſiæ,& orent ſuper eo,vngentes cum oleo in nomine domini &c. Quæ quidē verba vt vera ſunt,ita aperta viſa ſunt Luthero, & patēter cōuincentia extremam vnctionem eſſe ſacramentū:& cùm non videretur aliud ſubterfugiū,auſus eſt negare hanc Epiſt.apoſtolico ſpiritu ſcriptam, & eam nō eſſe Iacobi,vel certè Iacobum exceſſiſſe limites ſuæ legationis, ſumpſiſſeque inſtituere ſacramentum,cuius inſtituendi nullum habuit à domino ſuo mandatum, aut ordinationem. Vides quanta ſit pertinacia hæreticorum, vt potiùs quiduis quantumuis improbè, admittant, quàm à ſuis dogmatibus recedant: veluti hîc vides Lutherum Iacobum facere pſeudoapoſtolum, quàm deſerta ſua ſententia eccleſiæ authoritati adhærere. Verùm alij videntes hoc nedū ſine ratione dici,verùm etiam cōtra omnium patrū, & totius eccleſię ſententiā

Temeritas Lutheri.

Error aliorū hæreticorum.

relicta epiſtolæ ſua authoritate conantur demonſtrare perperam nos adducere hunc locum ad confirmãdam extremam vnctionẽ: quæ paſſim apud nos obſeruatur eſſe ſacramentum. Volunt ergo locum intelligendum de ea vnctione infirmorum, de qua apud Marc.c.vj.per quã Apoſtoli poteſtate accepta à domino ſanabãt infirmos à varijs, quibus detinebãtur languoribus,ad confirmationem ſuæ doctrinæ,nõ intelligi autem de vnctione,quam nunc in extremis laborantibus adhibemus:quanquam ſit ſacramẽtum diuinitus inſtitutum,gratiam conferens. Hinc liquet (inquiunt)quòd nuſquàm dominus huiuſmodi ſacramẽtum legitur inſtituiſſe,aut mandaſſe Apoſtolis, vt eiuſmodi vterentur ſpiritualiter circa extremè laborantes. Solum enim legimus,in Euãgelijs eam vnctionem,de qua cap.prællegato apud Marc.Apoſtoli autem non eſt inſtituere ſacramentum citra mandatum aut commiſſionem domini.At hæc tex.Iac.in genere meminit infirmitatis,at noſtra vnctio non niſi extremè laborãtibus adhibetur, & ijs,in quibus non ampliùs apparet ſpes longioris vitæ.Præterea vncturi infirmum,ſolum inducimus vnum preſbyterum, vngentem & orantem.Iaco.autem vult plures induci, qui orent & vngant.Denique addunt.Cuiuslibet ſacramenti effectus eſt remiſſio peccatorum, huncque infallibiliter operatur:at hoc loco duntaxat ponitur effectus huius ſacramẽti,quod eſt vnctio, & remiſſio peccatorum ſub conditione.Ad hæc paucis reſponſuri, primùm his omnibus cauillis obijcimus concordem patrum ſentẽtiam hunc locum de ſacramento extremæ vnctionis interpretantium.Deinde ad obiectionem primam reſpondemus,quòd ſi diligenter text. expendatur: euidens

Dilutio prædictorum.

dens fiet,fieri hic mētionem alterius vnctionis, quàm eius de qua apud Marc.Ea enim vnctio fiebat per eos, quibus data erat gratia à domino ſanationum. Hæc autem per preſbyteros eccleſiæ:non enim dicit Iaco. Infirmatur quis in nobis, adducat habentes gratiam ſanationum, ſed adducant preſbyteros, nec quoslibet (ſunt enim & in ciuili communitate preſbyteri) ſed preſbyteros, inquit eccleſiæ.At hęc vnctio,de qua apud Marc.generaliter & primò ordinatur ad ſalutem corporis: hæc autem ad ſalutem animæ, videlicet ad remiſſionem peccatorum,ſi aliquibus fuerit detentus qui inungitur, & ad alienationem ab omni onere, quo premitur & grauatur per peccata, ſiue ſint reliquię mortalium,aut pœnę pro ijs reſtāes,ſiue venialia,vt omnino nihil in eo remaneat,quod queat ipſum impedire ab ingreſſu cæli. Valde enim congruum fuit, vt dominus Ieſus noſtri amator flagrantiſſimus, vt nec in vita, ita nec in ipſa morte nos deſereret, ſed tū maximè,quando ſcilicet,ex hoc ſœculo migraturis ipſe nobis ſua gratia adeſſet, remediumque nobis adhiberet, quo (quando poſt mortem nullus reliquus purgationi eſt locus talis, qualem in hac vita habemus) ante eam purgaremus, vt animam mox egreſſa corpore ipſe ſibi glorioſam exhiberet ſine macula & ruga,ac prorſus ab omni inquinatione peccati immunem, in cælos(in quos nihil coinquinatum intrat)introduceret.Ad illud verò, quod addunt, Apoſtolum non poſſe inſtituere ſacramentum,idipſum & nos cōcedimus,ad ſenſum,quem in primo articu. declarauimus:quia non potuit quiſquam illorum facere ſignū aliquod efficax gratiæ. Ipſe nanque ſolus poteſt gratiam alicui rei infallibiliter annectere, cuius eſt eam

creare & donare. Nec Apoſtolus Iaco. hîc inſtituit ſacramentum, ſed ad ipſum exhortatur; ſiue illud à domino inſtitutum promulgat: nec obſtat quòd nuſquã legimus à domino inſtitutum, nobis abundè ſufficere debet, ipſe quẽ (abſit vt credamus figmentũ ſuum eccleſiæ tradidiſſe) & non potiùs quod acceperit à domino. Ad ſecundum argumentum in quo aſſumitur Apoſtolum agere de infirmitate in genere, Reſpódetur ipſam tex. circunſtantiam, & rei ipſius, de qua agitur naturam indicare oppoſitum. Conſtat pro qualibet infirmitate, quantunuis leui ſtatim adeũdum medicum, ſed pro graui duntaxat & periculoſa. Deinde cùm dicit Apoſtolus, quòd oratio fidei ſaluabit infirmum, ſatis indicat ſe agere de infirmo grauiter laborãte, vt de quo non ſit ampliùs ſpes, niſi quaſi miraculosè à Deo virtute orationis & vnctiónis ſaluetur & ſanetur. Ad tertium argumentum, de inductione pluriũ ſacerdotum, dicimus non eſſe rationem huius ſacramenti, quòd plures ſacerdotes inungant, quanquam vnus ad hoc ſufficiat, vt ſuper hoc conſultus in titu. de preſb. ſigni. determinat Roma. Pont. Conuenit etiam plures ſacerdotes induci, qui aſtent illi, qui ſacramẽtũ adminiſtrat, & ſimul orent pro ſalute infirmi, qui & vngere dici poſſunt, quoniã vngenti aſſiſtunt, & tum iuuãt, ipſique cooperantur, diſcooperiendo ægrum, leuando eum, tenẽdo, &c. Ad poſtremam obiectionem reſpondemus, falſum eſſe omnium ſacramentorum proprium effectum eſſe remiſſionem peccatorum: vt liquet de cõfirmatione, euchariſtia, ordine, matrimonio. Secundò dicimus huius tamen ſacramẽti propriũ effectum eſſe ſanitatẽ animæ, quæ etiam includit remiſſionem peccatorum: quemadmodum pulchrè d.

Thom.

Thom.diſt.iiij.cõtra Gentiles declarat, diligẽter excutiens alleuiationem, cuius meminit Iacobus, vbi dicit. Quòd cùm ſacramentum cõtra infirmitatem corporis ordinatur, prout ſequitur ex peccato, manifeſtum eſſe quòd contra alias ſequelas peccati ordinetur: veluti ſunt pronitas ad malum, & difficultas ad bonum, & tantò magis, quãtò hominum infirmitates propinquiores ſunt peccato, quàm infirmitas corporalis. Dicit autem Apoſtolus conditionaliter. Et ſi in peccatis fuerit, dimittentur ei, quoniam iſtud vltimũ ſacramentum communiter præceſſerunt ſacramentum pœnitentiæ & eucharistiæ: in quibus ſi nullus fuit defectus, nulla reſtat remiſſio. nam per pœnitentiam & ſatisfactionem condignam, tota culpa ſimul & pœna remittitur: & per euchariſtiam fortis efficitur contra recidiuum. Sed quia homo, vel per negligentiam, vel per occupationes varias vitæ, aut etiam propter temporis breuitatem, aut propter alia huiuſmodi prędicta defectus in ſe perfectè non curat, ſalubriter ei prouidetur, vt per hoc ſacramentum prædicta curatio compleatur, & à reatu pœnæ temporalis liberetur: vt ſic nihil in eo remaneat, quod in exitu animæ à corpore eam poſſit à perceptione gloriæ impedire: & ideo Iacobus addit, & alleuiabit eum dominus. Contingit etiam, quòd homo omnium peccatorum, quæ commiſit, notitiam vel memoriam non habeat, vt poſſit per pœnitentiã ſingula expurgare. Sunt etiam quotidiana peccata, ſiñe quibus præſens vita nõ agitur, à quibus oportet hominem in ſuo exitu, per hoc ſacramentum emundari: vt nihil inueniatur in eo, quod perceptioni gloriæ repugnet: & ideo addit Iaco. quòd peccata dimittentur ei. Vnde patet quòd hoc

Ratio nominis, ſcilicet extremæ vnctionis.

ſacramẽtum eſt vltimum totius ſpiritualis curationis, quo homo quaſi ad participandam gloriam præparatur, vnde & extrema vnctio vocatur, & hæc eſt cauſa, quare hoc ſacramentum non quibuſcunque infirmis eſt exhibendum, ſed illis tantùm, qui ex infirmitate videntur morti propinquare: qui tamen ſi conualuerint, rurſus poteſt eis conferri, ſi ad ſimilem ſtatum peruenerint. Non enim ordinatur hæc vnctio ad conſecrandum, ſed ad ſanandum. Medicina autem toties iterari debet, quoties infirmitas iteratur. Secunda pars articuli docet hæc ij. ſacramenta prædicta à Chriſto eſſe inſtituta: quod partim ex mox dictis, partim ex ijs quæ diximus circa primum articu. patet. De tempore verò, vel modo quo Chriſtus inſtituit, an per ſeipſum, an per Apoſtolos, an viua voce, ceu interna inſpiratione, dederit eis commiſſionem. Item an ex ſuggeſtione aliqua extrinſecus facta in cordibus eorum per ſpiritum teſtificantem, videlicet aut promittentem ſuam aſſiſtentiam, huiuſmodi ſignis, ſiue ex ſpiritu in ſe habitãte hoc fecerint, hæc omnia extra limites ſunt fidei, & varij inter ſe doctores Catholici de ijs ſentiunt: verùm in hoc omnes conueniunt, quòd certa fide tenendum eſt, quòd à Chriſto inſtituta ſunt: ſicut in primo articulo explicuimus. Tertia pars articuli continet hæc ij. ſacramenta non eſſe ad ſalutem neceſſaria. Quod probatur: quoniam ea duntaxat ſacramenta ſunt ad ſalutem neceſſaria, quæ ordinantur ad effectus ſpirituales, ſine quibus nõ poteſt homini eſſe ſalus: huiuſmodi autem ſolùm ſunt baptiſma & pœnitentia. Nam ſine baptiſmate & pœnitentia non tollitur originalis & mortalis culpa. Hinc dicit ſaluator. Niſi quis renatus fuerit, non poterit &c. Itẽ, niſi pœnitentiam

tentiam egeritis,omnes ſimul peribitis.Rurſus.Triſtitia quę ſecundum Deum eſt,pœnitentiam in ſalutem ſtabilē operatur. Hinc dicit Melchiades Papa. Quòd continuò tranſituris ſufficiunt regenerationis beneficia.An verò in caſu aliquo fuit hæc neceſſaria, verbi gratia. Confirmatio in caſu inſtantis periculoſæ tentationis & perſecutionis grauis in chriſtianos.Durandus & Palud.tenent quòd ſic.Thom. & Adrianus tenent oppoſitum:quod nobis videtur probabilius:nec verum eſt quod dicit Palud. eam præceptam ab eccleſia in capitul.de vlt.de confirma.diſtin. vj. vt bene demonſtrat Adrian. Conſuetudo tamen videretur in his poſſe adducere vim legis,ratione cuius ſine peccato non poſſunt omitti.

ARTICVLVS DECIMVSTERTIVS.

De veritate Euchariſtiæ.

IN Euchariſtiæ ſacramento eſt reipſā verum corpus domini noſtri Ieſu Chriſti, illud ipſum quod de virgine natum eſt,& in cruce paſſum.

DEINCEPS ſequūtur articuli pertinentes ad venerabile & ſacroſanctū Euchariſtiæ ſacramentū. Circa quod aduerſarij non ſolùm à veritate & eccleſiæ catholicæ doctrina diſſident, ſe multòmagis ab inuicem. Primus igitur hic articulus agit de reali præſentia & continentia corporis Chriſti, ſub quo etiam ſanguinem comprehendes.In

ſacramento Euchariſtiæ certa & indubitata fide tenendum eſt, quòd quemadmodum Chriſto hîc conuerſanti in terris inhumana eius natura coniuncta erat verè & realiter, atque hypoſtaticè diuinitas, quanquàm lateret ipſa, nec eſſet oculis hominum conſpicua: ita hîc in hoc ſacramento realiter puta eſſe, & contineri totum Chriſtum Deum & hominē, verum corpus eius, quod pependit in cruce, & ſanguinem pro nobis fuſum: quanquàm vtrunque ſit velatū, & ab oculis noſtris corporalibus abſconditum: quod quidē dogma non poteſt efficaciùs ſtabiliri, quàm per aperta Saluatoris noſtri verba: qui vt refert Marc. panem accepit, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait. Sumite, hoc eſt corpus meum: & accepto calice, gratias agens dedit eis: & biberunt ex illo omnes: & ait illis. Hîc eſt ſanguis meus noui teſtamēti, qui pro multis effundetur. Quibus quæſo, apertioribus verbis poſſet indicare dominus realem præſentiam & continentiam corporis ſui & ſanguinis in hoc ſacramento? Quæ verba cùm ab ipſa veritate, quę vt nec falli poteſt, ita nec fallere, profecta ſint: & ſanctiſſimo eius ore prolata, quis ambigere potuerit? num verè hîc ſit corpus & ſanguis Chriſti? Credamus, inquit Chryſoſt. hom. lxxxiij. ſuper Matth. vbique Deo, nec repugnemus ei, etiam ſi ſenſui & cogitationi noſtræ abſurdum eſſe videatur, quod dicit: ſuperet & ſenſum, & cogitationem noſtrā, quæſo, ipſius, quod in omnibus & præcipuè myſterijs faciamus, non illa quæ ante nos iacent tantùmodo reſpicientes, ſed verba quoque eius tenentes: nam verbis eius defraudari nō poſſumus. Senſus verò noſter deceptu facillimus eſt: illa falſa eſſe non poſſunt: hic ſæpiùs atque ſæpius fallitur. Quomodo ergo ille dixit, hoc eſt

Credenda de ſacramēto Euchariſtia.

Modus inſtitutionis Euchariſtiæ.

eſt corpus meum: nullâ intueamur ambiguitate, ſed credamus, & oculis intellectus hoc perſpiciamus: nihil enim ſenſibile nobis traditum à Chriſto eſt: omnia enim quæ tradit, inſenſibilia ſunt. Sic & in baptiſmo per aquam, que res ſenſibilis eſt, donum illud conceditur: quod autem in ea conficitur, regeneratio, ſcilicet ac renouatio, intelligibile quidem eſt: nam ſi incorporeus eſſes vnde ipſa dona incorporea tradidiſſet tibi: quoniam verò corpori coniuncta eſt anima tua, inſenſibilibus intelligenda tibi traduntur. *O quot modò dicunt, vellem formam & ſpeciem eius videre: vellem veſtimenta & calceamenta contrectare: ipſum igitur vides, ipſum comedis, ipſum tangis, veſtimenta eius deſyderas videre: ipſe verò ſeipſum tibi tradidit, non vt videas ſolùm, verùm etiam vt tangas, vt in te habeas*: Hæc ille. Nec opus eſt in citandis aliorum patrum, quotquot ſcripſerunt vnquam à temporibus Apoſtolorum ad hæc vſq; tempora, teſtimonijs, que poteris videre apud eos, qui de hac re ſcripſerunt, & valde copioſè in Roffenſi aduerſus Oecolampadium: quoniam ipſa domini ſaluatoris verba ita aperta ſunt, vt iam diximus ex Chryſoſt. vt etiam ſi nulla extarent veterum monimenta, nullę generalium conciliorum definitiones, quæ ſuper hac re extant plurimę, Epheſinę primi, Lugdun. ſub. Inno. iij. Conſtan. Florentini, concilia, & aliorum quàmplurimorum: tamen nullus deberet meritò mentem pulſare ſcrupulus, ſuper veritate huius articuli. Id quod & ipſe Martinus Lutherus confitetur in quadam epiſtola quam ſcribit chariſſ. in Chriſto amicis in Argentina cùm tamen, ſicut ibi teſtatur ſummo ſtudio adniſus fuiſſet textum, ſi quomodo licuiſſet, ad alium.

Nota.

Confeßio improba Lutheri.

ſenſum torquere, quam rem dicit ſibi valde ingenitam, idque quod hac ratione videret ſe valde poſſe incommodare Papatui. At dices fortaſſe verba quidem illa domini apertè teſtari præſentiam realem corporis & ſanguinis ſui in ſacramento, quod ipſe tunc coram Apoſtolis celebrabat, in nouiſſima cœna. At inde non conſequi ſacerdotes nunc hoc ipſum efficere, vt ſimiliter præſens ſit realiter in Euchariſtiæ ſacramento, nec Apoſtolos ipſos id efficere potuiſſe: & vt demus potuiſſe, non conſequi nunc ſacerdotes noſtros idem poſſe. Reſpondemus ad vtrunque horũ, & primùm ad poſterius, ipſa domini verba, quæ mox celebrato hoc myſterio ſubiungit dicens. Hoc facite in meam cõmemorationem: ipſo etiã D. Paulo interprete, docere datam eſſe à domino Apoſtolis poteſtatem faciendi, quod ipſe faceret. Et vt ad prius argumentum reſpondeamus. Sub Apoſtolis, tãquam eccleſiæ paſtoribus, quoniam voluit dominus celebrari myſterium, vſque ad ſæculi cõſummationem, in eccleſia dicente Paulo. Hoc quotieſcunque feceritis, mortem domini annunciabitis, donec veniat, dediſſe authoritatem diffundendi hanc conſecrandi poteſtatem in alios ſibi ſuccedentes Epiſcopos. Erant enim Apoſtoli, ſicut & nunc epiſcopi, conſtituti à Chriſto diſpenſatores myſteriorum Dei: vt quam ab ipſo acceperant, in alios transferre queant conſecrandi poteſtatem: in alios maiorem, in alios minorem: & rurſus quidam ipſorum maiorem, alij minorem: vnuſquiſq; ſecundum tradiram & ſibi commiſſam diſpenſationẽ, eiuſq; fines & terminos. Iſtud in præmemoratis domini ſaluatoris verbis intellexerunt concorditer omnes patres. Si verbum Dei viuum eſt & efficax (inquit)

Obiectio.

Da

Damaſcenus lib.iiij.orthodoxæ fidei,c.xiiij. & omnia quęcũq; voluit dominus,fecit in cœlo & in terra,ſi dixit,fiat lux,& facta eſt,fiat firmamentũ,& factũ eſt. Si verbo domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorũ:Si cælũ & terra, aqua,ignis & aër,& omnis ornatus eorum verbo domini perfecta ſunt,& homo ipſe vbique diuulgatum animal: ſi volens ipſe Deus verbum factus eſt homo,& ex ſanctę virgins puriſſimis ſanguinibus in ſeipſo ſine ſemine carne ſuſtentauit,non poteſt panem ſuijpſius carnem facere,& vinum & aquam ſanguinem?Dixit in principio.Producat terra herbam virentem, & vſque nũc pluuia facta producat germina,diuino coadiuuata & vigorata precepto,dixit Deus,hoc eſt corpus meũ, & hic meus eſt ſanguis,& facite hoc in meam cõmemorationem, & omnipotẽti,inquit,eius pręcepto donec veniat,efficitur. Deinde obſtruens quærentibus, quomodo hoc poſſet fieri.Sic enim dixerit,inquit,donec veniat,& fit pluuia nouæ huic agriculturæ per inuocationem ſpirituſſancti obumbrans virtus: nam quemadmodum omnia, quæ fecit Deus ſpirituſſancto operante fecit: ſic & nunc ſpirituſſancti cooperatione hæc ſuper naturam operatur, quæ non poteſt rapere niſi ſola fides.Quomodo fiet mihi iſtud,dicit virgo Maria, quoniam virum non cognoſco?Reſpondet Gabriel:Spirituſſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Et nunc interrogas, quomodo panis fit corpus Chriſti? & vinum & aqua ſanguis Chriſti? Reſpondeo & ego tibi: Spirituſſanctus & hæc operatur ſuper ſermonem & intelligentiam. Panis autem & vinum tranſmutantur. Nouit enim Deus humanam infirmitatem, quòd complura vſu nõ trita aduerſatur

moleſte ferens. Aſſueto igitur condeſcenſu, vſus, per conſueta naturæ ea quæ facit, quæ ſunt ſuper naturam: & quemadmodum in baptiſmate (quia conſuetudo habet & eſt aqua lauari, & oleo vngi) cõiunxit aquę & oleo gratiam ſpiritusſancti, & fecit illud lauacrum regenerationis. Hunc in modum quia hominibus mos eſt, panem manducare, & vinum & aquã bibere, coniunxit ipſis ſuam diuinitatẽ, & fecit ea corpus ſuũ & ſanguinem: vt per aſſueta, & que ſecundum naturam ſunt, in ijs quæ ſupra naturam ſunt, collocemur: corpus enim ſecundum veritatem coniunctum eſt diuinitati, quod ex ſancta virgine corpus eſt, *non quod ipſum corpus aſſumptum è cælo deſcenderit: ſed quod ipſe panis & vinum in corpus tranſmutatur, & ſanguinem Dei.* Si autem modum requirimus, quonam pacto fiat, ſat ſit tibi audire, quoniam per ſpiritũſanctũ quẽadmodum ex ſancta deipara, & in ſeipſo dominus carnẽ ſuſtẽtauit, & nihil ampliùs cognoſcimus, quàm quod Dei verbũ verũ eſt, & omnipotẽs & efficax: modus autẽ inſcrutabilis, neq; enim & hoc etiã dictu promptum: quomodo naturaliter per comeſtionẽ panis: & vinum, & aqua per potionem in corpus & ſanguinem comedentis & bibentis tranſmutantur, & non ſit aliud corpus, pręter id, quod priùs erat ipſius. Sic & propoſitionis panis vinumque & aqua per inuocationem & aduentum ſpirituſſancti, ſpiritualiter tranſmutatur in corpus & ſanguinem Chriſti, & non ſunt duo, ſed vnum & idem. Et paucis interpoſitis, quibus fructus eorum, qui dignè percipiunt, explicat: non eſt (inquit) figura panis & vinum corporis & ſanguinis domini N. I. C. (*abſit enim hoc*) *ſed eſt ipſum corpus domini deificatum, ipſo domino dicẽte: hoc eſt corpus meũ, non figura*

corpo

corporis,ſed corpus,non figura ſanguinis ſed ſanguis. Hactenus ille. Cuius verba prolixiùs adduximus, eò quòd tam apertè proponant fidei veritatem, non ſolùm hoc,ſed & ſequenti articulo expreſſam, de reali præſentia & cõtinentia Chriſti in hoc ſacramento,panis quoque & vini in corpus eius & ſanguinem admirabili & ſupernaturali tranſubſtantiatione. In ſequentibus tradit modum reuerenter accedendi; & eius vtilitatem, quòd ſit velut carbo ignitus, quo per illum peccatis noſtris combuſtis, & illuminatis cordibus noſtris, illius quoque participatione nos deificemur. Quod autem noſtro propoſito conducit, vides, vt tradat omnipotenti illo præcepto Dei, hoc facite in meam commemorationem, effici hoc ipſum quod fecerat, *nempe panis & vini in corpus & ſanguinem eius, & tādiu donec ipſe veniat ad iudicium.* *Effectus Eucharistiæ Damasceno.* Vides etiam vt palàm reijciat & execretur Hæreticorum commentum Berengarij, & poſt eum Oecolamp. exponentium *hoc eſt corpus meum, ideſt figura corporu mei.* Cuius cõmentarij cùm puderet quoſdam horũ ſequaces effinxerunt alios, non minùs abſurdos & planè ridiculos. Quidam enim ipſorum dictum domini dicunt, hoc eſt corpus meum, eo ſenſu, quo dixiſſet hoc corpus eſt meum, ideſt ad me pertinet, ſicut apud Ioannẽ dicit. Omnia mea ſunt. *Hoc eſt corpus meum.* Alij volũt eſſe ſenſum, vt demonſtrato ſuo corpore, ſine vlla relatione aut reſpectu, ad ſacramentum dixerit. Hoc eſt corpus meũ quemadmodum ſi ego de meo corpore dicerẽ: hoc eſt corpus meum. Sed indigna hæc ſunt, quibus refellendis tempus inſumatur. Addamus adhuc vnam authoritatem ex Chryſoſto. in tract. de prod. Iudæ, to. iij. Et nunc (inquit ille) præſto eſt Chriſtus, qui illam ornauit *Chryſoſto.*

menſam,ipſe iſtam quoque conſecrat (de ea loquitur ad quā accedunt fideles) *non enim homo eſt, qui propoſita de conſecratione menſæ domini corpus Chriſti facit & ſanguinem, ſed ille qui crucifixus eſt pro nobis. Sacerdotis ore proferuntur verba: & Dei virtute conſecrantur & gratia* (hoc eſt,ait, corpus meum) hoc verbo propoſita conſecrantur, & ſicut illa vox quæ dicit, Creſcite & multiplicamini, ſemel quidem dicta eſt, ſed omni tempore ſentit effectum ad generationem operante natura: ita & vox illa ſemel quidem dicta eſt,ſed per omnes menſas eccleſiæ vſque ad hodiernā diem,& vſque ad aduentum eius pręſtat ſacrificio firmitatem. Audis Chryſo.planè idem docentem, quod prius ex Damaſ. didicimus. Certa igitur & indubitata fide credendum eſt,non ſolùm dum Chriſtus celebraret hoc myſterium in cœna nouiſſima,ibi ſub ſpeciebus panis verè & realiter fuiſſe verum corpus & ſanguinem ipſius,verùm & nunc quidem dum idem myſterium in eccleſia quotidie iteratur, nullatenus dubitandum eſt,quin virtute verborum conſecrationis efficiatur, vt ſimiliter ſit ibi verè & realiter contentus dominus noſter Ieſus: quod præterquam ex ſcripturis & apoſtolica traditione concorditer tradiderunt patres & concilia generalia plurima definierunt, etiam non paucis fide dignis miraculis ipſe dominus aduerſus infideles & Hæreticos dignatus eſt patefacere. Refert B. Bernardus inſigne quoddam, quod contigit vita, ſcilicet Malachiæ epiſcopi. Quòd quidam clericus præſumpſerat dicere, in Euchariſtia eſſe tantùm ſacramentum, ideſt ſignificationem & non corporis veritatem. Super quo à Malachia ſecretò & ſæpe conuentus, ſed in

Exemplum. Bernardus.

caſ

caſſum,in medium vocatus eſt,ſeorſum tamen à Laicis,vt ſi fieri poſſet, ſanaretur, & non confunderetur, Itaque in conuentu Clericorum data facultas homini eſt pro ſua ſententia reſpondendi. Cumque totis ingenij viribus (quo non mediocriter callebat) aſſerere & defendere conaretur errorem : Malachia contrà diſputante & conuincente iudicio omnium ſuperatus eſt clericus. ¶At de conuentu conſenſus quidem abijt,ſed non correctus : dicebat enim ſe non ratione victum , ſed Epiſcopi preſſum authoritate , & tu (inquit) ô Malachia,ſine cauſa me hodie confudiſti , aduerſus profectò veritatem locutus es, & contra tuam ipſius conſcientiam. Mœſtus Malachias pro homine ſic indurato,ſed magis fidei dolens iniuriam , timens periculum,eccleſiam conuocat, errantem publicè arguit, publicè monet , vt reſipiſcat , ſuadentibus hoc ipſum Epiſcopis & vniuerſo clero, cùm nō acquieſceret,cōtumaci anathema dicunt, hæreticum proteſtātes.Nec ſic euigilans,omnes(inquit)fauetis homini potiùs quàm veritati, ego perſonam non accipio , vt deſeram veritatem. Ad hoc verbum ſubſtomachans,ſanctus dominus(inquit)fateri te veritatem faciat, vel ex neceſſitate,quo reſpondente Amen:ſoluitur conuentus,tali iſte inuſtus cauterio meditatur fugam,infamis atque inhonorus fore non ſuſtinens , & continuò ſua tollens exibat. Tum ecce ſubita correptus infirmitate ſiſtit gradum,viribuſque deficiens,eodem loco iactat ſe ſuper ſolum anhelus & feſſus . Fortè incidens in id loci vagabundus inſanus offendit hominem : quid nam ibi agat percunctatur. Reſpondet graui ſe infirmitate teneri , & neque procedere , neque redire valentem.Et ille,infirmitas iſta(inquit) haud alia quàm

ipſa mors eſt. hoc autem dixit, nō à ſemetipſo, ſed pulchrè dominus per vagabundum corripuit eum, qui ſanus noluit aquieſcere conſilijs ſenſatorum, & addidit. Reuertere domum, ego te iuuabo: denique ipſo duce reuertitur in ciuitatem: Redit ad cor, & ad miſericordiam domini. Eadem hora accerſitur Epiſcopus, agnoſcitur veritas, abijcitur error, & cōfeſſus reatum abſoluitur, petit viaticum, datur reconciliatio, & vno penè momento perfidia ore abdicatur, & morte diluitur: ita mirantibus cunctis, ſub omni celeritate completus eſt ſermo Malachiæ, & ſcripturæ pariter dicentis. Quia vexatio dat intellectum auditui. Propter hæc omnia, vt pulchrè Roffenſis deducit lib. iij. coroll. ij. etiam ſi ſcripturæ deeſſent, & non ſuffragaretur definitio eccleſiæ, ac concors patrum ſententia, tamen ipſa ratio, quæ ad hoc adduci poteſt: non parum adferret huic rei probandæ momenti. Cùm enim conſtet Chriſtum nos impenſiſſimè dilexiſſe, multò impenſiùs quàm vnquam pater quiſquā filium ſuum dilexerit: hocque inter inuicem amantes ſeruari videmus, vt alter alteri extremum vale faciens, pignus ei amoris relinquat in ſui memoriam: profectò fieri non pōtuit, vt Chriſtus à nobis abiens & ad patrem aſcendens, nos hoc pignore fruſtraretur vacuóſve ſineret. Reliquit ergo haud dubiè memoriale ſui & amoris pignus, certè quod illius tam immenſi erga nos amoris ſignum foret & manifeſtum indicium. Congruit autem, vt hoc reſpondeat magnitudini amoris, verus eius amicus, cùm nequeat ſeipſum relinquere, quod alioquin ſi poſſet, libenter faceret aliquod, quod pretioſiſſimum habet, relinquit. Chriſtus autem non ſolùm ſua dona, ſed & ſeipſum nobis relinquere potuit,

Roffenſis.

A ratione.

tuit,quanquam ad cælos conſcenderet: ad dexteram patris deinceps conſeſſurus. Non dubitari igitur poteſt ab eo, qui magnitudinem charitatis eius erga nos conſyderat,quin cùm potuerit, nec dedecuerit, quin hoc ipſum & fecerit.

Noſtri temporis hæreticorum placita.

NVNC paucis aduerſus hanc planam, & catholicam veritatem proponamus argumenta aduerſariorum. Primùm nobiſcum vnà fatentur veriſſima eſſe & indubitata ipſa domini verba: quibus ait,hoc eſt corpus meum,& hic eſt calix &c. Verùm de verborum ſenſu nobis aduerſus ipſos omnis eſt diſceptatio.Contendunt enim verba illa accipienda non *proprio ſenſu,ſed tropico*, quem ſenſum in ſcripturis ſacris frequentem eſſe, præterquam quòd per ſe manifeſtiſſimum,ipſe etiam Do. Auguſtin.pulchrè docet lib.iij.de doctr.Chriſtian.apud Ioan. dicit Chriſtus.Ego ſum vitis vera, vos palmites, & pater meus agricola.Rurſus,hic eſt agnus Dei,inquit Do.Ioan.de Chriſto. Et Paulus ad Corint. Petra autem erat Chriſtus:quibus omnibus locis conſtat non proprium eſſe ſenſum,*ſed figuratum & improprium*. Similiter igitur modo volunt Oecolampadiani in his domini Saluatoris verbis tropum agnoſcere,hoc eſt corpus meum: vt ſit ſenſus, id eſt,*hoc eſt figura corporis mei*.Confirmare autem iſtud contendunt partim ex illis locis adductis, partim ex tex.circunſtantia, quoniam ſequitur apud Euangeliſtas,*hoc facite in meam commemorationem. Videtur igitur totum & precipuum, quod*

Oecolampādianorum ſententia.

in hac cœna dominica peragitur, eſſe duntaxat ſignum aliquod rememoratiuum Chriſti, & paſſionis eius, mortiſque eius, *& non adeſſe veram præſentiam corporis & ſanguinis eius*. Et licet hi omnes in ſubſtantia rei conueniant, vt dicant ſolum eſſe ſignum in ſacramento euchariſtiæ: differunt tamen in modo explicandi verba domini. Quidā enim *in verbo ſubſtantiuo (eſt) faciunt improprietatem. Dicunt enim illud accipi non ſubſtantiue*, ſed ſignificatiue, veluti cùm dicitur alio loco: ſemen eſt verbum Dei. Quidam propriam fatentur eſſe locutionem, verùm per hoc volunt demonſtrari *ſignificatum per panem, id eſt, ipſum Chriſti corpus*. Ad hæc pro ſuæ interpretationis, & ſacrilegæ impietatis ſtabilimento adferunt veterum ſententias & interpretationes, potiſſimùm Tertulliani & Auguſtini. Dicit enim Tertullia. lib. iiij. aduerſus Marchionem. Chriſtus acceptum panem corpus ſuum fecit, dicēdo, hoc eſt corpus meū, *hoc eſt corporis mei figura*. Do. Auguſtinus verò contra Adimantium Manichæi diſcipulum ſcribens ca. xij. ſic habet. Eodem modo dicitur ſanguis eſſe anima. Deut. xij. quomodo Petra ab apoſtolo dicitur Chriſtus, quia videlicet Chriſtum ſignificabat, ſic à Saluatore dicitur, *Hoc eſt corpus meum, id eſt, ſignum eſt corporis mei*. Sacramenta enim vt idem ait Epiſtol. ad Bonifacium, quæ eſt xxiij. plerunq; vocantur nominibus earum, rerū quarum ſunt ſacramenta: ſicut ergo ſacramētum corporis Chriſti, corpus Chriſti eſt, & ſacramentum ſanguinis Chriſti ſanguis Chriſti eſt: ita ſacramentum fidei fides eſt. Vides vt vtrobique pro exemplo ſubijcit. Non enim dubitauit dominus dicere: hoc eſt corpus meum, cùm ſignum daret corporis ſui. Et apertiùs libr. iij. de doct.

Argumenta aduerſariorum.

Tertullianus

Auguſtinus.

Chriſtia. cap. ix.cùm præmiſiſſet generalem regulam de accipiendis figuratè ijs locutionibus, quæ ſecundum literam videntur impium aliquod continere, ſubiungit loco exempli verba iſta domini. Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Facinus (inquit) vel flagitium in illis, quæ videtur velle iubere. *Figura ergo eſt præcipiens eſſe paßioni domini communicandum, & ſuauiter atque vtiliter recolendum.* Ad hæc ipſemet dominus ſaluator videtur clarè hunc ſenſum diſcipulis explicuiſſe, dum alijs retroabeuntibus, qui offenſi fuerant his eius verbis, ijs qui remanſerant, dicit. *Verba quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt, caro non prodeſt quicquam: ſpiritus eſt, qui viuificat,* tanquàm ſi diceret. Spiritualiter accipite quæ dico, non hoc corpus, quod videtis manducaturi eſtis, ſed nec bibituri illum ſanguinem, quem fuſuri ſunt, qui me crucifigent. Sacramentum autem quod vobis commendam ſpiritualiter intellectum viuificabit vos: caro autem non prodeſt quicquam, hoc eſt carnalis ſenſus & intelligentia. *Et quorſum quæſo (iniquiunt) aduerſarij, realis Chriſti præſentia & continentia in ſacramento, cùm æquè abſens poßit nos viuificare, paſcere, nutrire, corroborare, dummodo in eum credamus, & ſic credendo ipſum ſpiritualiter manducemus?* Reprehenditur ſanè Regulus, quòd eius ad ſanationem filij ſui corporalem requirebat præſentiam, vt qui æquè abſens ac præſens ſolo nutu poterat eum ſanare. Vnde è conuerſo magnificè prædicatur fides Centurionis, non inuitantis dominum vt ad ſe diuerteret ad ſanandum puerum ſuum, ſed ſolùm eius requirens imperium. Domine (inquiebat) non ſum dignus, vt

intres ſub tectum meum: ſed tantùm dic verbum & ſanabitur puer meus. Ad has obiectiones reſponſuri vnà cum aduerſarijs ac Domino Auguſtino ac cæteris patribus, fatemur ſcripturas percrebrò vti figurato & improprio ſermone: verùm vt dicit idem Dominus Auguſtinus lib.lxxxiij.ix.quæſt.lxix. Quando hoc fit, hoc ipſę circunſtantiæ loci palàm indicant: aut aliæ ſcripturæ apertiores demonſtrant, aut ipſius rei contradictione conuincitur: vt patet in locis priùs adductis. Hîc autem tropum eſſe cognoſcendum, nec circunſtantiæ docent: nec reliquæ ſcripturæ id exigunt, neque rei euidentia id conuincitur. *Non enim parabola aliqua proponitur*, ſed ſimpliciter & vndè ipſa veritas clariſſimis verbis aperitur, domino dicente, hoc eſt corpus meum. Et ne qua in verbis illis poſſet eſſe ambiguitas, quanquam in ſe apertiſſimis, ipſe Apoſtolus Paulus explicat hæc eadem repetens & adijciens, quomodo ad hanc dominicam cænam ſumendam debeat quilibet fidelis ſe præparare, alioquin futurum, vt ſi mãducat & bibat indignè, reus ſit futurus corporis & ſanguinis. Quòd ſi duntaxat hîc ſit panis naturalis, & ſignum corporis & ſanguinis domini, velut erat in manna, agno paſchali, aut pane propoſitionis, vt quid opus tanta, tam ſolicita ad illius ſumptionem præparatione? cùm ad illa ſumenda quondam aut nulla, aut non niſi corporalis quædam & externa requirebatur à Iudæis diſpoſitio, quę tamen (ſi Oecolãpadio credimus) nihil minus habuerunt dignitatis, quàm ſacramentum iſtud corporis & ſanguinis domini. Ad hæc, ſi non ſunt hîc realiter corpus & ſanguis domini, quomodo tanti ſceleris fit reus, qui hoc nudum ſignum indignè ſumit? Cur

Prædictorum ſolutiones.

quæſo

quæſo, ſit ille reus corporis & ſanguinis domini potiùs, quàm ille, qui in peccatis exiſtens manducabat agnum paſchalem, aut panem propoſitionis? Et multò apertiùs ca.x.eiuſd.epiſtol.explicat Paulus, quis hic ſit panis, quem frangimus, quis item calix, cui benedicimus. Panis (inquit) quem frangimus, nonne participatio corporis & ſanguinis domini eſt? &c. Vides ergo, vt etiam ipſo apoſtolo interprete, non patiantur verba domini, hoc eſt corpus meum, alium ſenſum, quàm proprium. Nec quicquam facit, quod obijciunt de circunſtantiis loci. Docet enim dominus illo loco, quem opponunt finem eius, quod fieri præcepit. Præcipit autem fieri idem ipſum, quod ipſe fecerat, nempe conſecrationem panis & vini, & inſuper finem ad quem velit, hoc ab eis fieri demõſtrat, nempe in ſui commemorationem: quod & loco prætacto explicat D. Paulus, dum ait. Quotieſcunq; enim manducaueritis panem hunc, & ſanguinem bibetis, mortẽ domini annunciabitis, donec veniat. In memoriam ergo mortis ſuæ & charitatis, quam nobis moriendo præſtitit, voluit celebrari iſtud myſterium, & à nobis corpus ſuum & ſanguinem, ſeu pignus amoris ineffabilis erga nos ſumi, quò accendamur ad eum amandum, ipſo donante, qui à nobis manducari dignatur, vt intimè in nobis ſit, & nos in illo. Scripturam autem illam ab ipſis obiectam, *Petra erat Chriſtus*, D. Chriſoſt. proprio ſenſu intelligit. Et quidem ſenſum proprium tex. ipſe poſtulare videtur. Præceſſerat enim. Bibebant autem de ſpirituali conſequente eos Petra, & mox ſubiungitur. Petra autem erat Chriſtus. Indubiè non corporalis Petra, ſed ſpiritualis illa, quæ percuſſa dabat aquam. Ea autem proprio ſenſu eſt Chriſtus, *Chryſoſtomus*

qui à patre propter ſcelera noſtra percuſſus dabat, multiplicem aquam gratiæ ſalutaris, ſecundum quod per Prophetam prædictum citat D. Petrus in act. Sequebatur autem ſpiritalis hæc petra filios Iſrael, vel quia futurus ab ijs velut præeuntibus expectabatur, vel quia idem ipſe ſecundum diuinitatem, præcedebat eos, eoſque per deſertum xl. annis dirigebat. In alijs autem ſcripturis productis ipſa rei euidentia, & parabolicus ſermo docent euidenter improprietatem ſermonis, niſi quòd in illis, quo Chriſtus agnus Dei dicitur, etiam ſimplicem intellectum & ſenſum accipit Chriſoſto. Hinc non dicitur Chriſtus agnus ſimpliciter, ſed agnus Dei, & quidem talis, qui tollit peccata mundi. Ad verba Tertull. quæ ipſi pro ſe adducunt, reſpondendum videtur, & ſimiliter ad Domini Auguſtini, quòd iuxta ipſos in pronomine hoc intelligenda ſit fieri demonſtratio duntaxat ad ſenſum, qua videlicet ipſæ ſpecies duntaxat demonſtrentur: *quo ſuppoſito, recta eſt explicatio iſta, hoc eſt corpus meum, id eſt, figura corporis mei ſiue ſignum. Verùm non ſequitur excludi veritas corporis aut ſanguinis*, quin potiùs ſi in quem finem iſta dixerit Do. Auguſtin. attenderis, concludere etiam ex illis verbis licebit oppoſitum. Agit enim ibi aduerſus Adimantium Manichæi diſcipulum carpentem hinc inde ſcripturas varias, veter. teſt. quas volebat oſtendere veritatis expertes, quò ſic demonſtraret vetus teſtamentum non eſſe à Deo, ſeu bono principio. Inter cæteras quoque ſcripturas iſtam proponit, quam calumniabatur apertè falſam. Sanguis enim eius eſt anima eius. Deut. xij. Aduerſus hūc igitur Auguſtin. diſputans ad demonſtrandum veritatem illius ſcripturæ, proponit hanc ſcripturam no.

teſt.

teſtam. hoc eſt corpus meum: eamque Adimantio opponit, vt ex qua queat intelligere veritatem illius, quam apertę falcitatis calumniabatur. Sanguis eſt anima. Iuxta quoque ſententiam D. Auguſtini par de his duabus ferendum eſt iudicium, & vtraque ex altera iudicanda. Conſtat autem ſanguinem ſignum eſſe animæ realiter præſentis in corpore, quare erit hoc, ideſt iuxta Auguſtinum, panis, ceu eius ſpecies ſignum corporis Chriſti, ſed realiter præſentis & in hoc ſacramento cõtenti. * Quòd ſi aduerſus hanc interpretationem pronomen hoc, non eſſe demoſtratiuum accidentium, ſed duntaxat ſubſtantiæ dixeris, quare non videtur demonſtrare ſpecies panis. Facile fuerit reſpõdere, accidentia ibi eſſe non per modũ accidentium, ſed per modum ſubſtantiæ: ſubtracto enim ipſis eorum ſubiecto, iam cœperunt per ſe exiſtere ſupra noſtram. Communis tamen doctorũ ſententia eſt pronomen hoc, demonſtrare non ipſas ſpecies, neq; tamen ipſum panẽ, ceu eius ſubſtantiam, neque rurſus corpus Chriſti, ſed in genere ſubſtantiam contentam ſub ſpeciebus panis & vini: quæ quidem ante cõſecrationem eſt ſubſtantia panis, ea verò peracta, ſubſtantia eſt corporis Chriſti. Non ignoramus tamen quoſdam adhuc eſſe, qui aliter etiam hunc nodum conantur diſſoluere. Verùm ſalua vnitate eccleſiæ pacis, variè licet diſſentire; cùm ſuper ea re nulla extet eccleſiæ definitio aduerſus Berengarium quendam, quem iamdudum ſepultum excitat Oecolamp. authorem. Ex quibus patet non inſectandum tanquàm hæreticum, qui hæc verba tropicam & figuratam dicit habere ſignificationem, hoc eſt corpus meum, niſi per hoc intendat excludere veritatem corporis & ſanguinis Chri-

* Poterit etiã reſponderi quòd tametſi Aug. vno in locó dicat eſſe figurã, alibi dicit figuratũ eſſe: quia vtrũque eſt.

ſti,id quod faciunt Oecolampadij . Deinde inter eos nonnulli accipiunt *propè illa verba.* , vt diximus, quos tamen non ob id immunes ab hæreſi facimus, quoniam proprium ſenſum ſic explicant, *vt non admittant realem corporis domini præſentiam & continentiam.* Ad id verò quod ex eodem obijciunt, in libr. de doct.Chriſtia. dicendũ Auguſtin. ibi verè loqui de manducatione ſpirituali, qua fide manducatur à nobis Chriſtus: dum explicat illud: niſi manducaueritis & biberitis eius ſanguinem:dum ipſi per fidem incorporamur:de qua locis quàmplurimis conſtat eum loqui. Veluti cùm ait. Quid paras ventrem & dentem, *crede & manducaſti.* Vel ſi de ſacramentali manducatione loquitur, ſenſum ſpiritualem intelligit, oppoſitum illi carnali, quem concipiebant Iudæi illi, qui in his verbis domini offendebantur: intelligentes videlicet eum velle dare carnem ſuam manducandam ſub propria ſpecie, quaſi ipſa dentibus terẽda foret, & dilanianda, non ſecus atque caro, quæ in macello væniit. Atque id liquet ex cauſa,quam ſubiũgit Auguſtinus,ne flagitium(inquit)iubere videatur. tale autem non eſt, nobis Chriſtus ſub ſpecie aliena proponitur ſumendus,ſed inexplicabilis amoris indicium . Et vt de ſacramentali loquatur Auguſtin.propriè tamen & principaliter reſpexit ad finem huius ſumptionis, *qui eſt communicare paſſioni domini, ſuauiter eam recolendo.* Et hoc modo etiam intelligenda ſunt, quæ ex eodem interſeruimus in comment.pſalm. iiij. Ad verba domini ſaluatoris Ioan. vj. aduertendum,quòd ibi *non dicit verba, quæ ego loquor vobis tropus & figura ſunt,ſed ſpiritus & vita ſunt,*nempe vt indicaret ſe non tradıturum nudam carnẽ ad veſcendũ,quoniã hæc nõ

pro

prodeſt quicquam ad viuificandũ, verùm ſe eis traditurum ſpiritum ſuum cum carne, ideſt, carnem ſpiritu viuificatam: quoniam vt per ſe notum eſt, à ſpiritu eſt omnis vita, nec ſine illo poteſt caro, nec ſe, nec quiduis aliud viuificare. Hunc ſenſum verborum domini palàm tradit Cyrill. in commen. huius loci. Sicut ſi mel (inquit) miſceas alicui liquori, totus dulcis efficietur: ita in ſacramento, quia caro vnita eſt animæ, & naturæ diuinæ, ratione horum viuificatur. Ad hunc quoque modum explicat Domi. Auguſti. quin & ipſe Saluator ſenſum hunc palàm explicat. Suprà enim dixerat, *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Ecce carnem ſuam dicit donandam pro mundi vita: viuificat igitur ipſa caro mundũ, pro cuius vita donatur. Item quod dixerat, qui manducat carnem meã & bibit meũ ſanguinem, habet vitam ęternam. Itẽ in me manet, & ego in illo: mox explicat ſubdẽs. Qui mãducat me, ipſe viuet propter me. Item, qui manducat hũc panem, illum nempe quem ſe priùs dixerat, viuet in æternum. *Non ergo vult aliud excludere dominus ſua illa explicatione, quàm falſum & flagitioſum Iudæorum intellectum, intelligentium dominum daturum carnem ſuam nudam ſub propria ſpecie manducandam:* docens, quod hęc ſit intellecta aut ſumpta, non poſſit ad vitam prodeſſe, niſi ſimul ſit coniuncta ſpiritui, qui ſolus eſt omnis vitæ principium. Poſtremò ad illud quod opponũt fruſtra hîc Chriſtum præſentem, cùm æquè abſens poſſit eoſdem effectus operari, quos operatur præſens, & vt detur præſentem eſſe Chriſtũ: fruſtra tamen nos eſſe anxiè de huius quęſtionis veritate ſolicitos, cùm fide totum peragatur, vt diuerſitatem non efficiat fructus in animabus noſtris, niſi fidei & de

Cyrillus.

uotionis diuerſitas. Reſpondetur quòd ſimili argumẽto concludi poſſet, Deum fruſtra incarnatum, paſſum aut mortuum, cùm multis alijs modis potuiſſet ſaluare ac redimere genus humanum. Non defuit profectò ſaluandi genus humanum modus alius: verùm hic eius ſapientiæ ſimul, & noſtræ miſeriæ ſanandæ congruentiſſimus, Sic rurſus potuit nos Deus etiam abſens cibare & paſcere, ſicut abſens nos regenerat & confirmat. Verùm eius immenſæ ſapientiæ & miſericordiæ viſum eſt hoc modo, & non alio nos paſcere, carnem ſuam & ſanguinem verum realiter nobis dando in cibum & potum animæ, quò ſic nos vehementiſſimè in amorem ſui raperet: dũ ſe nobis ita familiarem præbet reali ſua præſentia, ita intimè nobis coniungitur, vt ſi liceat dicere intimiùs, nequeat. Quis huius rei conſyderatione non totus inflammabitur ad eius amorem? Quod cor tam ferreum, quod nòn eius dilectione totum velut cera quæ fluit à facie ignis, liquefiat? Rurſus, cuius animus adeò poterit eſſe puſillanimus, vt non ſumma fiducia erigatur, ad conſyderationem tantæ bonitatis domini, & maximè conſyderatione illius ſacrificij gratiſſimi, quod patri offertur? Denique quis adeò ſuperbus, cuius cor ad humiliandum ſe non mouebitur conſyderatione abyſſalis illius humilitatis domini noſtri, qui cùm ſedeat glorioſus ad dexteram patris, ſuper omnes principatus poteſtates & virtutes, nõ dedignatur tractari manibus vnius miſeri homuncionis, imò frequenter peccatoris viliſſimi: nec ſolùm manibus tractari, ſed in os eius ingredi, in ſtomachumq́; & ventrem traijci? Magnum profectò indicium erat & argumentum maximum, quod ipſe M & dominus, imò Deus verus ſe demitteret ad abluẽ

Exclamatio deuotiſſima.

dos

dos ſordidos pedes diſcipulorum ſuorum etiam ipſius Iudæ proditoris. Verùm multò abundantioris eſt argumentum humilitatis, quod eadem illa Maieſtas iam ſecundum diuinitatem glorioſa & immortalis facta, dignatur hoc modo ab homine tractari. Non tibi ô infelix Oecolampadiane, non videtur ingratiſſimũ, non recognoſcere tanta tanti domini beneficia, tam immenſæ charitatis ſigna paruifacere, quæ hominẽ Chriſtianum in profectu Chriſtianæ vitæ tantopere adiuuant, nõ curare? ocioſum eſſe de his rebus an ita ſe habeant, an ſecus, diſputare? Certè fidem fatemur imprimis requiri, eamque vt in omnibus alijs myſterijs ſalutis noſtrę, ita maximè in hoc ſacroſancto ſacramẽto corporis & ſanguinis Chriſti, quod vt nullum, aut vix aliud reperitur, quod magis requirit humiliari & captiuari intellectum noſtrum, in obſequium fidei. Verùm imprimis non perſiſtit fides integra, ſi de hoc tanto d. ſacramento admittatur dubitatio. Ad hæc non à ſola fide eſt, qui nobis ex hoc ſacramento prouenit fructus, ſed ex ipſo in ſe tam ſolemni myſterio, ſiue illud conſyderes vt ſacramentum, ſiue vt ſacrificiũ. Neque vllum argumentum eſt incredulitatis, aut diffidentiæ deſyderare eius præſentiã, ſed maximi ipſius erga nos & noſtri erga ipſum amoris. Neque in hoc arguitur Regulus, quòd peteret eius præſentiam, verùm quod proptereà eum expeteret, quia pœnitentiam tantam non crederet, vt qui poſſet etiam abſens ſanare puerũ languentem. Certè conſtat pergratum illi fuiſſe, quòd Zachæus eũ corporaliter deſyderârit videre, ac in domum ſuam eum lubenter receperit. At obijciunt rurſus, quod habet Apoſtolus ij. Corinthio. v. vbi ait. *Et ſi cognouimus ſecundum carnem Chriſtum, ſed iam*

non nouimus: ergo inquiunt, apparet nunc non eſſe Chriſtum realiter iuxta carnem præſentē nobis, ſed duntaxat ſecundum ſpiritum. Verùm reſpicienti textum, ſtatim euidens fit, quàm abſurdè eum locum ad hanc rem ſtatuendam adferant, vt qui nihil prorſus cum ea habeat commune. Vult enim oſtendere Apoſtolus ibi conuerſis ad Chriſtum, deinceps viuendum ſecũdum ſpiritum, & non ſecundum carnem: quoniam & Chriſtus ipſe iam non ampliùs ſecundum carnē viuit, quoniam in reſurrectione carnem aſſumpſit iam impaſſibilem & immortalem. Ita & nos quidem in hoc ſæculo viuere debemus ſecundum ſpiritum, exuētes quodlicet paulatim carnem ipſam cum omnibus actibus ſuis, donec tandem cum Chriſto, quò ipſe nobis exemplum factus aſcendit, peruenerimus, non ſolùm iam à carnę immunes per liberationem à concupiſcentia & eius motibus, ſed etiam per liberationem à mortalitate, cæteriſque omnibus tàm animæ quàm corporis defectibus, quæ omnia interdum nomine carnis ad Apoſt. veniunt intelligenda. Quicquid ſcilicet malorum nobis ab Adã contraximus, vel ex illo nobis ipſi accerſiuimus. Sic ergo Paulus & cæteri Apoſtoli nõn nouerant Chriſtum ſecundum carnem, ſcilicet talem qualē circunferebat, dum hîc ageret: cum hominibus humaniter in terris: videlicet ſubiectam miſerijs ſimilibus, quibus noſtra, abſque peccato tamen. Alioquin ſi nomine carnis corpus intelligas, iam facis Palum, reliquoſque Apoſtolos ignaros reſurrectionis: at hanc per totum orbem vbique verbo & ſcripto ſunt teſtificati, ad quod & aſſumpti erant à domino. Patet igitur nullum iſtorum argumentorum quicquam efficere contra hunc articulum, de veritate corporis do-

mini

mini in Euchariſtia. Intellige autem nomine corporis reliqua omnia, quæ pertinent ad eius integritatem, oſſa, neruos, & eiuſmodi, ideſt omnia quæcũque ſunt cõmunia corpori viuo & mortuo, non autem ſangui nem & animam, quæ ſunt propria viuo, quoniam ſan guis, & anima contra corpus diſtinguuntur, dum de hoc ſacramento loquimur, licèt re ipſa ab inuicem nũ quam ſeparentur. Vnde & idem intelligendum eſt de vera & reali præſentia & continentia ſanguinis, quod hîc de corpore expreſſum eſt. Quando de ipſo cibo ſacramenti agitur, magis carnis quàm corporis fit mentio, quod illius propriè tales cibi rectiùs tribuantur, cibare, nutrire, confortare &c. Dum verò de inſtru mento c. ſacramenti agitur, magis corpus quàm caro exprimitur, quod virtute conſecrationis non tantùm caro, ſed & oſſa, & nerui, & quicquid eſt de integritate corporis habeantur.

Articulus decimusquartus.

IN Euchariſtia non manent panis & vinum, ſed hæc in corpus & ſanguinem ipſius Chriſti admirabili potẽtia verbi ipſius ſunt conuerſa: manentibus tamen panis vinique ſpeciebus. Vndè certa fide tenendum eſt, ſacram Euchariſtiam ſanctè à nobis adorari, ſiue in miſſa, ſiue extra miſſam, vbicunque repoſita fuerit: aut quoties in ſupplicationibus publicis à ſacerdote circunfertur.

ARTICVLVS iſte in ſingulis ſuis partibus patet contradictioni aduerſariorum, quare diligenter in primis videndum eſt, num ſolidum & certum in ſcripturis habeat fundamentum. Et primùm quidem partem illam primam. Quòd in Euchariſtia non manent panis & vinum, euidenter probant Euangeliſtæ, quibus & D. Paulus ad verbū aſtipulatur. Hi enim cōcorditer referunt, quòd dominus accepit panem, quòd ei benedixerit, quòd cum fregerit, ac diſtribuit diſcipulis dicens. *Accipite, hoc eſt corpus meum.* Quibus verbis clarè indicauit non ampliùs panem eſſe, quod porrigebat diſcipulis edendum, verùm hoc iam eſſe corpus ſuum. Alioquin enim ſi ſubſtātia panis ibi permāſiſſet, dixiſſet dominus, *aut hic panis eſt corpus meum, aut* aduerbialiter. *hic eſt corpus meum*, aut magis explicans quod volebat, *cum hoc pane, aut ſub hoc pane* eſt corpus meum. Verùm nihil tale, certo ſtudio dixit: ſed quò citra vllam ambiguitatem nos edoceret, veritatē tanti myſterij, verbis minimè ambiguis dixit. *Hoc quod iā vobis edēdum porrigitur, quodq́ à me ex meis manibus ſumitis, eſt corpus meum.* Et eodē modo de calice ſiue ſanguine ſuo ſubiunxit. Hic eſt calix ſanguinis mei. Quòd ſi dicas non officere veritati illius propoſitionis (hoc eſt corpus meum) ſi dicatur ibi remanere ſubſtantia panis, poterit per hoc demonſtrari contentum ſub pane, ſicut diximus demonſtrari contentum ſub ſpeciebus. *In myſterijs fidei reſpondemus, non eſſe attendendum, quod poſſit fieri: ſed quid re ipſa ſit factum*: quare & ſi abſolutè cum corpore Chriſti poſſit conſiſtere ſubſtantia panis, non minùs quàm ipſæ ſpecies: non tamen ob hoc dicendum eſt rem ita ſe ha.

Tranſubſtātiatio.

Antipophora.

ſe habere. Rurſus verbis domini non debemus de noſtro cerebro ſenſum effingere, ſed ex eis & iuxta ea, ſenſum referre, eum, quem illa propriè habere dinoſcantur. Non addas enim (inquit ille) quicquam verbis illius, ne arguaris, inueniariſque mendax: quòd cùm, tam ſæpe nobis obijciant aduerſarij, nolunt tamen aduertere, quàm probè iſtud in eos quadret, ſi admodum verba domini detorqueãt, cùm ſi ipſa verborum ſpecies conſyderetur, nihil tale contineant, aut intelligi permittant. Inſuper præter hoc, quòd tam aperta ſunt domini Saluatoris verba, à tot irrefragabilibus teſtibus tam concorditer relata: pro nobis etiam facit concors omnium patrum ſententia, idipſum quod articulus continet palàm docentium: nempe non remanere in Euchariſtia ſubſtantiam panis & vini, ſed quod ſecunda pars articul. habet, conuerti in corpus & ſanguinem Chriſti, nonnulla teſtimonia licet videre collecta à Ma. ſententiarũ. diſt. x. iiij. lib. Amb. lib. iiij. de ſacramentis, cap. iiij. & vj. Panis (inquit) in altari vſitatus eſt, ante verba ſacra, vbi acceſſit conſecratio: de pane fit caro Chriſti. Quomodo autem poteſt quod panis eſt, eſſe corpus Chriſti? conſecratione, quæ fit ſermone Chriſti. Et alia multa ſequuntur pulchrè congruentia noſtro inſtituto. Apud eundem idem in li. de his qui myſterijs initiantur, ca. viij. tom. iiij. Aſtipulatur D. Augu. in lib. ſententiarum Proſperi. Item in ſermo. xxviij. de verbis domini ſecundum Luc. Conſentit quoque Euſebius. Sed quid in vno aut altero immoramur, cùm id palàm & crebrò clamet tota cohors eccleſiaſticorum doctorũ, tam Græcorũ, quàm Latinorum? Accedit his multiplex definitio eccleſiæ, in cõcil. Lateranen. ſub Innocen. iij. vt habetur de ſumma

Ambroſius.

Concilium Lateranen.

trinitate & fide catholica,ca.Firmiter.vbi dicitur. Vna eſt fidelium vniuerſalis eccleſia, extra quam nullus omnino ſaluatur. In qua quidem ipſe ſacerdos & ſacrificium Ieſus Chriſtus, cuius corpus & ſanguis in ſacramento altaris ſub ſpeciebus panis, & vini realiter continetur,tranſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſanguinem poteſtate diuina. Et Concilium Conſtantien. ſub Ioann. xxiij. damnat errores Ioannis Vuycleph. Ioannis Hus, & Hieronymi de Praga. Inter quos vnus erat, quòd ſubſtãtia panis materialis, & ſimiliter ſubſtantia vini materialis remanerent in ſacramento altaris. Vide plura allegata, de conſecra. diſtin. ij. per multa capitula, in quibus recenſentur partim ſententiæ patrum, partim definitiones conciliorum, quibus adde & nouiſſimi iſtius Concilij Florentini claram & apertam ſententiã,prędictis per omnia conformẽ. Cùm igitur ſuper hac re tam clara ſint ſcripturarum teſtimonia, tam conſona patrum traditio, tam frequens eccleſiæ catholicæ in celeberrimis generalibus concilijs definitio, planè impudentiſſimæ & ſtultiſſimæ eſt inſaniæ, poſt tam aperta veritatis teſtimonia adhuc hanc rem in dubium vocare.

Concilium Conſtantien.

Poteſtas ſacerdotum.

Sequitur in articulo, admirabili potentia verbi Chriſti fieri hanc conuerſionem. Verbum autem iſtud eſt,quo inſtituit, illud myſterium celebrari, dicens. *Hoc facite in meam commemorationem*. Cuius verbi virtute acceperunt omnes ſacerdotes quotquot vnquam fuerunt,& accipient deinceps,quotquot futuri ſunt, poteſtatem idem myſterium celebrandi, quod Chriſtus in nouiſſima cœna celebrauit, hoc eſt conſecrandi & offerendi corpus & ſanguinem domini,non ſecus atque terra virtutem germinandi(quæ-

vſque

vſque hodie in ea perdurat) accepit, domino dicente. *Germinet terra herbam virentem*, quemadmodum præcedenti articulo ex Cypriano induximus. Et palàm fit ex Ambro. verbis paulò antè productis.

Nec eſt quòd curioſiùs inquiramus de imperſcrutabili iſta conuerſione, & tranſubſtantiatione, credamus fieri. Et ſi requiras modum, inquit Damaſ. libro iiij. capi. xiiij. quo fiat hæc tanſmutatio: ſat ſit tibi audire, quoniam per ſpiritũ ſanctum. Verùm prius quã ad ſecundam principalem partem articuli pergamus, reſtat paucis diluere argumenta aduerſariorum, quæ obijciunt aduerſus hanc catholicam veritatem. Primùm dicunt. Dominus non corpus ſuum duntaxat, ſed & panem porrexit. Referentibus nanque euangeliſtis, Accepit Ieſus panem, & gratias agens dixit: hoc eſt corpus meum. Ecce hîc duo videtur exhibuiſſe, panem videlicet, quem accepiſſe narratur, & corpus ſuum quod accepiſſe memoratur. Et Paulus huius myſterij mentionem faciens, percrebò panis meminit, nec ſolùm ante conſecrationem, ſed & ea peracta adhuc panem appellat, vt patet Cor. cap. x. & xj. prioris. Et ne myſticum panẽ eum intelligere dicas, Chriſtum ipſum intelligi vellet, planè obſunt eius verba. Nam panem hunc, de quo loquitur, & quem dicit eſſe communicationem corporis domini, *frangi dicit*. Conſtat autem fractionem in Chriſtum iam immortalem & impaſſibilem non competere. Ad hæc reſpondemus Paulum à domino Saluatore edoctum vocare corpus Chriſti panem, hoc enim modo corpus ſuum, imò ſe totum Chriſtus frequenter nuncupauit. *Ego (inquiens) ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi, &c. & infrà. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in*

Modus.

Hoc fit.

Argumentũ aduerſariorũ quòd non fiat tranſubſtantiatio.

æternũ.Rurſus.*Panis quem ego dabo*, caro mea eſt pro mundi vita:*Panis autem eſt Chriſtus*,quia cibat & paſcit nos ſecundum animam, quemadmodum pulchrè explicat Auguſt.ſerm.xxviij. de verbis domini. Hinc Apoſtolus vt indicaret ſe nõ intelligere vulgarem panem, addit articulum ad emphaſim ſignificandam. Quotieſcunq;(inquit)*mãducabitis panem hunc*. Quod autem Chriſtum non frangi,& proinde ipſum nõ intelligi nomine panis apud Apoſtolum,cùm ei hic fra-
Chryſoſtomus ctionem attribuat: primùm reſpondemus ex Chry-
Theophylactus. ſoſto.& Theophyla. etiam ipſum Chriſtum citra impietatem vllam rectè dici frangi in euchariſtia, *non quidem ſecundum ſe,ſed ſecundum ſpecies,quibus velatur*. Quòd in cruce paſſus non eſt(inquit Chryſoſt.)os ſi quidem eius(iuxta vaticinium Prophetæ) in ea non eſt contritum : id in oblatione patitur, & propter te
Oecumenius. frangi permittit. Idem habet Oecume. *Quòd in cruce inquit,non eſt paſſus dominus. Siquidem os eius(inquit) non confringetur,propter nos hoc ſuſtinet fractus,vt nos ſibi coniungat*.Per omnia conſentit Theophy.Eodemmodo diluendum eſt,quod ex Act.obijciunt Apoſtolorum : vbi Luc. refert diſcipulos communicantes in fractione panis. *Quaſi non deſinit, qui hanc communionem non intelligant ſacramentalem,ſed vſitatam in pane materiali*.Poſſet deinde non improbabiliter reſponderi, verbum frangi, iuxta morem ſcripturæ non ſignificare duntaxat ruptionem,ſed quancunque partitionem, diſtributionem, ſiue diſpenſationem : veluti cùm præcipit Sapiens,vt frangamus eſurienti panem, non ſignificatur duntaxat,vt detur ei pars panis ſecta ex integro pane, ſed vt diſtribuatur ei ex noſtra ſubſtantia,quod illi eſt neceſſarium. Ad hunc ergo modum

dum poteſt intelligi panis ille myſticus frangi ab Apoſtolis, id eſt, *diſpenſari & diſtribui*, quemadmodum & alio dicitur loco. Pueri petierunt panem: & non erat qui frangeret eis. Adhuc obijciunt ſententiam Gelaſij Pa. in quodam fragmento Epiſtol. ſcriptæ aduerſus Euthicen hæreticũ Epiſcopum Conſtantinopolitanũ, *qua dicit in ſacramentis corporis & ſanguinis Chriſti non deſinere ſubſtantiam panis & vini*. Ad hoc reſpondentes, primùm dicimus hoc fragmentum nuper primùm impreſſum, & anteà incognitum, non videri eſſe Gelaſij: id quod vel ex ipſius initio admodum probabiliter colligitur. Dicitur enim ibi errôr ille aduerſus quem ſcribit, nempe de naturis diuina & humana coaleſcentibus in vnam aliquam tertiam naturam in Chriſto ab vtraque illarum diſtinctam eſſe, recens ortus. At conſtat eum fuiſſe etiam ſub Leone primo multis annis ante Gelaſium: ſub quo in Concilio Calcedonenſi confutatus: cuius quidem concilij aut confutationis nullam prorſus facit mentionem ipſe Gelaſius: quod tamen primùm oppoſitum præfato errori oportuit, cùm huic Gelaſio minimè fuerit incognitum: vt qui ipſum in alijs ſuis epiſtolis celebriter citat, eius authoritatẽ plurimi faciens, maximè in ea, quam ſcripſit ad Fauſtum. Videtur igitur hoc fragmẽtum eſſe alicuius alterius prioris illo concilio, vel certè alicuius recentioris ſcriptoris, qui illud mendaciter non eſt veritus aſſcribere Gelaſio. Profectò mirum foret diſſentire Gelaſium à patribus illis Aug. Hieronym. Ambr. & alijs: quorum doctrinam in quantam reuerentiam habuerit, apertè teſtatur eius decretum: in quo hos authores per omnia orthodoxos & catholicos decreuit. Ad hæc ſi verba diligenter attendas, Gelaſius Papa.

profectò apud non omnino pertinacem facilè admittent ſenſum catholicum, vt dicatur, ſcilicet, non deſinere panis & vini ſubſtantiam: primùm quidem, quia hæc *non adnihilantur, ſed remanent ſecundum ſuas ſpecies: quæ quidem ſpecies deſtitutæ ſubiecto ſuo, in quo habebant eſſe accidentale, oſtendunt modum eſſendi ſubſtantialem.* Hinc & * Chriſto omnes ſubſtantiarum proprietates, tam agendi quàm patiendi conueniunt: atque hac ratione ſubſtantia panis & vini dicitur non deſinere eſſe, licèt panis & vinum eſſe deſinant: quia ipſum per ſe ſubſiſtere, quòd erat in pane & vino, ſpecies remanentes ſuſcipiunt.

** Sacramento.*

Quòd ſi pertinacior quiſpiam prorſus vrgeat, *non erit grande piaculum, recedere in hac re à Gelaſio*: quoniam eo tempore, dum nondum ſuper ea re aperta extaret definitio, fortè venialis potuit eſſe error in re tam ardua, vt in quàmplurimis alijs vſuuenit: quæ ſucceſſu temporis ita facta ſunt lucida, & authoritate eccleſiæ fulcita, vt iam pernicioſum ſit de eis dubitare, de quibus vel nullo vel modico peccato licuit aliquando etiam oppoſito modo, atque nunc eccleſia tradit ſentire & docere. Poſtremò etiam aduertendum eſt, quòd quia vt ſuprà, ex Auguſtino adduximus, *nomina rerum ſignificatarum frequenter tribuuntur ipſis ſignis*: velut cùm ſacramentum fidei fides dicitur: ideo non rarum eſt apud authores ſpecies panis & vini appellare panem & vinum: vt docet M. ſenten. diſtin. viij. & xiiij. ſententiarum. vnde non putandum eſt eos ſentire, panis & vini ſubſtantias remanere, quod panem & vinum adhuc nuncupent, id quod remanet, ſed vel panem myſticum intelligunt conformiter ſcripturis loquentes, vel certè ipſas

Magiſter ſententiarum.

ſpecies,non ſigni,rem ſignificatam intelligentes: ſunt enim accidentia rei naturaliter repręſentatiua ipſius ſubſtantiæ. Potes etiam videre apud.M.diſtin.xij.iiij. & doctorum circa illam diſtinctionem multiplices opiniones, de hac conuerſione panis in corpus Chriſti,& vini in ſanguinem eius.Quidam enim,vt Petrus de palude ponit conuerſionem productiuam termini ſecundum eſſe accidentale duntaxat. Scotus non productiuam, ſed adductiuam duntaxat termini conuerſio non ponit ſecundum eſſe ſubſtantiale. Do. Thomas poſt Hugo. & Magiſtrum ponit conuerſionem talem, qua vna ſubſtantia realiter conuertitur in aliam: quæ ſententia quanquam intellectu ſit difficilior, dictis tamen ſanctorum patrum definitionibus conciliorum, ac ſcripturis ſacris nobis videtur conformior. Secunda pars articuli continet ſacram euchariſtiam ſanctè à nobis adorari,ſiue in miſſa, ſiue extra miſſam, vbicunque repoſita fuerit. In qua, quidem parte à nobis diſſentiunt aduerſarij, non impiè modò, verùm etiam abſurdiſſimè, citra vllam quam ex ſcripturis adferunt apparentiæ cauſam, vel ex ratione. *nam quod dicunt Chriſtum non eſſe in euchariſtia, niſi in ipſo eius vſu, id eſt,dum bene dicitur panis,porrigitur aut ſumitur, citra omnem rationem dicitur.* Aduerſus huiuſmodi homines, qui etiam ipſius tempore erant,loquẽs, Cyrillus Concilij Epheſini præſes, Inſaniunt (inquit) dicentes myſticam benedictionem à ſanctificatione ceſſare, ſi quæ eius reliquæ in ſequentem diem permanſerint: *non enim mutabitur ſacroſanctum Chriſti corpus, ſi remanſerit: virtus enim benedictionis & gratia ſanctificatiua iugis in eo manet, atque id vſu venit in omnibus,*

Petrus Paludanus.
Scotus.
Thomas.
Adoratio.
Sententia Lutheranorum.
Cyrillus.

quæcunq; ſanctificatione aliqua conſecrantur, veluti dum miniſtri eccleſiæ ordinantur, aut altaria, propter quod hæc ſanctificatio iterari non poteſt. Quod autem quidam ipſorum dicunt, *corpus quidem ibi eſſe, non autem Deum*, qui ſolus ordinandus eſt, æquè abſurdum eſt & impium. Nunquid enim fortè mortuum eſt Chriſti corpus, & anima viuificante deſtitutum? at Chriſtus reſurgens à mortuis iam non moritur: aut nunquid diuinitas non ampliùs manet Chriſto coniuncta ſecūdum vnionem hypoſtaticam, vt Deus iam eſſe homo deſierit, ſitque Chriſtus duntaxat homo, & non ampliùs Deus naturalis Dei filius? Rurſus, quod aiunt Deum quidem verum ibi eſſe & hominem, hoc eſt *totum Chriſtum, verùm non ad hoc, vt adoretur, ſed duntaxat vt ſumatur & manducetur.* Sed quid hac re poteſt eſſe abſurdius? nunquid nō Deus ipſe aut Chriſtus, verus eſt homo & Deus, non omni tempore ita & loco adorandus? Cur, quæſo, non æquè poſſit adorari à nobis, atq; à Magis in præſepio, aut à Symeone in matris gremio? At dices fortè, Chriſtus quidē ſemper & vbique eſt adorandus, at non euchariſtia, non eius corpus, non eius ſanguis, nō eius anima, nō ipſum deniq; ſacramentum: hæc omnia ſiquidem creaturæ ſunt, quibus proinde ſeruire tanquam creatori impiū eſt, & idololatria non carens: cùm ſcriptum ſit. Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Reſpondemus ex doctrina M. ix. diſt. iij. ſententiarum, collecta ex Damaſc. & Augu. Primariò quidem & principaliter ſolum Deum latria colendum, & adorandum. Secundariò tamen quæcunq; ſunt ipſi aliquo modo coniūcta, atque adiacentia, & proinde corpus & animam Chriſti, cùm hæc ipſi diuinitati intimè & hypoſtaticè ſint

Argumentū de adoratione Chriſti.

Solutio.

ſint coniuncta:quæ quidem dum adorantur, nō tam ipſa quàm Deus,ſiue diuina Chriſti perſona in ipſis adoratur:tū quia diuinitas ipſa eſt ratio adorationis illorū, tū quòd actiones propriè ſint ſuppoſitorum,non naturarum,ſed cum ſuppoſitorum ſunt non abſtractorū, ſiue à naturis,ſiue à naturalibus conditionibus. Non enim dum adoramus Regem ornatum purpura & diademate ,abſtrahimus,ſicut nec à dignitate Regia, ita nec ab ornamēto exteriori:ſed talē eum adoramus, qualem eum cōſpicimus,& quidem ſi ipſos adorationis actus externos,cui neceſſarium eſt,correſpondeāt interni, conſpicias palàm hos terminari non ad Regem ſolum, ſed & ad ea quæ ipſi circumiacent: veluti ſunt ornamenta. Vnde eius pedibus proſtratus reus, eius calceos deoſculatur, petens remiſſionem criminis. Atqui longè intimiùs coniuncta ſunt Chriſto corpus &anima ei hypoſtaticè vnita,quàm ornamentum Regi. Similiter & ſacroſanctus eius ſanguis, quāquàm dubium ſit:magisq; Phyſicum quàm Theologicum: an ſit pars corporis viui,ſiue an ſit animatus,& proinde an ſit Chriſto hypoſtaticè vnitus:diſſentiunt enim ſuper hac re Phiſici inter ſe, ſicut inſuper poſteriores Theologi. Do. Auguſti. ſuper pſalm.xcviij.circa illud. Adorate ſcabellum pedum &c. Argumentum hoc quod mox propoſuimus,ſibi obijcit & ſoluit. Vnde eius verba lubet hîc paucis ſubſcribere. Videte(inquit) fratres,quid iubeat nos adorare. Alio loco ſcriptura dicit. Cælum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum:ergo terram iubet nos adorare, quia dicit alio loco quòd ſit ſcabellum pedum Dei. Et quomodo adorabimus terram? cùm dicat apertè ſcriptura, Dominum Deum tuū adorabis:& hîc dicit. Adora-

Auguſtinus.

te ſcabellum pedũ eius. Exponẽs autem mihi quid ſit ſcabellum pedum eius, dicit. Terra autem ſcabellum pedum meorum. Anceps factus ſum, timeo adorare terrã, ne damnet me, qui fecit cælum & terram. Rurſum timeo non adorare ſcabellũ domini mei: quia Pſal. mihi dicit. Adorate ſcabellum pedum eius: quæro quid ſit ſcabellum pedum eius, dicit. Terra autem ſcabellum pedũ meorum. Fluctuans conuerto me ad Chriſtum, quia ipſum quæro hîc, & inuenio, quomodo ſine impietate adoretur terra, ſine impietatẽ adoretur ſcabellum pedum eius. Suſcepit enim de terra terram, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit, & quia in ipſa carne hîc ambulauit, & ipſam carnem ad ſalutem noſtram nobis manducandam dedit. Nemo autem illam carnem manducat, niſi priùs adorauerit. Inuentum eſt, quomodo adoretur tale ſcabellum pedũ, & non ſolùm non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando. Nunquid autẽ caro viuificatur? Ipſe dominus dixit, cùm de commẽdatione eiuſdẽ terræ loqueretur: Spiritus eſt qui viuificat, caro autem nihil prodeſt. Ideo & ad terrã quamlibet cùm te inclinas, atque proſternis, non quaſi terram intuearis, ſed illum ſanctum, cuius ſcabellum pedum eſt, quod adoras, propter ipſum enim adoras: ideo hîc ſubiecit. Adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt: & cùm adoras illum, ne cogitatione remaneas in carne à ſpiritu non viuificeris &c. Ex quibus verbis palàm vides Chriſti corpus eſſe adorandum, & quatenus, ſecundum ſe nanque conſyderatum prout creatura eſt, adorari non poteſt, verùm vt Chriſti corpus eſt, ideſt, vt ſubſiſtens in diuina perſona Chriſti, ceu potiùs ipſa Chriſti perſona, etiam vt

illi

illi naturę ſubſtat: totus ſiquidem Chriſtus adorãdus, idque adhuc multò clariùs explicat poſt Auguſtinum Damaſce.lib.iij.orthodo.fid.cap.viij. cuius verba à M. *Damaſcenus.* citata habes diſtin.mox allegata. Dicit autem articu lus Euchariſtiam in miſſa adorandam.Hinc ab apoſto lorũ tẽporibus obtinet mos,vt à ſacerdote ſacrificante eleuetur hoſtia, quò à populo ſpectetur & adoretur. Cuius antiquiſſimæ obſeruationis meminit etiam B. *Dionyſius.* Dionyſ. D.Pauli diſcipulus. Additur etiam.*Siue extra miſſam vbicunque repoſita fuerit,ſiue dum à ſacerdote in ſupplicationibus publicis circunfertur,* Non cœpiſſe primùm tempore Vrbani quarti hunc morem in eccleſia, reſeruandi Euchariſtiam,ac deferendi tum ad ægrotos,tum in publicis proceſſionibus. Teſtis eſt Eu- *Euſebius.* ſebius hiſtoriographus fideliſſimus,libr.vj.capitul.xxiiij.item epiſtol.quadam Irenæi ad Rom.Ponti.Victorem refert,vt Irenæo illo teſte quondam Roma.Pont. *A primitiua eccleſia ſacramentũ Eucha riſtia in eccleſia reſeruatũ.* epiſcopis Romam venientibus ad celebrandum paſcha xiiij. luna Martij ſolent eis obuiam procedere deferentes ſecum venerabile ſacramentum, in ſignũ pacis,ac dilectionis.Vnde mirabatur Irenæus Victorem non ſolùm non obſeruare morem hunc laudabilem,prout ſibi videbatur, prædeceſſorum ſuorum, vt etiam ſeueriſſimæ excommunicationis gladio eos ferire præſumpſerit,qui inſecuti veſtigia patrum ſuorum deinceps auderent eo tempore,nempe xiiij. luna paſcha celebrare.Idem quoque Euſebius lib.vj.eccleſiaſt.hiſtor.capit.xxxiiij.refert,vt ſacerdos qui per infirmitatem non poterat infirmum accedere, miſerit ad eius domum parum *Euchariſtiæ.D.item Hieronym. **fortaßis panem.* ad Ruſtichum monachum ſcribit,Exuperium epiſco *Hieronymus.* pum Tholoſanũ corpus domini caniſtro vimineo in-

cluſum ac ſanguinem in vitro portaſſe,adeo omnia e-
Conci. Vvormatien. rogabat pauperibus. Quoniam & hoc ipſum, vt pa-
tet in antiquiſſimis & celeberrimis concilijs vt Vvor-
matien. conſtitutum eſt. Mandatur enim vt Eucha-
riſtia in loco, ad hoc apto, conſeruetur pro infir-
mis, ne cui eorum deſit ex hoc ſœculo migranti
Honorius Papa. tam ſalubre viaticum. Honorius item tertius præci-
pit,vt in Euchariſtia in loco aliquo ad hoc deſtinato
& mundo honorificè reponatur,ac per pios & cuſto-
des cuſtodiatur.Sacerdos verò frequenter doceat ple-
bem, vt cùm in celebratione miſſarum eleuatur ho-
ſtia ſalutaris,reuerenter ſe inclinet:atque eadem faciat
cùm eadem defertur ad infirmum.Voluit quoque lu-
Nota. minaria ſemper præferri Euchariſtiæ, ad ſignificãdam
præſentiam lucis æternæ.

Poſtremò vt finem faciamus,aduerte in articulo adie
ctam particulam,denotat enim ea illationẽ ex omni-
bus præcedentibus, non quidem ſolùm ex eo, quòd
ibi realiter ſint corpus & ſanguis Chriſti, ſed in eo
etiam, quòd in hæc ſint ſanguis & vinum conuerſa,
ita vt non remaneant niſi eorum ſpecies: ſi enim re-
maneret ibi panis viniq; ſubſtantia,nõ tam congruen-
ter adorarentur ibi corpus & ſanguis Chriſti, ſubeſſet
enim nonnullũ idololatrię vitium:quia cum his ſimul
panis & vinum adorarentur. Vnde hac ratione moti
doctores,rectè demõſtrant,ſi remanſiſſet in ſacramen
to panis,viniq́ue ſubſtantia,Chriſtum non rectè dixiſ-
ſe, hoc eſt corpus meum: eſſet enim illa oratio du-
bia propter demonſtrationis incertitudinem, cùm
illis ſpeciebus fuiſſent contentæ duæ ſubſtantiæ,
verùm tunc conuenientiùs dixiſſet: Hic eſt cor-
pus meum,&c.

ARTICVLVS DECIMVS QVINTVS.

De ſub vna tantùm ſpecie communione.

NON eſt laicis ad ſalutem neceſſaria communio ſub vtraque ſpecie: iuſtiſque de cauſis ſancitum ab eccleſia eſt, vt illis ſub vna tantùm ſpecie panis ſacramentum communicetur, in quo carnem & ſanguinem atque ita totum Chriſtum ſub ſpecie vna ſumunt.

QVEMADMODVM duo præcedentes articuli tractârunt de ſubſtantia huius ſacramenti: ita duo poſteriores de eiuſdem vſu quid credendum ſit, tradunt. Primus quidem articulus tradit eius vſum, inquantum eſt ſacramentum, qui verò ſubiungitur, vſum eiuſdem ſacramẽti prout eſt, ſacrificium complectitur. In hoc articulo tres ſunt partes: quarum quælibet controuertitur inter doctores catholicos & hæreticos: reliqua quæ circa hunc articulum moueri poſſunt, aut vtrinque probabiliter diſputãtur, à catholicis doctoribus, vno quoque quod ſibi probabilius videtur defendente, aut talia ſunt, vt noſtro ſœculo nullam habeant controuerſiam. Prima pars articuli eſt. Laicis non eſt neceſſaria ad ſalutem communio ſub vtraque ſpecie. Vbi in primis aduerte, non aſſeri, nullam eſſe neceſſariam commu-

nem ſub vtraq; ſpecie, verùm eam non eſſe neceſſariã laicis, ſub quibus etiam cõprehendẽdi ſunt ſacerdotes non celebrantes, ſed more laicorum communicantes. Ideo autem adducta eſt illa reſtrictio, quoniam ſacerdotibus celebrantibus neceſſaria eſt communio ſub vtraque ſpecie: quanquam non vſquequaque certum ſit, an ex ſolo iure humano, an etiam ex iure

Adrianus Papa. diuino, ſit hæc neceſſitas. Sanctiſſimo Adriano viſum eſt ex iure poſitiuo, iure humano ſacerdotem celebrantem teneri ad conſecrationem & ſubſumptionem vtriuſque ſpeciei in communione, qua inquirit, An cibus & potus impedimentum præſtent communioni. Præceptum autem eccleſiæ eſt in cap. Comperimus, de conſecr. diſt. ij. Nobis tamen probabilior videtur ſententia & aliorum, qui tradunt ſacerdotes vt conſecrare atque offerre, ita & poſt cõſecrationem ſumere debere ex præcepto diuino integrum ſacramentum ſub vtraque ſpecie. Id enim ſcripturis videtur conformius & definitioni pij concilij Toletani, quæ habetur cap. iiij. eius concilij, & allegatur de conſecratione diſtinct. ij. capitul. relatum. Variè quoque à doctoribus diſputatur, quo iure neceſſaria ſit, præſertim adultis cõmunio. D. Tho. retractans in ſumma ſententiam, quam in ſcripto ſuo defenderat, & poſt Adrian. eandem ſententiam tuetur, quę nobis veriſimilis videtur, quòd ſcilicet diuino iure tenentur:

Conci. Later. quod etiam patet ex definitione concilij Lateranenſis vbi ſicut confeſſionis, ita & communionis tempus determinatur: vbi videtur eccleſia ſupponere vtrunque ſacramentum ad ſalutem eſſe neceſſarium. Huius acerrimus inquiſitor ac propugnator eſt D. Ioan-

Roffen. nes Epiſcopus Roffenſis: Alia quoque à nonnullis mo

uetur

uetur quæſtio, An liceat paruulis miniſtrare Euchariſtiam, & an illis miniſtrata proſit, an verò vtrumque rapugnet ſcripturis. Rurſus, an non repugnet ſcripturis tradere laicis Euchariſtiam ſub vtraque ſpecie: id enim docere conantur, Caieta. Roffen. & Pigius. Verùm hæ quæſtiones, & ſi quæ ſunt aliæ, noſtro inſtituto ſunt impertinentes, cùm neque fidei officiant, neq; ex ſcripturis ſacris, neque ex determinatione eccleſiæ certò conſtet, quid de eis ſit ſentiendum. His igitur omiſſis, aggrediamur probationem primæ partis articuli, in qua dicitur, Communionem ſub vtraque ſpecie non eſſe neceſſariam laicis. Quod ſic probatur, quoniam neque ex ipſa inſtitutione ſacramenti à Chriſto facta, neque ex eius diſpenſatione, (quanquam in vtroque horum in vtraque ſpecie vſus fuerit Chriſtus) neque demum ex præcepto aliquo ſiue ante, ſiue poſt inſtitutionem huius ſacramẽti, data à Chriſto poteſt colligi hæc neceſſitas, quemadmodum liquidius mox fiet ex ſolutione argumentorum, quæ ex his capitibus ſumuntur. Chriſtus nanque in vltima cœna prout concorditer referunt Euangeliſtæ: Matt. Marc. & Luc. duntaxat inſtituit hoc ſacramẽtum Apoſtolis, præſentibus diſpenſauit, & eis poteſtatem conſecrandi contulit: dum ſubiunxit. Hoc facite in meam commemorationem, quemadmodum concorditer illa interpretantur omnes patres Cyprianus, Damaſcenus, Hilarius, Ambroſius & reliqui. Pręter materiam igitur & formam huius ſacramenti, & miniſtrorum inſtitutionem nihil reperies. Cœnantibus autem eis (videlicet Apoſtolis) accepit Ieſus panem, benedixit ac fregit, deditque diſcipulis ſuis dicens. Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum: Addit Luc. quod ſubſti

Caietanus. *Pigius.*

Cõmunio ſub vtraq; ſpecie non eſt laicis neceſſaria.

tuerat Matt. Hoc facite in meam cõmemorationem. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens. Bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis meus noui & æterni teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. His paucis verbis complexi ſunt tres Euangeliſtę totum hoc ſacroſanctum myſterium venerabilis Euchariſtiæ. In quibus, quæſo, quid aliud habes, quàm inſtitutionem huius ſacramenti, per determinationem ſcilicet panis & vini pro materiæ & formæ diſpenſatione eiuſdem à domino facta Apoſtolis, & collatione virtutis ad idem faciendũ, quod Chriſtus ipſe prior fecerat? & quæcunque tandem præter hæc tria ibi continerentur, hoc tantùm euidentiſſimũ eſt, totum ſermonem ad ipſos duntaxat apoſtolos dirigi. Neque quicquam obſtat, quòd nota vniuerſalitatis vtitur: dum porrecto calice dicit, Bibite ex hoc omnes: nam & eo modo inferiùs dicit, Omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte. Ibi conſtat eum loqui de ſolis tantummodo apoſtolis. Vnde & ipſos ab alijs palàm diſtinguit, mox ſubijciens. Hic eſt calix ſanguinis mei, qui pro vobis, & pro multis effundetur. Vnde hinc nihil colligi poteſt de communione populi, niſi hoc duntaxat, quòd apoſtoli, quibus in hoc miniſterio ſuccedunt ſacerdotes, poteſtatem acceperunt, non ſolùm conſecrandi & ſumendi, verùm etiam alijs diſpenſandi hoc ſacramentum. Certo autem ſtudio de reliquis queꝟſum huius ſacramenti concernũt, dominus nihil diſpoſuit, quòd cùm ſua decreta non poſſint fieri à quoquam irrita, videret tamen hac in re omnimodã vniformitatem non expedire, verùm pro varietate locorum, temporum & perſonarum varietatem in vſu eſſe debere, quam totam rem voluit committere pruden.

Antipophora.

dentiæ & diſcretioni eorum, quos huic ſuæ menſæ prefecit miniſtros:queȧdmodum pulchrè tradit Auguſtinus,in Epiſtola ad Cauſulanum, ſcribens aduerſus quoſdam,qui nimium ad amuſſim vrgentes factũ dominicum nolebant, nõ niſi pranſis aut cœnatis administrari hoc ſacramentum, quoniam ille cœnatis Apoſtolis adminiſtraſſet. Neq; quia dominus(inquit) poſt cibos diſcipulis dedit,iccirco pranſi aut cœnati fideles ad illud debent conuenire. Et paucis interpoſitis.Nam ſi ille hoc monuiſſet,vt poſt cibos ſumeretur, credo quòd illum morem nemo immutaſſet:ideoque non præcepit,quo deinceps ordine ſumeretur, vt Apoſtolis,per quos diſpoſiturus erat eccleſias,hunc ordinem ſeruaret.Hæc ille.Vnde ex hac authoritate ſibi à domino conceſſa legimus Apoſtolum Paulum quidem diſpoſuiſſe apud Corinth. velut conuenirent in vnum dominicam cœnam manducaturi: quodque in eo loco à communibus cibis abſtinerent, quòd quiſque ſe primùm probet, & diligenter diſcutiat conſcientiam,& ſic de pane illo comedat, & calice bibat. Præter hæc indicat pleraque reſtare,quæ ſe diſpo ſiturum pollicetur,vbi ad eos venerit.Cætera(inquit)cùm venero, diſponam. Sicut igitur circa tempus, locum, perſonas,ita & circa ſpecies ſacramentales ſub quibus ſumi conueniret Euchariſtiam: diſponendi authoritas commiſſa eſt Apoſtolis,vt eorum ſucceſſoribus.Vnde & ipſorum Apoſtolorum temporibus varium fuiſſe vſum comperimus in primitiua eccleſia. Imò & ipſe dominus qui in vtraque ſpecie inſtituerat ſacramentum,legitur communionem corporis & ſanguinis ſui celebraſſe poſteà ſub ſola ſpecie panis,dum in fractione panis agnitus eſt à diſcipulis in Emaus, Luc. xxiiij.

Auguſtinus. Chryſoſtomus Theophylactus.

quem locum Aug.de conſenſu euangeliſtarum, item Chryſoſt.& Theophylac.in ſuis commẽtarijs circa illum locum interpretantur de ſacramento euchariſtiæ ibi confecto à domino,& diſcipulis porrecto:quod ſatis probabile fiet,ſi verba illa quæ hoc loco à domino dicuntur, conferantur cum verbis inſtitutionis huius ſacramenti:ipſi quoque fideles, qui erant in Hieruſalem laudantur,quòd perſeuerabant in doctrina Apoſtolorum,& communicatione fractionis panis:vbi vides ſolius panis mentionem fieri.Vetuſtiſſimi quoque patres Ignatius,Clemens, & alij multis locis leguntur ſolius panis mentionem facere,non autem calicis, aut vini. Ad hæc Ambro. Hierony. Benedictus morituri communicauerunt ſolùm ſub ſpecie panis. Et D.Ambro.loquens de communione Laicorum lib. de ſacra. non meminit niſi panis.D.quoq; Greg.li.dialog. refert de S.Agapito, quomodo mutum & claudum porrectione dominici corporis ſanauit, nulla vini habita mentione.In vetuſtiſſimis quoq; cõcilij Niceno, Sardicen. & Agathen. vbi ſermo eſt de hoc ſacramento, nulla inducitur mentio vini, ſed duntaxat panis, aut corporis Chriſti,vel laicè communionis, quam certè aliam non poſſis intelligere, niſi quæ ſub altera duntaxat fit ſpecie,videlicet panis. Nam cur eam quæ ſub vtraque fit ſpecie laicam appelles, vt quæ communis ſit etiam ſacerdotibus?Non tamen volumus diffiteri, quin olim in quibuſdam eccleſijs fuerit etiam recepta ſub vtraque ſpecie:quemadmodum in Epiſtol.ad Corinth. videri poteſt in loco priùs citato cap.ſcilicet xj. prioris Epiſt. Quam quidem cõſuetudinem obtinuiſſe tempore B.Cypriani liquet ex eiuſdem ſcriptis, imò vſq; ad tempora S.Thomę,videtur adhuc in quibuſdã

Ambroſius. Hieronymus. Benedictus. Gregorius.

eccle

eccleſijs ſic fuiſſe communicatū: verùm conſuetudo cōmunicandi ſub altera tantùm ſpecie fuit multò magis recepta, nō quidē ex vlla inſtitutione ſynodali, aut eccleſiaſticæ Hierarchiæ præſidis Rom. Pontif. donec per Ioannē Huſſitam, & Hieronymū Pragenſem primùm reuocaretur in contentionē, & deinde dānaretur ab eis, veluti euangelio Chriſti & obſeruantiæ primitiuæ eccleſiæ cōtraria, vt neceſſum fuit eādē rem in cōcilio generali proponi, diſcuti, & definiri. Re igitur diligentiſſimè agitata, definiuit concilium Conſtant. aduerſus præfatos doctores, cōſuetudinē eiuſmodi cōmunicandi laicis ſub altera tantùm ſpecie panis. eſſe licitam, decentē, & rationabilē, nec mutandā, ſed obſeruandam diſtrictè, dānans eos vt hæreticos, qui hominum cōſuetudinē impugnare pergerēt, & damnarent vt euāgelio Chriſti contrariā: & ſacerdotibus ſub anathemate interdixit, ne præter eandem iam apud ſe receptam conſuetudinē populū ſub vtraq; ſpecie cōmunicare auderent. Vide ſeſſionem xiij. eius concilij, vbi etiam hoc aduertendum, quòd dicat conſuetudinem habere ab eccleſia & ſanctis patribus rationabiliter introductā, & diutiſſimè obſeruatā, habendā pro lege, quā nō liceat reprobare, aut ſine eccleſiæ authoritate pro libito mutare: ita vt excōmunicet omnes ſacerdotes hoc decretū excedētes: ex quo colligitur, nō ſolùm dānari hæreſeos, qui hanc cōſuetudinem damnarent, verùm etiam ſchiſmatis crimine, quicunq;, deinceps attentauerit cōmunicare ſub vtraq; ſpecie, ſi id tāquàm licitū defendere conetur. Nam nō ſolùm cōſuetudo ibi approbatur, verùm cōfirmatur, & ei deinceps ius legis tribuitur, quam priùs fortaſſis nō habebat. Vnde concilium Baſilien. ſeſſi. iij. Laudabilis con-

Ioānes Huſſita.
Hieronymus Pragen.
Conciliū Cōſtantien.
Concilium Baſilien.

ſuetudo communicãdi laicum populum ſub vna ſpecie ab eccleſia & ſanctis patribus rationabiliter introducta, & hactenus diutiſſimè obſeruata à doctoribus diuinę legis, ſacrarum ſcripturarum atque Canonum, iam à longo tempore commendata pro lege habenda eſt, nec alicui licitum eam reprobare, aut ſine authoritate eccleſiæ ipſam reprobare, aut immutare.

Nunc paucis reſtant diluenda argumenta aduerſariorum, non ſolùm nobis verùm & patri ſuo Luthero in multis aduerſantur. Nam ille confitetur nõ eſſe neceſſarium laicis ſub vtraque ſpecie communicare, verùm cuiuſque arbitrio relinquendum docet, vt quam velit partem ſumat. Argumentatur igitur Martinus Bucerus, primò hanc poſitionem aduerſari palàm pręcepto Chriſti: cùm ille præceperit vtranque ſpeciem ſumi, & diſpenſari, dicens non ſolùm, accipite & manducate, ſed etiam accipite & bibite. Et rurſus. Hoc facite in meam commemorationem: hoc (inquiens) quod facio, hoc facere vos iubeo, atque ipſe vtrumq; & conſecrârat, & porrexerat. Ad hæc non ſolùm præcepto, verùm etiam inſtitutioni Chriſti repugnat, tam communicare, quàm diſpenſare hoc ſacramentum, ſub altera tantùm ſpecie: etiã ſi Angelus de cælo aliud euangelizet, omnino non ſit recipiendum: quare neque hominum concilia audienda contra tam apertum domini præceptum, tanque manifeſtam eius inſtitutionem. Remittit deinde Bucerus pro confirmatione ſui argumenti, ad Cyprian. in Epiſtol. iij. ij. lib. his addunt ita adhuc vſurpari apud Gręcos, & olim etiam apud Latinos eundem vſum obtinuiſſe teſtimonijs confirmant. Ioannes ille Huſſita, & Hieronymus Pragen. apparentius aduerſus nos ex ipſis domini verbis

Argumentũ Buceri.

arg

argumentum proferunt. Niſi(inquit) manducaueritis carnem filij hominis,& biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Si vita negatur non bibentibus Chriſti ſanguinem, æquè vt nō manducantibus eius carnem, vtrumque neceſſitatis eſt edere & bibere. Editur autem eius caro, & bibitur eius ſanguis ſub ſpeciebus panis & vini: vtramque ergo ſpeciem communicare neceſſitatis eſt. Quanquam autem argumentum iſtud plus habeat veriſimilitudinis, quàm ea quæ proponit Bucerus, tamen quàm nihil præ argumēto Buceri roboris habeat, mox oſtēdemus. Principiò igitur ad argumenta Buceri non improbabiliter reſponderi poſſet. Primùm verba illa domini Saluatoris non præcipiendi animo dicta, verùm exhortandi potiùs,& imitandi ad hoc ſaluberrimum ſacramentū. *Argumentū Ioannis Hus.*

Secundò nihilominus ſi cui non placet hoc effugium, dicimus etiā quòd ſi præcipiendi vim in verbis agnoſcas, nihil tamen officere concluſioni noſtræ, cùm nō ad omnes promiſcuè, verùm ad ſolos ſacerdotes ex ipſo textu,& textus circunſtantijs, manifeſtum ſit: ipſis nanque duodecim Apoſtolis,& in ijs reliquis ſacerdotibus dominum locutum, ipſa textus ſeries palàm demonſtrat, alioquin enim & laicis cōcedas oportet cōceſſam facultatem conſecrandi, offerendi, & diſpenſandi corpus & ſanguinem Chriſti, cum ijs ipſis quibus porrigit ſacramentum D. Accipite & comedite,& bibite: etiam dicit, hoc facite in meā, hoc videlicet, quod ego facio. Nō poteſt ergo ex iſto loco vllo modo colligi illorū intentio, non magis quàm hinc abſurdè colligere quis tentaret, laicos debere cōſecrare, aut diſpēſare corpus & ſanguinem domini. Verùm ſi quæ neceſſitas precepti ſtatuatur, ea nō niſi ſacerdotes arcta- *Solutio.*

re cenſenda eſt, dum hoc ſacroſanctum myſterium celebrant. Vt interim omittamus, quòd non citra iuſtiſſimam rationem ſic temperauerit ſermonem ſuum ſpiritus ſanctus, vt non quemadmodum poſt panem ſacratum, porrectum Apoſtolis à domino, & ſumptũ ab eis, ſubiũxit dominus. Hoc facite &c. ita etiam poſt vinum conſecratum porrectum à domino, & ſumptũ ab eis, mox ſubiecerit: Hoc facite in meam cõmemorationem: verùm conditionem adiecit referente Apoſtolo Paulo (inquiens) Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis, fortaſſis innuere volens, etiam ipſis licere, quandoque abſtinere à ſanguine, veluti dum more cæterorum non celebrantes communicant. Vnde Ambr. Hierony. Euſeb. & alijs patribus quamplurimis migraturis ex hoc ſœculo nõ legimus, niſi corpus domini ſub panis ſpeciebus porrectum.

Aliud effugium. Ad hæc non eſt contemnendus quorundam intellectus, qui in illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, non intelligunt præcipi vllum opus abſolutè, ſed duntaxat relationem operis ad memoriam ſiue annũciationem paſſionis & mortis domini, iuxta illud Apoſtoli. Hæc quotieſcunque feceritis, mortem domini annunciabitis, donec veniat. Vnde etiam dicta omnibus hæc verba in nullo aduerſarentur noſtræ & catholicæ poſitioni. Et ipſa eccleſia atteſtari videtur huic ſententiæ verborum domini: vtens eis in miſſa, vbi explicatur præcipi non opus ipſum, ſed ordinationem operis in ſui memoriã. Ex his igitur manifeſtum euadit, quàm omni robore deſtruatur argumentum fundatum ſuper præcepto domini: cùm nullum tale pręceptum extet in verbis domini, quale ipſis affingit Bucerus, vt ex dictis liquet.

Solutio ſecundi. Ad ſecundum argumentũ ſumptũ ex ipſa inſtitutione, hoc ſacramentũ ſub vtraq; ſpecie

ſpecie. Violari autem inſtitutio domini ſine grādi crimine nō poteſt:igitur quiſquis cōmunicās tenetur ſumere ſub vtraq; ſpecie. Dicitur in primis dominū ideo vſum vtraq; ſpecie:quoniā ita cōueniebat,vt ſacramētū in ſui integritate inſtitueret,cui inſtituēdo tūc potiſſimū operā dabat,quatenus inſtitueret eos, quib⁹ incūbebat pro ſalute populi hoc ſacrificiū in odorē ſuauiſſimū Deo offerre ad placādū eum,& cōciliādā eius beneuolētiā hominib⁹. Ad argumētū igitur Buceri reſpōdendū eſt, inſtitutionē ſacramenti nō habere ex ſe, ꝙ quēq; obliget ad ſui ſuſceptionē: alioquin enim omnes ad omniū ſacramentorū ſuſceptionē obligarētur. Secundò ꝙ quēadmodū priùs dictū eſt,ſufficit ſeruari iſtud inſtitutū ab eis,ad quos ſermo domini dirigebatur,puta ab apoſtolis & ſacerdotibus eorū in hoc munere ſacerdotali ſucceſſorib⁹,cōtinuè à domino miniſtri ordinantur,ad cōſecrādū,offerēdū, & alijs diſpēſandū hoc ſacramētū. At dices,fortè in verbo illo(hoc facite in meā cōmemorationē) cùm ꝑcipiatur id fieri, quod dominus fecit, & dominus ſub vtraq; ſpecie diſtribuit:igitur& ſacerdotes debēt diſtribuere ſub vtraque ſpecie. Ad hoc reſpōdetur, ꝙ cùm ꝓnomē hoc,ſit *Antipophora* demōſtratiuū ſubſtantiæ, nō autē qualitatis aut modi: ſacerdos porrigēs corpus & ſanguinē domini, id ipm facere dicitur,qđ fecit domin⁹,quāquā nō eūdē prorſus in faciēdo obſeruet modū. Nō enim ait dominus, Facite eodē modo,quo ego facio : alioquin enim eadē ratione,circunſtantiā loci,tēporis,& perſonarū,& alia huiuſmodi vrgere poteris:qđ abſurdiſſimū fuerit:verū ait domin⁹:hoc facite in meā cōmemorationē. Deinde nec hęc verba abſolutè ꝑcipiunt opus:alioqui enim qs nō poſſet celebrare,niſi ſimul alijs hoc ſacramētū diſpēſaret:qđ quāq̄ nō ꝓ abſurdo habeāt aduerſarij:vt qb⁹

nihil penè abſurdum eſt(niſi quod veriſſimum) conſtat repugnare receptæ obſeruationi per vniuerſam eccleſiam catholicam. Verùm, ſicut ſuprà diximus, præcipiunt ordinem operis ad finem, quem explicat dominus, vt ſint videlicet in ſuæ paſſionis & mortis memoriam. Imò neque propriè vllum præceptum cõtinent, verùm inſtitutoria ſunt celebrationis ſacroſanctæ euchariſtiæ in eccleſia, & ſimul collatiua poteſtatis ſacerdotalis iuxta irrefragabilem veterum ſimul ac doctorum ſanctorum interpretationem. Cypri. Chryſoſt. Hila. &c. Sic habet Cyprian. in Epiſtola ad quam nos remittit Bucerus, vt in qua ſe offert promptè quod in ipſum retorqueamus, viciſſim & eum monentes, vt eam iteratò legat, videat, & ni talpa cæcior ſit veritatem, quam impugnat, inſpiciat, intelligat, agnoſcat, & ad veritatis ſententiam, à qua tam multos abducit, tãdem redeat. Si in ſacrificio, quod Chriſtus eſt (inquit) non niſi Chriſtus ſequendus eſt, vtique id nos obaudire, & facere oportet quod Chriſtus fecit, & quod faciendum mandauit. Et paucis, quòd ſi nec minima de mandatis dominicis licet ſoluere, quantò magis magna tam grandia, tam idipſum dominicæ paſſionis & noſtre redemptionis pertinentia fas non eſt infringere, aut in aliud quàm diuinitus inſtitutũ ſit, humana traditione? Nam ſi Ieſus Chriſtus ipſe eſt ſummus ſacerdos Dei patris, & ſacrificium Deo patri, ipſe primus obtulit: & hoc fieri in ſuam commemorationem præcepit. Vtique ille ſacerdos vice Chriſti verè fungitur, qui id quod Chriſtus fecit, imitatur, & ſacrificium verum & plenum tunc offert Deo patri, ſi ſic incipiat offerre, ſecundum quod ipſum Chriſtum videat obtuliſſe. Vides vt iuxta Cyprianum hoc facere

Cyprianus.

ſit potiſſiùm offerre,non manducare, bibere aut diſpenſare. Vnde manifeſtū eſt non niſi ad ſacerdotes pertinere hoc facere. Et paulòpòſt: aduerte quomodo ſecundum eundē Cyprianum poſſumus propter Chriſtum ſanguinem fundere,qui ſanguinem Chriſti erubeſcimus bibere:vbi videtur reprehendere, ſi quis nō bibat ſanguinem domini. Verùm ex ſequentis partis declaratione manifeſtum fiet,quòd etiam ſumēs duntaxat alteram ſpeciem:vt corpus ita & ſanguinem ſumit,quamuis non ſub propria ſpecie. Deinde cùm de ſanguine ſub ſpecie vini loquitur Cyprianus, aduerte eum tota illa epiſtol. de ſacerdotibus offerentibus loqui,non autem populo communicante. Rectiùs citaſſet Cyprianum Bucerus in alijs pleriſque locis, vbi ſatis apertè innuere videtur, ſuo tempore etiam porrectum calicem laicis,cui non multùm refragamur. Varius enim fuit communicandi ritus,in quibuſdam particularibus eccleſijs,quibuſdam retinentibus vtranque ſpeciem, etiam vſque ad ipſum conciliū Conſtantien. quanquàm (ſicut liquet ex verbis concilij tam Conſtantien. quàm Baſilien.)fortior fuerit conſuetudo, & immobiliùs obſeruata, de communione ſub altera tātùm ſpecie,& in ijs ipſis locis in quibus paſſim communicabatur ſub vtraque ſpecie: tamen hoc videtur obſeruatum,vt morituris non niſi altera ſpecies daretur:vt liquet ex concilijs antiquiſſimis, quæ ſuprà induximus, vbi mandatur ſeruari Euchariſtia panis pro infirmis, & ad eos per ſacerdotes deferri. Vide Euſeb. eccleſ.hyſto.libr.vj.cap.xxxiiij. vbi legis de ſacerdote, qui cum propter corporis infirmitatem non potuiſſet ipſum infirmum accedere, miſit parum Euchariſtiæ ad domum infirmi. Nunc Chryſoſtom. aggrediar. *Chryſoſt.*

mur, cuius hæc ſunt verba in hom. de prodit. Iudæ. & ferè eadem in ſerm. admonitorio de Euchar. in encœnijs, Sacerdotis ore proferuntur, & Dei virtute conſecrantur: & ſicut illa vox quę dicit, Creſcite & multiplicamini, ſemel quidem dicta eſt, ſed omni tēpore ſentit effectum ad generationem, operante natura: ita & vox illa ſemel quidem dicta eſt, ſed per omnes menſas eccleſiæ vſque ad hodiernum diem, & vſque ad eius aduentum præſtat ſacrificio firmitatem. Vides vt iuxta Chryſoſt. quemadmodum illis verbis, Creſcite & multiplicamini, generandi virtutē Deus indidit naturis creatis: ita & his verbis, hoc facite in meam commemorationem, ſacerdotibus contulit ſacrificandi virtutem: quod ipſum latiùs diffuſiuſque per Damaſcen. libr. iiij. de fid. orthod. cap. xiiij. Vides igitur iuxta concordem patrum horum interpretationem illis verbis, hoc facite, accepiſſe ſacerdotes poteſtatem conſecrandi, offerendi, & ſacrificādi: id quod ipſe Chriſtus prior fecerat, eiſque faciendū deinceps commiſerat, vt eſſet, & permaneret in eccleſia iuxta Vaticinium Malachiæ, oblatio munda, quæ ipſi Deo offerretur in omni loco: vt quemadmodum in eccleſia triumphante ipſe Chriſtus ſeſe Deo patri indeſinenter offert pro nobis, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis: ita nos eundem continuò offeramus abrogatis omnibus veteribus ſacrificijs, quę non potuerunt perfectū facere. Atque ita congruum fuit, vt quò in hac oblatione, quā in ſui memoriam perpetuò in eccleſia fieri voluit, expreſſior fieret paſſionis eius & mortis memoria: celebraretur ſub vtraque ſpecie panis & vini. Hæc enim ab inuicē ſeparatā, ſignificāt ſeparationem benedicti ſanguinis Chriſti à ſanctiſſ. eius corpore. Ipſa quoque eccle-

Quid ſignificet Eucharistiæ ſacramētū ſub diuerſis ſpeciebus.

eccleſia in canone miſſæ atteſtatur huic intelligentiæ verborum domini, Statim enim cõſecrato pane & vino, & repetitis domini verbis: Hec quotieſcũq; feceritis, ſubijcit. Vnde & memores domine nos ſerui tui, ſed & plebs tua ſancta offerimus præclarè maieſtati tuæ de tuis donis ac datis, planè ſignificans, ſe intelligere oblationẽ eſſe eam, ad quam faciendam in ſui cõmemorationẽ dominus, exhortatus eſt dicens. Hoc facite in meã cõmemorationem. Mãducatio autẽ & bibitio, ſiue ſacerdotis celebrantis, ſiue populi communicãtis ſecundariũ & minus principalem in hoc myſterio obtinent locum: quemadmodũ & in ſacrificijs veteris legis, dẽpto holocauſto, oblato iam ſacrificio pars vna pectoris cedebat in vſum ſacerdotis: reliqua in eorum vſum, pro quibus fiebat oblatio, atque adeò ipſum ius naturę hoc dictat, vt qui altari deſeruit, & dę altari participet: quemadmodum pulchrè docet j. Cor. xv. Apoſtolus. Obſerua autẽ quod in vet. leg. pars præcipua & delicatiſſima cedebat in vſum ſacerdotis. Secũdò nuſq̃ legimus quicquam liquidorum ceſſiſſe in vſum populi: ex quo liquet pulchrè correſpondere figuræ figuratum, vbi ſacerdos perfectiùs ſumit ſacramẽtum quàm populus, neq; ſpeciẽ vini, ſed ſolùm panis ſpeciẽ populo diſpẽſat. Ex his igitur putamus ſatis reſponſum ad argumẽtũ factũ ex inſtitutione dominica: nã eã vt diximus, ſufficit impleri ſecundũ ſuã integritatẽ ab eis, ad quos dominus inſtituens ſermonẽ dirigebat, quoſque miniſtros mẽſæ ſuę perficiebat, neque poſſe in alios cõpetere quod dicit dominus. Hoc facite in meã cõmemorationẽ. In quo quidẽ dicto cõtinetur inſtitutio huius myſterij. Iſtud enim quis vſurpare auſus fuiſſet, niſi dominus hæc verba dixiſſet? Et quamuis ſecundariò

hoc verbum ſpectet ad diſpenſationem: tamen cum hoc non modum, ſed ſolam ſubſtantiam facti demonſtret: non arctatur ex his verbis ſacerdos ad diſpēſationem ſub vtraque ſpecie. *Alia euaſio.* Quòd ſi non arrideat hęc ſolutio: Aduerte quòd ſuprà monuimus non ſine cauſa immediatè poſtpoſita porrecto & ſumpto corpori ſub ſpecie panis, non autem ſub eadem forma poſtpoſita porrecto & ſumpto calici: & videbitis hinc potiùs ſumi argumentum contra aduerſarios, quàm quòd vllo modo ipſis faueat. Ex eo enim ſequitur præcipi diſpenſationem ſub ſpecie panis, non autem ſub ſpecie vini, quod directè militat cōtra ſententiam aduerſariorum: quanquam ſicut ſuprà diximus, non præceptum aliquod ſit hîc traditum, de certa ſpecie diſpenſandum, ſed relictum libertati miniſtrorum, vt hac de re prudenter diſponerent, prout viderent expedire pro honore domini, & ſalute fidelis populi: id quod fecerunt in concilijs generalibus. Conſtantien. & Baſilien. vt habet ſequens pars in articulo. Iuſtis de cauſis ſancitum eſt ab eccleſia, vt laicis ſub vna tātùm ſpecie panis ſacramentum communicetur. Quanquā non ibi ſanciuit concilium nouam aliquam ordinationem, quam conſuetudinem laudauit, & rationabiliter introductam aſſeruit, cauſas explicans periculorū & ſcandalorum euitationem eam inſuper roborauit, & pro lege: deinceps habendam ſtatuit, quam nō liceret reprobare, aut ſine eccleſiæ authoritate pro libito mutare, & pœnas infligendas eis qui oppoſitum attētarent, decreuit vt ſuprà patet. Quoniam autem hæc lex eſt in materia religionis: ideo eius trāſgreſſio ex ſuo genere peccatum mortale, quemadmodum ſi quis nō ieiunus ſumat hoc ſacramentum. Vides igitur vt iuſtis

cau

cauſis ab eccleſia eſt ſancitum, quod in hac ſecunda parte noſtri articuli aſſeritur. Cùm enim communio ſub vtraque ſpecie, vt præmiſſum eſt, non ſit laicis neceſſaria ad ſalutem: debeatque propter ſcandalū omitti omne quod eiuſmodi eſt: vt docet D. Hierony. ſuper cap. xvj. Matth. & ipſa recta ratio dictat, manifeſtum eſt iuſtè inhibitam eſſe communionem ſub vtraque ſpecie: vt quidem re ipſa & experientia comperiebatur vergere in deteriorem exitum, dum inde multa naſcerentur pericula, multaq; orirentur ſcandala. Pręcipuum autem periculum in hac re eſt effuſio & diſtillatio ſanguinis, qui non niſi cum maxima cautela eſt tractandus propter fluxibilitatem ſpecierum vini, ſub quibus continetur, quæ facillimè effunduntur, præſertim in tanta preſſura & multitudine communicantiū, cùm ad communicandum perſæpe veniunt homines tremuli, barbati, infirmi, paruuli, qui ſatis proinde ſanguinem ſumere non poſſunt. Quantum autē ſit peccatū ita irreligiosè effundere ſacroſanctum ſanguinē Chriſti, qui non videat? certè idipſum ſatis declarat pœnitētia ſacerdoti iniūgenda: per cuius negligentiā gutta ſanguinis in terram, vel in pallam altaris caderet: & ponitur de conſecratio. diſtinct. xx. Si per negligentiā, vbi iniungitur tali ſacerdoti quòd xl. dies pœniteat, tot diebus ieiunando & abſtinendo à celebratione. Ex qua etiam conſtitutione vehemens oritur ſuſpicio, quòd eo tempore laici nō cōmunicabant ſub ſpecie vini: alioquin videtur quod conſtitutio diſpoſuiſſet pœnitentiam per laicos etiam agendam. Alia inſuper recenſent pericula doctores paſſim de hac re ſcribentes. Alex. de Hales par. iiij. quæſt. liiij. Tho. Bonau. & poſt eos Gerſon, & qui nūc ſcribunt aduerſus Lutheranos,

Pericula Eucharistiæ ſub vtraque ſpecie adminiſtrata.

Inter quæ vnum eſt, quòd non ſine magno periculo tam hyeme quàm æſtate conſeruarentur ſpecies vini pro infirmis, quin aceſcerent, putreſcerent, & in alias ſpecies conuerterentur: & ſic frequenter darentur res, ſub quibus non eſſet ſanguis Domini reuera. Omittimus non ſine grandi periculo deferri poſſe, quod fieri oporteret propter infirmos. Sunt & alia, quę ſtudio omittimus, quoniam nos latet quid ad hęc ſimilia reſpõdere poſſint aduerſarij, quibus hęc cõſeruatio Euchariſtię illicita iudicatur. Verùm quia breuitati ſtudendũ eſt, non poſſemus ſingulis refellendis inſiſtere, tantum quod concernit directè articulũ noſtrũ tractandũ ſuſcipimus. Nũc igitur de ſcãdalis, quę inde oriri poſſent paucis dicamus. Primũ igitur quod accidit Ioan. Hus, & Hiero. Pragen. aduerſus quos conciliũ Conſtant. cõgregatũ fuit. Itẽ Bohemis, aduerſus quos cõci. Baſil. oppoſitũ determinauit, & nunc noſtri tẽporis hęreticis, ex hac occaſione putari poſſet eiuſmodi occaſionem eſſe neceſſariam ad ſalutẽ, cuius oppoſitũ demõſtrauimus.

Scandala indonata.

Error oriun

Secundò inde facilè naſceretur error circa rẽ contentã in ſacramẽto, ob diuerſitatẽ nanq; ſpecierũ manducationis & bibitionis putari poſſet ſub ſpeciebus panis ſolum corpus, & ſub ſpeciebus vini ſolum ſanguinẽ cõtineri: qui error quoſdã inuaſerat temporibus præfatorũ conciliorũ, vt videtur ex eo, quod adiecit vtrunque conciliũ, nullatenus dubitandũ, quin ſub vtraque ſpecie totus Chriſtus contineatur. Et profectus eſt hic error primùm à Neſtorio: ſed de hoc plura in poſtrema parte articuli. Tertiò circa ſacramẽti effectũ, facilè naſceretur error, quòd quis exiſtimaret, quod queadmodum in naturalibus, quoad corpus, varios effectus habent manducare & bibere: ita & in ſpiritualibus

res.

res ſe haberet,neque eundẽ fructum conſequi,qui niſi manducat corpus domini,cũ eo qui ſimul etiã ſanguinem bibit. Cùm reuera quæcunque inter hæc eſt diuerſitas, non ſit niſi per relationẽ ad ſpecies,quę diuerſimodè ſumũtur:iuxta ſpiritũ enim ſunt eadem, ſicut eſuries & ſitis:ita eodẽ modo potus & cibus,manducare & bibere:quemadmodũ pulchrè oſtẽdit D. Aug. tractans illũ locũ:Qui venit ad me,non eſuriet, & qui credit in me,non ſitiet, in Ioanne. Hæc igitur omnia euitat eccleſia, dum porrigens laicis ſolam ſpeciem panis, ſatiſque docet non eſſe vtranque ſpeciem neceſſariã, & per hoc occurrit ſufficiẽter periculis & ſcãdalis. Quinimò ſi res ita poſtulet, quamuis nõ generaliter omnibus, multis tamen, nec ſolùm laicis, verùm etiam ſacerdotibus poteſt interdicere vtranque ſpeciem:quemadmodũ de pueris & furioſis, & quibuſlibet mente captis eam feciſſe manifeſtum eſt, non tam poſitiua inſtitutione, quàm ſenſim introducta conſuetudine:cùm tamen tam ex Diony.quàm ex Cypriano manifeſtũ ſit olim etiã pueros communicâſſe. Sic alijs nõnullis,ſiue ob corporis,ſiue ob animę vitium,ſimiliter interdixit mẽſam hanc dominicã,veluti dũ degradat ſacerdotes,aut eos ab officio ſuſpendit.Interim dicitur generaliter dũ quempiam excõmunicat, ſiue ſacerdotẽ,ſiue laicum,manifeſtum eſt,quod huic menſam domini interdicit,nec vnam tantùm,ſed & vtranque inhibet. Id quoque obſeruatum eſt, & multò rigoroſiùs,quàm nunc, antiquis temporibus:quemadmodum liquet ex Dionyſio, Cypriano, Leone, & alijs patribus: quando qui graue aliquod crimen commiſerant, non ſolùm à participatione menſæ dominicæ arcebantur,verùm ne ſacris quidem myſterijs

Auguſtinus.

Eccleſia aliquibus interdicere poteſt cõmunionem ſacramenti.

adeſſe permittebantur, donec pœnitentiam ſibi iniunctam legitimè expleſſent, atque adeò rigidè & diſtrictè hoc à nonnullis epiſcopis obſeruabatur, vt etiam morituris eiuſmodi nodum peracta pœnitentia, denegaretur Euchariſtia. Eiuſmodi epiſcopos nec ipſe Cyprianus audet ob eiuſmodi factū iudicáre, tametſi ipſe hac in parte eſſet leuior, & mitigandam eccleſiaſticam diſciplinam conſuleret: qui alioqui extra eiuſmodi neceſſitatis articulos valde reprehendebat eos, qui ante peractam pœnitentiam aut abſoluerent eos, qui priùs exomologeſin fecerant ſuorum peccatorum, aut vnitatis ſacramentum diſpenſarent: aſſerens hoc neque diuinæ reuerentiæ, neque diſciplinæ eccleſiaſticæ conuenire. Vide eum in epiſtol. x. primi libri. Cùm ita res ſe habeat, vt habeant authoritatem, qui præſunt menſæ dominicæ, quoſdam prorſus arcendi, aut ſemper, aut certo tempore à tota menſa dominica, prout viderint expedire pro honore domini ſui, & ſalute fidelium. Quid mirum, ſi etiam ex eadem cauſa authoritatem habeant arcendi ab altera ſpecie ſacramentali, quando hoc & ſalus populi, & honor domini vidétur exigere. Legimus ipſos apoſtolos, quibus expreſsè mandatum erat, vt baptizarent in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, hac forma neglecta baptizâſſe in nomine Chriſti, & multam aliam variationem in ſacramentorum omnium vſu, dummodo rei ſubſtantia non omitteretur. At obijcit Lutherus. Si eccleſia poteſt tollere vnam partem huius ſacramenti, ergo & reliquorum ſacramentorum poterit, ſi ipſi ita videatur etiam partem vnā adimere. Verùm facilè reſpondetur. Primùm eccleſiam non ſuſtuliſſe vnam partem ſacramenti huius, ſed conceſſit ambas ſacerdotibus celebrantibus.

Argumentū Lutheri.

Se-

Secundò longa diuerſitas inter huius ſacramenti partes & reliquorum: ſi quidem in alijs ſingulæ partes nullam habent efficaciam,ſed duntaxat ſimul omnes. Hæc verò tantùm in vna parte continent, tantúmq; fructus conferunt quantum vtraque. Similiter ad argumentum alterum eiuſdem, quo obijcit. Si eccleſia poteſt vnam ſpeciem adimere, ergo poteſt & vtranque. Si intelligat conſequentiā quoad aliqua & particulares ſubſtantias, oſtendimus id nihil abſurdi continere, ſi verò quoad omnes, negamus conſequentiā: quoniam nulla poteſt eſſe rationabilis cauſa hoc faciendi: quemadmodum cauſæ fuerunt rationabiliſſimæ, cur ſpeciem vini ademerit: nullus autē poteſt iure ſuo priuari ſine legitima cauſa. Legimus conciliū valde approbaſſe factum cuiuſdam, qui infirmo, qui cùm per infirmitatem corpus domini deglutire non poſſet, infuderat ſanguinem domini ſub ſpeciebus vini, idq; iuſta ratione approbat: quoniam enim non congrueret infirmum ſine viatico hinc migrare, conueniebat, vt eo, quo poterat modo, ei ſuccurreretur, diligēti adhibita circunſpectione: ne vlla accideret irreuerentia circa corpus domini, quanquam an liceret nunc illud factum in ſimili caſu imitari propter prohibitionem concilij, & periculum ſcandali, non diſputo. Quòd verò obijciunt authoritatem Græcanicæ eccleſiæ, certè non in vna hac re duntaxat conſtat ipſam defeciſſe à catholica & Romana eccleſia, vt eius authoritate nihil debeat moueri catholicus: quāquàm ſi in vna hac catholica obſeruatione defeciſſet, contineri poſſet fortaſſis, dummodo conſuetudinem catholicæ eccleſiæ non damnaret, ſicut ſacrilegam, & præcepto ac inſtituto Chriſti cōtrariam. Si verò obijciat quiſpiam ob-

ſeruationem eccleſiæ Corinthiorũ, & multarũ aliarũ deinceps, quas conſtat ſub vtraq; ſpecie cõmunicaſſe, tempore D. Diony. Cyp. Chryſo. ſicut liquet ex homilia xviij. ſuper Epiſtolam ad Rom. vbi ait: nullam nunc temporis noui, ſcilicet teſta. eſſe differentiam populi à ſacerdote quo ad communionem menſæ dominicæ. Item multarum poſteriorum, quas conſtat ſine reprehenſione vtranq; ſpeciem retinuiſſe: liquet ex his quæ præmiſimus, quid ad hæc reſponderi debeat, nempe quòd quodam loco habet Aug. Vbi deeſt authoritas ſcripturarum, mos populi Dei, & inſtituta maiorũ pro lege habenda eſſe: ſic tamen vt ſi quid melius deprehendi contingat: vel per eccleſiæ definitionem determinari: id indubiè præponatur. Ad argumentũ Ioannis Hus & Pragen. quoniam nobiſcũ conueniunt aduerſarij nõ fieri in illo Ioannis mentionẽ ſacramẽtalis mãducationis, reſpondere ſuperſedendũ duximus, ad reliqua properantes. Vltima igitur pars noſtri articuli ſic habet. *Laici ſub ſolis panis ſpeciebus, carnẽ & ſanguinem, atq; ita totum Chriſtũ ſub vna ſpecie ſumunt.* Hæc pars etiam definita eſt in vtroque conciliorum prædictorum: poſtmodùm etiam in Conci. Florentino, & quamuis expreſsè non contineatur in ſcripturis, ex ijs tamen euidenter & neceſſariò deducitur. Cùm enim ſub ſpecie panis nemine refragante contineatur corpus Chriſti, & per conſequens caro eiuſdem: nemini enim dubium eſt, quin corpus carnem in primis complectatur: caro autem ſumpta in hoc ſacramento iuxta doctrinam Saluatoris apud Ioan. viuificat ſumentem, oportet vt ei coniunctus ſit ſpiritus: citra hunc enim modum non modò non viuificat, verùm nec quicquam prodeſt. Spiritus (inquit dominus) eſt qui

viuific

viuificat,caro non prodeſt quicquam:quòd ſi caro ſimul ſit cum ſpiritu,totam naturam humanam ibi adeſſe:& cùm verbum Dei ſit à natura inſeparabile, in eo nanque conſiſtit natura humana: conſequitur totum Chriſtum eſſe vbiq; in natura humana à Chriſto aſſumpta.Cùm autẽ vita non ſit ſine ſanguine, manifeſtum eſt ea neceſſitate colligi ibi eſſe ſanguinẽ quo ad vitam.Verum quidẽ eſt, quòd quemadmodũ ipſa forma ſacramentalis,qua dicitur(hoc eſt corpus meũ) duntaxat ſignificat pœnitentiam corporis Chriſti, nõ autem ſanguinis aut animę, ita etiam hanc ſolam primariò & directè efficiat, verùm per concomitantiam & ſequelam quandam, ſimul ſignificat & efficit ibi eſſe ſanguinem & animam Chriſti, & totum denique Chriſtum propter rationem iam dictam. Vnde ſi quis in triduo mortis Chriſti ijſdẽ verbis panem conſecraſſet,non effeciſſet virtute illorum verborum pœnitentiam animæ aut ſanguinis cum corpore, ſed ſolũ corpus quale erat in ſepulchro,id eſt,exangue.At nũc panem conuertit in corpus Chriſti tale quale eſt in cęlis, id eſt,vnum ſanguinem & animam ſibi vnitam.Chriſtus enim reſurgens à mortuis iam non moritur, &c. Fieri igitur non poteſt,vt corpus eius denuò mortuũ, aut ſanguinis & animæ expers, & ſi fortè non implicet contradictionẽ,vt corpus alicubi, viuũ idem eodẽ tempore ſit alibi mortuũ:tamẽ vt corpus Chriſti alibi ſit mortuũ,nõ permittit ſcriptura mox allegata. Ex eo enim manifeſtè cõſequitur, corpus Chriſti eſſe expers omnis corruptionis: quod non eſſet, ſi alicubi morti ſubiaceret.Neq; quia Philoſophica eſt & Phyſica hæc ratiocinatio,ideo irreligioſa debet haberi & indigna, quæ ad tãtam rem cõprobandã adferatur,vt aduerſa-

rij calumniantur. An neſciunt collectionis robur ex forma pendere in quacunq; demum exiſtat materia. Et quæ, quæſo, niſi hoc fatearis, vnde reſtabit via ad probandum Chriſtum habuiſſe neruos,& alia ad humani corporis integritatẽ pertinẽtia, quorum ſcriptura expreſsè non meminit? Atque de hoc, vt diximus

Concilium Florẽtinum. priùs,eſt apta definitio celeberrimi cõcilij Elorentini ſub Eugenio iiij.vbi ſic habet.Ipſorum verborum, id eſt,ſacramentalium virtute ſubſtantia panis in corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in ſanguinem cõuertuntur: ita tamen quòd totus Chriſtus continetur ſub ſpecie panis,& totus ſub ſpecie vini, ſub qualibet quoq; hoſtiæ conſecratæ parte & vini cõſecrati ſeparatione facta, totus eſt Chriſtus. Vbi aduerte circunſpectè adiectam clauſulã(ſeparatione facta)quod non lateret cõcilium inter doctores quoſdam catholicos controuerti, an ante ſeparationem hoſtiæ ſit totus Chriſtus in qualibet eius parte.Deinde etiam effectũ huius ſacramenti pulchrè exprimit, dum addit huius ſacramenti effectus,quem in anima operatur dignè ſumentis, eſt ordinatio hominis ad Chriſtum:& quia per gratiã homo Chriſto incorporatur,& mẽbris eius vnitur, cõſequens eſt,quòd per hoc ſacramentũ,in ſumentibus di-

Effectus eucharistiæ prout eſt ſacramentum. gnè gratia augeatur,omnemq; effectum,quẽ cibus & potus quoad vitam agunt corporalẽ,ſuſtentando, augendo,reparando,delectando,ſacramentũ hoc, quod vitam operatur ſpiritualẽ. In quo(inquit Vrbanus Pa-

Vrbanus Papa. pa)gratiam ſaluatoris noſtri recenſemus memoriam:à malo retrahimur,confortamur in bono, & ad virtutũ & gratiarum proficimus incrementum: & hi quidem eius fructus ſunt,prout eſt ſacramentum.Prout autem eſt ſacrificium præter hos habet, & alios fructus, qui

etiam

etiam ad alios extandũtur tam viuos quàm mortuos: prout in ſequẽti dicetur articulo. Hæretici impij omnem eius fructum tollunt:nam ſacrificium verum eſſe non agnoſcunt,operari quoq; effectus,quos diximus, per modũ cibi & potus ſpiritualis,negant, dũtaxat teſtamentum eſſe tradunt, diuinæ voluntatis erga nos, quò excitetur fides ad apprehendẽdã remiſſionẽ peccatorum, & alia ſpiritualia beneficia per Chriſtum. *Error.* Quapropter docent nullam requiri diſpoſitionem, in ſuſcipiente,niſi ſolam fidẽ miſericordiæ Dei per Chriſtum,poſſe verò accedere quiſquis hanc habet, quantunuis multis & magnis peccatis oneratus fuerit. Quòd ſi quæres, quo tempore hos effectus operentur iſta ſacroſancta ſacramenta,an tum demum quãdo ſumuntur. *Quæſtio.* Reſpondetur, quod toto tempore quo apud nos eſt ſacramentaliter, à nobis ſumendus tempore quoq; quo ſumitur, quamuis non tunc potiſſimùm,quòd tunc circa reuerentem ſumptionem corporalem animus magis occupetur, quàm circa ſpiritualem maſticationem per recordationem mortis & paſſionis eius,& immenſæ charitatis erga nos,noſtręque indignitatis & ſimilium cogitationum,& piorum deſyderiorum,qua ſuggerit ſpiritus, quibus etiam cõuenit poſt ipſam ſumptionem occupari: quoniam hic cibus eò ampliùs proficit, quo meliùs fuerit digeſtus & decoctus in ſtomacho ſpiritus noſtri. Proinde irreuerens & indecens nimiùm quorũdam mos, qui ſtatim ab hoc ſaluberrimo cibo & potu ſumptis,mox redeunt ad cogitationes & occupationes ſœculares, in quibus toti animo & corpore occupantur, non recolentes ſuſceptum beneficium, à quo nos auertat,qui ſine fine viuit & regnat. Amen.

ARTICVLVS DECIMVSSEXTVS.

De vtilitate miſſæ.

MISSAE ſacrificium ex ipſa Chriſti inſtitutione proficuum eſt, tam defunctis, quàm viuis.

PRIMO hic articulus duo ſupponit. Primum eſt, ꝙ in miſſa Chriſtus Deo patri offertur. Alterum, quòd hæc oblatio fiat pro viuis & defunctis. Vnum autem quod ex iſtis mox conſequitur, videlicet eiuſmodi oblationem prodeſſe tam viuis, quàm defunctis. Primùm igitur pro vocabulo miſſæ, pauca præmittamus. Tradunt Hæbraicę linguæ periti vocem Hebræam eſſe, & originē trahere à voce (mas) quod ſignificat communionem & volūtariam oblationem, quæ de manu offeratur aut (vt quidā volūt à voce, maſſas,) quod valet eleuare. Scriptura exod. xvj. ea voce vſa eſt, (vt author eſt Roffen.) pro oblatione. Latini præſertim recentiores deriuari volunt miſſę vocabulum, à mittendo ſiue emittēdo, quod priuſquàm celebrarentur hæc tremenda myſteria, quondam (prout refert Dionyſ.) ſolent emitti cathecumini & pœnitentes, & à conſpectu eorum arceri. Verùm vndecunq; tandem ipſa originem ducat, ea inueniuntur vſi patres antiquiſſimi, tam Gręci quàm Latini, ad eam rem ſeruandam, quam in hodiernum vſq; diem miſſæ nomen ſignificat. Quanquàm tamē interdum generalius idem nomen vſurpent pro qualibet ſpirituali oblatione: vt eſt videre in hiſtoria triparti. li. x. ca. x. xix. xxj. & apud Chryſoſt. in hom. xvij. in prin. ad Corin. & in Epi

Vocabuli miſſæ ethymologia.

Miſſæ vocabulum quandoque pro alijs quàm pro altaris oblatione accipitur.

in Epiſtola Epiphanij ad Ioannem Epiſcopũ Hieroſolymitanum. Præcipuè tamen altaris oblatio nomine miſſæ ſignificatur, præſertim apud Latinos. nam Græci vtuntur ferè nomine ſynaxis. In miſſa eſſe ſacrificiũ vſq; adeò ſemper certum ſuit, vt nũquam ſuper ea re in eccleſia Dei fuerit vlla controuerſia, vſque ad tempora Lutheri, qui primus contra concordem omnium ab initio ſibi ſuccedentium patrum ac totius eccleſiæ doctrinã, auſus eſt aſſerere, ſcribere, & docere miſſam non eſſe ſacrificium, innixus rationibus quàm minimùm apparentiæ habentibus: id quod mox per Dei gratiam euidens faciemus. Neq; id duntaxat auſus aſſerere, verùm damnare impietatis, idololatriæ, atq; horrendæ blaſphemiæ, quotquot oppoſitum ſentirẽt, vel aſſererent. Neque hac in re ſe recedere ab eccleſia catholica, verùm ab eccleſia Rom. ceu vt odioſè loquitur, Papiſtica, impia, & in Deum, ac Chriſtum Dei filiũ blaſphema, quod Chriſtum ſemel in cruce oblatũ iteratò doceat offerre. Primùm vt tantiſper ſcripturas ac patrum concordem doctrinam ſeponamus. Dic quæſo Martine, dum Chriſtum præſentem habemus in ſacramento altaris, ita quòd tu vnà nobiſcum confiteris, quid honoris patri detrahimus, quid iniuriæ irrogamus, ſi Deum patrem rogemus, vt reſpiciat in faciẽ Chriſti ſui, & in eius gratiam auertat iram ſuam à nobis, gratiam & alia beneficia, quibus indiget noſtra infirmitas, nobis concedat? Nunquid ille idem, qui patri gratiſſimus fuit in cruce pendens, in ſempiternum gratiſſimus manet, ad dexteram eius reſidẽs, minùs gratus eſt ſub ſacramento in altari latens, vt non ſit ei grata ipſius oblatio per nos facta? In te poſſumus meritò regerere, niſi nos Chriſtiana comprimeret

Temeritas Martini Lutheri.

Exclamatio in Martinum Lutherum.

modeſtia, quæ in nos congeris conuitia. Quis hanc ferat impietatem? quis ſuſtineat tantam blaſphemiam? Ad hæc quomodo nõ erit ſacrificium, vbi tam admirandum, tam ſacrum celebratur & conficitur ex pane profano Chriſti corpus fit ſacratiſſimum? vbi vitis genimen conuertitur in ſacroſanctum Chriſti ſanguinẽ? Verùm quoniam rationi nullum relinquitis locum, agè, ſcripturas conſulamus. Quid quæſo ſibi vult illud quod dominus conſecrato pane ait, hoc facite in meã cõmemorationem? quid quęſo hoc aliud, quàm facite quod ego feci, quid autem hoc, niſi conſecrate, ſacrificate, offerte? Videte Chriſti Martyrem Cyprianum, ad quem ſuperiori articulo nos prouocabatis, hunc arbitrum vnà vobiſcum libenter diligimus, huic controuerſiam quæ inter nos & vos eſt, dirimendam libenter committemus. Ad hunc cùm primi prouocaueritis, indecens fuerit recedere. Lege ergo & tu Bucere, vt iiſdem te verbis exhortemur, quibus nos ſuperiori articulo exhortatus es, glorioſum Chriſti Martyrem Cyprianum, & clarè Ieſum Chriſtum ſummum ſacerdotem Dei patris, ſacrificium Deo patri primum obtuliſſe, & hoc fieri in ſui cõmemorationẽ præcepiſſe. Sacerdotẽ autẽ vice Chriſti verè fungi, dum id quod Chriſtus verè fecit, imitatur, ſacrificium verum & plenum offerens, eccleſia Deo patri, ſecundum quod ipſum Chriſtum vidit obtuliſſe. Ipſis Cypriani verbis tibi apertam eius propoſuimus ſententiam, & ſcripturæ illius (hoc facite in meam commemorationem) interpretationem. Quid clarius dici poſſet? quid apertius pro noſtræ & catholicæ ſententiæ aduerſus tuam hæreſim, confirmatione? quin hæc legis, aut ſi legis, quin ei cedis? cur non à tua ſententia recedis, quam

Exclamatio in Bucerum.

tam

tam apertè damnari in eo cernis? Sed quid mirum, ſi Cypriano non obaudis, qui nec concordem omnium patrum ſententiam, reddentium non obſcurum, non infrequẽs, ſuper eadem hac re teſtimonium, ſurdis auribus prætcrire non erubeſcis, imò vnà cum Roman. eccleſia, cui illi ſemper inhæſerunt, ſacrilegij, impietatis, blaſphemiæque damnare, quod contra te vnum, & tuos ſequaces pauculos & nouitios ſentiunt, non pertimeſcis. Chriſtum à patre conſtitutum ſacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech teſtatur propheta Dauid, idipſum ex eo docet Paulus in epiſto. ad Hebr. ex eo volens demonſtrare abrogatam eſſe legẽ veterem, quoniam tranſlatũ eſſet ſacerdotium Aaroniticum, in ſacerdotium Chriſti: quod quidem fuit nõ ſecundũ ordinem Aaron, ſed ipſius Melchiſedech. Sacerdotium autem non eſt (vt ibid. docet Apoſtol.) ſine ſacrificio, id quod etiam ipſa rei natura manifeſtum facit. Omnis (inquit) ille Pontifex ſiue ſacerdos ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur. In ijs quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis. Oportet igitur vt Chriſtus cum ſacerdos ſit, & ſecundum ordinem Melchiſedech, quo figuræ figuratum reſpondeat: ſacrificium habeat ſimile ſacrificio ipſius Melchiſedech, quod quidem fuit in pane & vino. Nunſquam autem legitur hoc ſacrificium obtuliſſe Chriſtus, niſi in cœna nouiſſima, quando paſcha celebrauit cum diſcipulis ſuis, id quod priùs tãto deſyderio deſyderauerat. Non igitur tunc ſacramentum duntaxat corporis & ſanguinis ſui Chriſtus communicauit Apoſtolis ſuis, verùm etiam illud obtulit: quemadmodum agnus paſchalis, cui hoc ſucceſſit: nõ comedebatur modò, verùm priùs offerebatur domi-

Sacramentũ altaris ſacrificium & oblatio, cuius Ieſus Chriſtus eſt ſacerdos.

no. Quod autem ipſe tunc fecerat, deinceps per eos quos ad hoc inſtituit miniſtros fieri præcepit. Conſequitur igitur manifeſtè in miſſa ex Chriſti ordinatione eſſe verum ſacrificium,& oblationem veram corporis & ſanguinis Chriſti, ſub ſpecie huius panis & vini. Hanc collectionem facit D. Cypria. epiſtola prius allegata ex ſcriptura illa pſalmi Dauitici. De hoc eodem ſacrificio vaticinatus eſt Malachias, Ab ortu (inquiēs) ſolis, vſque ad occaſum, magnum nomen meum in gentibus eſt: & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnū eſt nomen meum in gentibus. Quænam, quæſo, eſt hæc oblatio munda, quæ in locum veterum illorum ſacrificiorum ſucceſſit, quę in omni loco offertur apud gētes? Certè ipſa cruenta Chriſti oblatio vno in loco tantùm ſemel facta eſt, nec in gentibus, ſed in Iudęa. Sacrificiū autem cordis cōtribulati nō nouo teſtamento tātùm eſt proprium, ſed etiam commune veteri, illud æquè ac nos obtulerunt omnes patres veteris legis, imò ipſi patriarchæ ante legem. Non eſt igitur alia quàm hæc ſacroſancta incruēta oblatio corporis & ſanguinis Chriſti, quæ quotidie offertur in vniuerſa eccleſia gentium. Quid enim (vt B. Aug. verbis vtar) tam mundum, pro mundandis vitijs mortaliū, quàm ſine vlla contagione mortaliū, quàm ſine vlla cōtagione carnalis cōcupiſcētię, caro nota in vtero & ex vtero virginali: & quid tam gratè à nobis offerri, & ab illo ſuſcipi poſſet, quàm caro ſacrificij noſtri, corpus effectū ſacerdotis noſtri? Nullam imaginari eſt oblationem aliā mundā, quæ per eccleſiam offeratur in omni orbis loco: quàm in Euchariſtiæ ſacramento agni immaculati Ieſu Chriſti carnem & ſanguinem. Et certè ipſa text. circunſtantia

hoc

hoc ſatis id ipſum indicat: præceſſit enim mentio panis polluti, quem illi ſacerdotes veteres offerebant. Hunc vaticinatur Propheta repudiandum à domino, & in huius locum oblationem mundam ſucceſſuram, quæ ſibi in omni loco offerretur in vniuerſa eccleſia ex gentibus congreganda. Vnde & apoſtolus in epiſtol. ad Corinth. de cœna dominica loquens, altaris & menſæ meminit Iudæorū, & Ethnicorū, vnde pro indubitato habuit, in hac eſſe oblationem & ſacrificium, prout in illis tam Ethnicorum, quàm Iudæorum menſis, primùm offerebantur, quam ſumeretur quicquam, aut edendū proponeretur. Secunda pars articuli docet hoc ſacrificium rectè offerri pro viuis atque defunctis: id quod ex priori conſequi quiſque facilè perſpexerit. Si enim Euchariſtia ſacrificium ſit nouæ legis, ſuccedens omnibus illis veteribus ſacrificijs, velut corpus vmbris, & exemplar figuris: palàm colligitur non minorem habere efficaciam, quàm habuerunt illa vetera ſacrificia: atqui hæc pro viuis & defunctis offerebantur. De viuis notius eſt, quàm vt probari debeat. Pro defunctis autem etiam oblationes factas liquet ex libris Machabæ. vbi legimus, Iudam virum religioſum miſiſſe duodecim milia drachmas argenti Hieroſolymam pro ſacrificijs mortuorum. Iſtud tradiderunt ab initio eccleſiæ vſque ad noſtra tempora concorditer, & conſtanter vniuerſi patres & doctores catholici, quorum ſentētias copioſè protulerūt, qui de hac re ſcripſerunt aduerſus Lutheranos Roffen. Eckius, Pigius: quapropter his recenſendis ſuperſedemus. Ex his ſequitur tertia pars articuli prodeſſe, ſcilicet iſtud ſacrificium vtriſque. Ad quid enim alioquin pro ipſis offerretur?

Quòd ſi ſcripturam requiris, qua hęc probētur, quanquam ſcripturæ authoritate non careant, quod traditum tenet vniuerſitas eccleſiæ, cui tam magnificum ipſæ ſcripturę prębent teſtimonium: tamen non deſtituimur etiam à ſcriptura petitis, probationibus. Certè ipſa ſaluatoris verba, quibus hoc ſacrificium inſtituit id palàm demonſtrāt: quod docemus, cùm abſolutè & ſine vlla reſtrictione dixit Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus omnibus ſacerdotibus: ſcilicet, hoc facite in meam commemorationem, hoc ipſo quòd non determinauit perſonas, pro quibus hoc fieret, neque cauſas ob quas ſacrificium fieret, liberum reliquit offerentibus applicationem eius ad perſonas quaſlibet & cauſas: cùm ex natura tale ſit ſacrificium, vt pro omnibus & ad omnia ſit efficax, vtpote idem exiſtens, cum eo quod ſemel pro omnibus oblatum eſt in cruce. Iſtud probè intelligens catholica eccleſia optima interpres verborũ ſponſi, mox poſt illa Chriſti verba. Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis, factura quod ſibi à domino mandatum intelligit, mox ſubnectit. Vnde & memores domine nos ſerui, ſed & plebs tua ſancta, eiuſdem Ieſu filij tui offerimus &c. Et deinde pergit applicare, tam viuis quàm defunctis. Ex eodem quoque fundamento euellitur error aduèrſariorum circa miſſas priuatas: quas dicunt aduerſari inſtituto Chriſti: quia enim dixit Chriſtus abſolutè & indeterminatè, hoc facite, non autem hoc facite alijs pręſentibus & communicantibus: ſequitur totum genus omnium rerum, quæ ſunt extra ſubſtantiam facti relictum eſſe diſpoſitioni miniſtrorum. Et hinc factum eſt, vt magna circa hæc acciderit varietas, pro diuerſitate temporum, locorum, & perſonarũ, miniſtris hoc

ſem

ſemper ſolicitè curãtibus, vt hoc ſacroſanctum myſte rium celebraretur quàm fieri poſſet decentiſſimè pro honore domini, & ſalute populi chriſtiani. Et ſatis videri poſſet ex verbis Canonis obſeruatum fuiſſe hunc morem, vt ferè cũ ſacerdote ſacrificante populus com municaret. Dicitur enim in canone, vt quotquot ex hac altaris participatione ſacroſanctum corpus Chriſti & ſanguinem ſumpſerimus, &c. Verùm refrigeſcente charitate diſceſſum eſt ab ea conſuetudine: neque vlla ratio exigit, vt propter tepiditatẽ populi, aut Deus honore ſuo ſpolietur, aut ſacerdotes ab hoc tã ſalutifero alimento & medicamẽto abſtineant: vt inte rim omittamus innumeros fructus, qui ex hoc ſacrificio ad totam eccleſiam & ſingulariter ad eos deriuan tur, pro quibus ſpecialiter offertur, ſiue viui ij fuerint, ſiue mortui: quos nimirum iniquum foret his ſuffragijs priuari, quia non eſſet plebs parata communicare cum ſacerdote. Qui autem ſint hi, multiplices fructus colligere licebit cogitanti multiplicitatem effectuum, ad quos ordinabantur ſacrifici veter. leg. & quantum in dignitate, valore & efficacia, hoc omnia illa, quibus ſuccedit (vt xiiij. de trinit. aut de ciuit. Dei. capit. xiiij. tradit B. Auguſt.) ſuperet. Fuerunt in genere tripartita veteris legis ſacrificia, holocauſtomata, hoſtiæ pacificæ, & hoſtiæ expiatoriæ. Iſtud vnicum ſacrificium omnium illorum virtutem tantò in ſe continet eminentiùs, quantò corpus vmbræ præeminet. Valet igitur hoc ſacrificium ad gratiarum actionem, ad peccatorum remiſſionem, ad auertendum Dei iram, ad conciliandum nobis eius beneuolentiam, beneficia impetranda tam ſpiritualia, quàm corporalia, tam nobis ipſis quàm alijs: tam viuis,

Homi. 69. Homiliarũ quas tranſtulit Brixianus. 6. Itẽ. Aug. li. de cura pro mortuis. Et li. 9. confeſſ.

quàm defunctis, breuiter ad omnia obtinenda, quæcunque ſanctè à Deo per Chriſtũ deſyderari poſſunt. Nunc paucis argumenta aduerſariorum attingamus. Ad id in primis, quod obijciunt, nullum aliud ſacramentum prodeſſe, niſi ſuſcipienti, quare nec iſtud alijs quàm ſumentibus prodeſſe poterit. Reſpondetur Euchariſtiam non tantùm eſſe ſacramentum: hac enim ratione, ſicut reliqua omnia ſolùm ſuſcipienti prodeſt, verùm inſuper eſt ſacrificium, vt ex dictis liquet, & hac ratione etiam alijs omnibus prodeſt, pro quibus offertur. Ad ſecundum argumentum ſumptũ ex epiſt. ad Hebr. in qua dicitur, Chriſtus vnica ſua oblatione ſemel in cruce facta conſummaſſe in æternum ſanctificatos: rurſus, non ſæpiùs ſeipſum afferre, proinde impium eſſe & blaſphemum, iteratò Chriſtum afferre. Reſpondetur quòd quemadmodum huic Apoſtoli ſententiæ non repugnat, quòd ipſe Chriſtus ſe quotidie offerat patri, ſedens ad dexteram eius, in cælis, apparens vultui eius, & pro nobis interpellans: ita nihil prorſus obſtat, quòd quotidie eum offerimus in terris, neque in hoc quicquam derogamus ſufficientiæ oblationis ſemel in cruce factæ per mortem: quoniam ex hac fatemur deriuari omnem virtutem & efficaciã, quæ eſt in iſto delicato & incruento ſacrificio: & cùm in cætera ſacramenta omnia virtutem ex illo ſacrificio fateamur dimanaſſe, vt iam per ipſa ſanctificemur, & multiplices gratiæ effectus conſequamur. Certè non timet Apoſtolus quicquam derogare hoſtiæ Chriſti in cruce oblatæ, dum communionem & beneficentiam in eadem epiſtola appellat hoſtias: & tales hoſtias, quibus promereatur Deus. Quid ergo formidamus Chri-

Quid precor mirũ, ſi de hoc ſacratiſſimo ſacramento idẽ fateamur?

Chriſto & Chriſti morti iniuriari? per hoc, quod confi temur altaris ſacrificio peccata expiari: iram Dei auer ti, Deum placari, homines per illud gratiam Dei promereri. Quòd autem ait Apoſtolus Chriſtum non ſæpiùs ſeipſum offerre, & ſemel oblatum eſſe, manifeſtum eſt ipſum intelligere, de hoſtia cruenta & oblatione, quæ ſemel in cruce facta eſt per mortem. Nam ex iterata oblatione infert conſequens fore, quòd oportuiſſet Chriſtum ſæpiùs pati ab origine mundi: quod certè non eſt, niſi de cruanta oblatione loquaris: neque enim patitur Chriſtus, dum à ſacerdote in altari iteratò offertur. Vide Chryſoſto. homil. xvij. in epiſto lam ad Hebr. & D. Ambr. Ne putes confectam hanc à nobis ſolutionem: nam clarè cõſpicies, ex illis patribus eam eſſe deſumptam, qui hoc argumento nihil permoti ſunt aduerſus altaris ſacrificium.

ARTICVLVS DECIMVSSEPTIMVS.

De ordinatione miniſtrorum huius ſacramenti Euchariſtiæ.

SOLIS ſacerdotibus, ſecundum ſanctę eccleſiæ ritum legitimè à Chriſto ordinatis, poteſtas conſecrandi verum corpus & ſanguinem Ieſu Chriſti conceſſa eſt.

DOMINVS Hieron. in lib. quẽ ſcripſit aduerſus Luciferianos docet quod dã eſſe laicum ſacerdotium, (ſic enim illud appellat) atque hoc cõmune eſſe omnibus Chriſtianis: ac de hoc ſcripturæ interdum loquuntur. 1. Petri ij. Apocalip. vj. & xxij.

Debet enim quiſque fidelis offerre ſeipſum totũ, corpus & animam,ſua quoque omnia, hoſtiam ſpiritualem Deo. Verùm præter hoc ſacerdotium eſt aliud peculiare miniſtris eccleſiæ,de quo articulus loquitur:& ideo addit(ſecundum eccleſiæ ritum) ordinatis:habet autem hoc ritus eccleſiæ,imprimis,vt non niſi ab epiſcopo poſſit ſacerdos ordinari, nec vnquam aliter factum in ſcripturis legimus.Conuenire autem, vt non niſi ab epiſcopo ordinetur, etiam ſi id nulla ſcriptura doceret,nec eccleſia determinaſſet: ipſa ratio conuincit apud eum,qui ipſum munus epiſcopale vel ſuperficie tenus attendit. Epiſcopi nanque eſt præeſſe & ſuperintendere toti diœceſi ſuę,non ſecus atque patrisfamiliâs eſt præeſſe ſuæ familiæ: videlicet ſicut ad ſolum patremfamiliâs pertinet,cuique de familia ſuũ gradum & ordinem diſtribuere,ſuum cuique munus deſignare,ita non niſi ad epiſcopum pertinet, ordinare miniſtros eccleſię in ſua diœceſi:quanquàm multùm (proh dolor)diſceſſum ſit ab hoc ordine legitimo,per multiplices reſeruationes & exemptiones, tam multorum miniſtrorum eccleſiæ,vt minima portiuncula in multis diœceſibus agnoſcat ſuum epiſcopum,nedum patiatur ſe ab ipſo viſitari, & ſuos exceſſus puniri. Quæ quidem exemptiones in principio iuſtis de cauſis contigerunt,pontifice ſummo annuente iuſtis ſupplicationibus eorum,qui eximi cupiuerunt, ob intolerabilem negligentiam epiſcoporum: qui quoniam ſimul cum epiſcopatu temporalem obtinebant ditionem huius vnius habentes rationem,ſpiritualem planè negligebant:aut certè quod deterius erat, hac ad quæſtum intolerabilem abutebantur: vt etiam de aliquot noſtræ diœceſis epiſcopis legatur, quòd paſſim beneficia

ficia venalia exponebant: atque hac de cauſa ſummus Pont. ſibi ſuos in eorum collatione menſes reſeruauit, quò ſic aliquomodo his deplorandis abuſibus obuiaret. An autem magis expediuiſſet eccleſiæ Dei, vti diſciplinæ eccleſiæ ſeueritate in eiuſmodi profanos Epiſcopos, prout decernunt Canones, quàm per has reſeruationes & exemptiones ſuccurrere his malis, nunc non ſuſcipimus diſputandum. Certè D. Bernar. in libr. ad Eugen. valde acriter inuehitur aduerſus huius generis exemptiones, culpans maximè eos, qui exemptiones ſibi abſque rationabili cauſa procurant, tantùm ſcilicet, ne ſuo Epiſcopo obedire teneantur. Si ad primæuam formam regendæ eccleſiæ rediretur, (quæ adeò obſcurata eſt, vt vix vlla eius reluceat effigies) profectò maior & vniuerſalior competeret Epiſcopo cuique in ſuum clerum authoritas, penesque eum ſolum conſtitutionis & depoſitionis foret authoritas, & reliquarum pœnarum canonicarum, & omnium ſimilium: & non eſſet in quoquam alio authoritas, niſi ab Epiſcopo deriuata, ab ipſoque donata. Verùm hoc de quo initio diximus, quoniam nō humanæ, ſed purè diuinæ inſtitutionis, peruerti non poteſt vlla conſtitutione humana, quoniam penes ipſos ſolos ſit poteſtas ordinandi ſacerdotes: nec vlli ſimplici ſacerdoti hæc poteſtas competit, vt habet B. Hierony. in Epiſtola ad Euagrium tom. iij. Atque hæc res definita eſt in concilio Lateranen. ſub Innocentio iij. Item in concilio Florentino ſub Eugenio iiij. De electione verò nominatione & præſentatione, quoniam nihil Chriſtus diſpoſuit, varius fuit vſus in eccleſia, præſertim circa paſtores & Epiſcopos. Quondam enim ipſi ſimul à Clero & plebe eligebantur, ita demum, vt nō niſi conſen-

tienti plebi, Epiſcopus quis præficeretur. Poſteà ſubortis diſſidijs hac occaſione factum eſt, vt à ſolo clero eligeretur, & quidē temporis ſucceſſu ſolus clerus ciuitatis illius, cui præcipiebatur, eligendi ius habuit. Tandem factum eſt, vt penes capitula præcipua hoc ius fuerit. Sic & de electione ſummi Pon. Roma. varia pro temporum ratione contigerunt, vt interdum penes Imperatorem fuerit electio, nunc verò Cardinalibus, id iuris conceſſum eſt. In ijs enim rebus, de quibus Chriſtus nihil diſpoſuit, pro temporum varietate varia conſtituerunt, & permiſerunt præpoſiti eccleſiæ, quibus ipſe permiſit horum diſpoſitionem. Quam pernicioſum foret nunc antiquatum illum morem reuocari, qui tempore B. Cypriani dicitur adhuc fuiſſe obſeruatus, vt penes plebem eſſet electio Epiſcopi, ſtatim nos doceret experientia, præſertim in locis, nouitatibus, quas præſens inuexit tempus, infectis. Ex his in primis ſequitur Germaniam ſeu Alemaniam non habere veros ſacerdotes, non enim ab Epiſcopis ordinationem recipiunt, ſed à magiſtratu ſœculari, vel à plebe: penes hos enim volunt poteſtatem eſſe ordinandi & conſtituendi miniſtros eccleſiæ, quos verbi miniſtros appellant. Nunc de ritu, quo fieri debet hęc ordinatio, paucis dicamus. Conſtat Chriſtum porrecto corpore & ſanguine ſuo ſub hac verborum forma, hoc facite in meam commemorationem, ordinaſſe Apoſtolos ſuos ſacerdotes, Apoſtoli quamuis non ſine ſpiritus ſancti inſtinctu videntur ab hac forma receſſiſſe. Nec enim leguntur in ordinatione aliqua aliquid feciſſe ſimile, ceu dixiſſe, ſed tantùm manus impoſuiſſe, intendentes per hoc conferre ſacros ordines. Nam alioquin conſtat impoſitionem manuū

Epiſtola iij. iiij. lib.

ad

ad multos alios effectus valuiſſe, videlicet ad cõfirmationem baptizatorum, ad ſanationem ægrorum, item ad minorum etiam ordinum collationem. Eccleſia catholica à ſpiritu ſancto edocta vtrumque obſeruat, ſed principaliter, quòd Chriſtus fecit porrigens patenam, in qua ſit panis, & calicem, in quo ſit vinum tangenda, & dicens nõ quidem ipſa domini verba, ſed alia quæ illa explicant: videlicet, Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium in eccleſia Dei pro viuis & defunctis, in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. Impoſitione quoque manuum vtitur, ſed non tanquàm neceſſaria ad ipſum ſacramentum, (vt declarant Canones) verùm hæc fit pro ſolennitate ſacramenti, quemadmodùm & manuum inunctio, atq; raſura capitis. Neq; enim hæc ſunt de neceſſitate ſacramenti, quin verum foret ſacramentum etiam illis dimiſſis, quanquam non ſine peccato prætermitti poſſint propter ordinationem eccleſiæ. Ex ijs ſequitur, quòd ſi ab Epiſcopo quiſquam ordinetur in ſacerdotem, niſi hi ritus ſolennizentur, non ſit verè ordinatus, neque verus ſacerdos. Quare cùm Germania hos ritus non ſolùm non obſeruet, verùm etiam irrideat, imò damnet tanquàm impios: conſequitur quòd non habeat verũ ſacerdotium niſi laicum, quale cõſequitur ipſum baptiſma, ex quo vlteriùs conſequitur ſacerdotes eorũ non verè conſecrare. Soli nanque ſacerdotes iuxta eccleſiæ ritum ordinati hanc habent poteſtatem: quoniam his ſolis à domino ea conceditur poteſtas: & cùm in perſona Chriſti fiat, quicquid fit in hoc ſacratiſſimo myſterio, irritumq; habeatur, quicquid quiſpiam in perſona alterius attentauerit, niſi accepta ab ipſo pote-

tate:palàm conſequitur conſecrare non poſſe,niſi eos quibus à Chriſto, cuius perſonam conſecrantes gerunt,fuerit hæc poteſtas conceſſa.Verum quidem eſt quoddam eſſe ſacerdotium omnibus Chriſtianis commune, quod laicum appellat Hieron.in dialogo contra Luciferianos:verùm ex hoc ſacerdotio non conficiendi aut miniſtrandi vllum ſacramentum datur authoritas:ſed ſuſcipiendi tantùm alia ſacramenta facultas conceditur: & Deo per baptiſmum homo conſecratur ad offerēdum ei deinceps hoſtias ſpirituales. Si autem per baptiſmum aut conſecrandi aut abſoluendi à peccatis acceperant Apoſtoli poteſtatem; quorſum Chriſtus eis dicit, hoc facite in meam cōmemorationem.Item in ſufflādo in eos ait.Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis &c. Manifeſtum eſt, quòd his verbis eis quippiam peculiare donat; quod nec cæteris conceſſerat, neque iiſdem priùs donauerat,poteſtatem videlicet conſecrandi panem & vinum in corpus,&c. Item remittendi peccata, quemadmodum ea loca ſemper intellexerunt vniuerſi patres, intellexit quoque vniuerſa Chriſti eccleſia, ex ijs locis edocta de ſacramento ordinis, per quod ſpiritualem poteſtatem docet conferri ordinato.Vide B. Auguſtinum lib.ij.contra Parmenianum c.xiij.vbi palàm aſſerit,vt baptiſma,ita & ordinationem ſacramētum eſſe, & vtrumque quadam conſecratione dari, illud, cùm baptizatur,iſtud, cùm ordinatur: ideóque vtrumque in eccleſia catholica non licere iterari.Idem habet lib. j.de baptiſ.contra Donatiſt.cap.j.Per ordinationem aſſerens dari ius conficiendi & miniſtrandi ſacramenta: quemadmodum per baptiſmum ius ea recipiendi ſuſcipitur. Cùm ergo ſacramentum rectè definiatur ſa-

Auguſtinus.

cræ

eræ rei ſignum, eius cauſa exiſtens: palàm conſequitur ordinem eſſe ſacramentum, cùm ſit ſignum ſpiritualis poteſtatis, quam confert ordinato. Atqui effectus ſacramenti nemini confertur ſine ſacramẽto. Non igitur niſi in ordinato hæc, de qua agimus poteſtas conficiendi ſacram euchariſtiam, tametſi diſpenſandi eandem munus etiam committi poſſit ijs, qui in inferiori gradu ſunt conſtituti, putà Diaconis: quibus tamen omnino deeſſe poteſtatem conſecrandi D. Hiero. palàm loco mox citato, aſſerit. Præter hanc autem ſpiritualem poteſtatem datur inſuper in ordinatione omnis gratia neceſſaria ad hoc, vt quis dignè poſſit exequi quæ ſunt ordinis, augmentum ſcilicet gratiæ gratum faciẽtis. Hinc D. Aug. lib. quæſt. noui & vet. teſt. quæſt. xciij. ſic ait. Illud autem quod inſufflaſſe in diſcipulos dominus legitur, poſt dies paucos reſurrectionis ſuæ, & dixiſſe. Accipite ſpiritum ſanctum, eccleſiaſtica poteſtas collata intelligitur eſſe: quia enim omnia in traditione dominica per ſpiritum ſanctum agũtur, idcirco regula eis & forma traditur huius diſciplinæ. Dicitur eis. Accipite ſpiritum ſanctum, & quia verè ad ius eccleſiaſticum pertinet, ſtatim ſubiungit dicens. Cuius tenueritis peccata tenebuntur &c. Inſpiratio ergò hæc gratia quædam eſt, quæ per traditionem infunditur ordinatis, per quam commendatiores habeantur. Vnde Apoſt. dicit ad Timoth. Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per impoſitionem manuum preſbyterij: ſemel ergo fieri oportuit, vt de cætero traditio iſta non ſine dono ſpiritus ſancti eſſe crederetur. Sicut enim in Saluatore forma data eſt viſibiliter, vt poſt baptiſmum ſpiritus ſanctus credentibus de cætero inuiſibiliter dari non ambigeretur: ita

& in ſupradicta cauſa, forma data eſt in principio, vt ex eo traditioni eccleſiaſticæ ſpiritus ſanctus infuſus credatur. hæc ille. Ex quibus eius verbis liquet in ordine non ſolùm conferri eccleſiaſticam poteſtatem, verùm etiam gratiam, qua in eius vſu ordinatus commendatior habeatur. Non enim miniſtros duntaxat ſibi creat Chriſtus dominus, verùm eoſdem ſibi idoneos creat, & proinde iuſtos & ab omni crimine immunes: gratiam conferens, quæ omne crimen deleat, dummodo obex non ponatur in ſuſcipiente, & quidem tantò copioſiorem, quantò hæ functiones præſtant cæteris communis populi functionibus. Hunc

Conciliũ Florentinum. effectum expreſſit Concilium Florẽtinum his verbis. Effectus ordinis eſt augmentum gratiæ, vt quis idoneus

Cyprianus. ſit miniſter. Vide D. Cyprian. lib. iij. de dignitate ſacerdotali, vbi mirum in modum eam extollit. Ex his etiam quæ hactenus dicta ſunt, liquet poſtrema pars articuli. Oomnes videlicet ſacerdotes habere poteſtatem conſecrandi: quoniam vt illud laicum ſacerdotium inabdicabile eſt: ita iſtud verũ & ſpirituale ſacerdotium, prout ex propoſito docet Hierony. loco prę allegato: & Auguſtinus cõtra Donatiſt. ex eo demonſtrans vera ſacramenta conferri ab hæreticis, vt qui per hæreſim non ea quæ ſuſceperunt in eccleſia catholica perdiderunt.

ARTICVLVS DECIMVSOCTAVVS.

De matrimonio.

MATRIMONIVM contractum, & conſummatum inter Chriſtianos, eſt indiſſolubile: qualiſcunque fiat alter coniugum, ſiue adulter, ſiue ſterilis, ſiue hæreticus.

CIRCA huius articuli declarationem primò aduertẽdum eſt articulum reſtringere matrimonium, quod docet eſſe indiſſolubile ad matrimonium contractum inter Chriſtianos: quoniã de matrimonio contracto inter infideles, quid ſentiẽdum ſit, inferiùs docebitur. Intelligimus autem Chriſtianorum nomine omnes & ſolos baptizatos, ſiue adhuc fidem retineant, ſiue ab ea exciderint, imò etiam, ſi ad Paganiſmum vel Iudaiſmum conuertantur: dummodo ſemel per baptiſmum familiæ Chriſti incorporati fuerint, Chriſtiani hoc loco cẽſentur. Vnde inter eos matrimonium contractũ & conſummatum certo caſu diſſolui poterit. Deinde additur ſecũda reſtrictio, per quam intelligatur mentio fieri duntaxat de matrimonio conſummato: nam de nõ conſummato, rem ſecus ſe habere inferiùs, Deo donante, docebimus. Nunc ipſam articuli probationem aggrediamur. Vbi in primis aduerte apertam eſſe ſuper hac re definitionem ſedis Apoſtolicæ, quæ recitatur in cap. gaudemus, de diuortijs, & in cap. Quanto. cui accedit omnium patrum concors ſententia. Deducitur autem hæc indiſſolubilitas præcipuè ex duplici fonte, quos ſcripturæ ſanctæ nobis aperiunt. Primùm ex ipſa primæua inſtitutione, quæ deſcribitur Gen. ij. & quam exponit dominus Matth. xix. ad eam reducens matrimonium nouæ legis. Non legiſtis (inquit Phariſæis reſpondens, à quibus dolosè interrogatus fuerat, num liceret quacunque ex cauſa dimittere vxorem) quia qui fecit hominem ab initio maſculum & fœminam, fecit eos, & dixit. Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in

carne vna, deinde veluti ſub illis verbis ſubſumens. Itaque(inquit)iam non ſunt duo,ſed caro vna, ex ipſa ſcilicet,diuina inſtitutione,qui eos iam creatos maſculum & fœminam ad coniugale conſortium ſic agglutinauit, & ſibi inuicem hærere fecit, vt non iam duo homines forent; verùm quaſi vnus homo. deinde ex his infert concluſionem.Quod ergo(inquit)Deus cõiunxit,homo nõ ſeparet, & nequaquam ſeparare tentet.Vides vt ex ipſa inſtitutione matrimonij, quæ facta eſt à principio conditi hominis, concludit diſſolui non poſſe matrimonium per homines. Obijcientibus autem Pharizæis aduerſus hanc reſponſionem. Quid ergo Moſes mandauit dare libellum repudij,& dimittere?Cauſam huius eis reddit Moſes(inquiens) ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere vxores: ab initio autem non fuit ſic, quemadmodum liquet ex verbis præinductis. Deinde legem ferens, aut potiùs legem illam primam renouans iuxta quam inſtitutum erat matrimonium,ait.Dico autem vobis,quia quicunque dimiſerit vxorem ſuam,niſi ob fornicationem,& aliã duxerit,mœchatur:& qui dimiſſam duxerit, mœchatur. In quibus verbis non vult excipi cauſam fornicationis, quaſi propter eam liceret vxorem dimittere, & aliam ducere. Nam alioquin quomodo diceret ſimpliciter.Et qui dimiſſam duxerit, mœchatur:addidiſſet profectò, qui dimiſſam duxerit, niſi ob fornicationis cauſam ea dimiſſa fuerit.Verùm tantùm hoc indicat ſe non velle ad præſens tractare de cauſa fornicationis,quid videlicet, de ea ſentiendũ ſit, an videlicet ob eam liceat vxorem dimittere, ſed de hoc in ſequẽti articulo fuſiùs. Quòd ſi ergo mœchatur tam qui dimittit & aliam ducit, quàm qui dimiſſam ducit,

non

non ſoluit, certum eſt, vlla dimiſſio vinculum matrimoniale. An autem fuerit verè diſſolutum matrimonium in veteri lege per repudium controuertitur inter doctores, ex capitulo xxiiij. Deuteron. videtur quòd ſic, quoniam per dationem libelli dimiſſæ fiebat poteſtas & libertas alteri nubendi: at quòd eadem mulier ſit duorum virorum, legi naturæ repugnat. Verùm hoc conſtat ex Apoſtolo Paulo, quod nō obſtante hac inſtitutione matrimonij, matrimonium cōtractum inter infideles quanquā conſummatum diſſolui poſſit, ſi altero ad fidem conuerſo alter non velit ipſi cohabitare ſine contumelia creatoris. Rurſus matrimonium inter Chriſtianos nondum conſummatum diſſolui altero coniugum ingrediente religionem, aut aliâs amplectente viuendi ſtatum, per quem moritur, vitæ ciuili inferiùs demonſtrabimus. Quibus tamen caſibus non homo, ſed Deus ipſe ſeparat, quos ipſe coniunxit. Proinde ex alio capite oportet deducere omnimodam indiſſolubilitatem matrimonij, quam articulus tradit: atque idem ipſa ratio ſacramenti ſuper addita matrimonio pro ſtatu nouæ legis, quam vbique vrget D. Augu. vbi de hac re tractat li. j. de adul. coniugijs ad Pollentium ca. x. Item in li. de bono coniugali. & rurſus li. de fide & operibus, & alijs quàmplurimis locis. Colligitur autem hæc ſacramenti ratio ex Apoſtolo Paulo ad Ephe. c. v. vbi cum multis verbis præmiſiſſet, quomodo ſe deberet habere vxor erga virum, quo videlicet affectu deberet viro ſubijci, rurſus quomodo vir erga vxorem ſe habere deberet, quo videlicet affectu eam proſequi, vt ſcilicet vxor in marito Chriſtum veneraretur, cuius ille typum & figuram gerit, eique ſicut Chriſto domino ſeruiet, & nō

Caſus quo alter coniugum priore dimiſſo ceu priore dimiſſa alteri copulari poſſit.

ſolùm tanquàm domino ſuo, aut tanquàm marito,iuxta leges maritales,quas ſola natura dictat,&matrimonio affixę ſunt,prout eſt in officiū naturę.Et rurſus vir in vxore eccleſiam conſyderet, vt ſimili affectu illam diligat,quo Chriſtus eccleſiam ſuam dilexit, cuius illa typum gerit, paratus etiam pro ea mori, ſi ita res exigat:quemadmodum Chriſtus eccleſiam ſuam dilexit,& ſeipſum pro eccleſia ſua tradidit, mundans eam lauacro aquę,in verbo vitę,vt exhiberet,&c.Poſtquàm inquā,hæc præmiſiſſet Apoſtolus,& deinde abieciſſet verba inſtitutionis matrimonij, ex capit.ij.Gene.Propter hoc relinquet homo patrem & matrem,& adhærebit vxori ſuæ,& erunt duo in carne vna,mox ſubnectit.Sacramentū hoc magnum eſt, velut cauſam reddens omnium pręcedentium,iſtius videlicet mutui affectus coniugū adinuicem: quoniam hoc,ideſt matrimonium quod ſignificatur in verbis pręmiſſis ex Geneſ.eſt magnū ſacramentū, ideſt magnum myſteriū, hoc eſt ſacramentū quoddam abſconditum.Et interpretatur,quomodo magnū ſit ſacramentum. Ego autem dico,hoc eſt interpretatū in Chriſto,& in eccleſia ſcilicet magnum eſſe iſtud ſacramentum,hoc eſt propter repręſentationem coniunctionis Chriſti cum eccleſia. Vides ergo vt iuxta Paulum matrimonium ſacramentum ſit coniunctionis Chriſti cum eccleſia,ex quo conſequitur primùm eſſe de genere ſacrorum & ſupernaturaliū, quod non habuit ex primæua ſui inſtitutione, iuxta quam ſolum fuit inſtitutum in officium naturæ,ad generationem liberorum, & educationem eorum,iuxta leges naturalis rationis. Verùm nunc longè ſublimiora ſunt, ad quæ ſibi inuicem coniuges ſociantur:aliam dilectionem, alia officia

Matr. ſacramentum eſt.

ficia mutua, alium & longè ſublimiorem finem requi rentia, tam in coniugibus, quàm in prole generanda, & educanda Chriſto domino ad finem ſupernæ beatitudinis. Et quoniam hæc excedunt fines naturę, & talia ſunt, quæ ſine gratia etiam gratum faciente, neque deſit Deus homini in neceſſarijs: ideo dominus his qui matrimonio iuncti ſunt, hanc gratiam confert, dummodo non ponant obicem. Ex quo conſequitur matrimonium pro hoc ſtatu nouæ legis eſſe ſacramentũ, id quod etiam definitũ eſt in concilio Florentino, & in antiquiſſimo Canone ad abolẽdam, de hæreticis li. vj. annumeratur alijs ſacramentis: & hæreticus iudicatur quiſquis de eo aliter ſentit, quàm ſacroſancta Roma. eccleſia tradit. Non tamen ex ſignificatione huius gratiæ habet ſacramentum indiſſolubilitatem, verùm ex alia ſignificatione ipſius videlicet coniunctionis Chriſti & eccleſiæ, quoniam hæc prorſus eſt indiſſolubilis: quare neceſſe eſt, vt & matrimonium quod eius ſignum eſt, ſit indiſſolubile, tale aut illud quodcunque inter Chriſtianos contractũ eſt, & conſummatum: vt liquet ex Apoſtolo, Sacramentum (inquit) hoc magnũ eſt. Ego autem dico in Chriſto & eccleſia, ideſt realiter cõiunctis, & ipſam quatenus huiuſmodi repręſentantis. Quanquàm autem matrimoniũ etiam ſiue ante legem, ſiue poſt legem fuerit huius eiuſdem coniunctionis figura, & typus non repręſentabat, vt iam factam, ſed magis vt futurã. Vnde ex ea parte non oportet ipſum habuiſſe eandem cũ nouæ legis matrimonio firmitatem, & indiſſolubilitatem: verùm vt omnia fuerunt in illo matrimonio naturalia, ita ex naturali inſtitutione magis pendebat tota eius indiſſolubilitas. Hinc Apoſtolus notanter dicit;

Sacramentum hoc magnum eſt,non autē fuit,aut erit ſignificans matrimonio præſentis temporis hanc ſtatus excellentiam ſingulariter competere. Hactenus igitur ex duplici fonte euidenter oſtenſum eſt matrimonium contractum & conſummatum inter Chriſtianos omnino eſſe indiſſolubile:ex quo mox ſequitur,quod in articulo adijcitur.Ipſum neque per hęreſim,neque per ſterilitatem,neque per quodcunque aliud ſolui poſſe.Neque enim poteſt vlla res aut inſtitutioni Chriſti derogare, aut rationē ſacramēti violare: quoniam nō poteſt vlla creatura opus Dei infringere aut homo, quod Deus coniunxit ſeparare.De matrimonio vero inter infideles cōtracto apertè docet Apoſtolus, quòd dirimi poſſit, ſi altero ad fidem conuerſo, alter nolit ipſi cohabitare, aut non niſi cum contumelia creatoris,quòd ſi infidelis (inquit) diſcedit : (diſcedat) non enim ſeruituti ſubiectus frater aut ſoror in huiuſmodi. Eodem modo quoque diſſolui poteſt matrimonium inter Chriſtianos nondum conſummatum,vt pulcherrimè docet Dominus Thomas.

Secundò conſtare ex dictis putamus matrimoniū eſſe nouę legis ſacramentū,cùm vt oſtendimus,in eius ſuſceptione (niſi obex ponatur,) gratia conferatur: quemadmodum collegimus ex Apoſtolo Paulo, ad Ephe.v.Circa quam deductionem tamen aduerte nos non docere,vocem ſacramentum, dū dicit Apoſtolus (ſacramentum hoc magnum eſt)eo modo accipi,quo accipitur dum dicuntur eſſe ſeptem ſacramenta eccle- *Antipophora.* ſiæ,quam imperitiam nobis imponunt aduerſarij.Scimus enim ſacramentum ibi, accipi pro myſterio ſeu ſacro abſcondito. Verùm hinc colligimus duntaxat

ma

matrimonium eſſe de genere ſacrorum diuinorum ſupernaturalium: id quod euidenter etiam liquet ex officijs, quæ Apoſtolus requirit à coniugibus Chriſtianis, quæ indubiè ſuperant vires naturæ, ita vt ſine gratia nequeant præſtari: vt ſubiectam nanque eſſe mulierem viro ſuo tãquàm domino Chriſto, & per omnia honorabile cõnubiũ, & thorum immaculatum conſeruare Chriſto, liberos procreare & educare, naturæ vires ſuperant. Et quum Deus, quos ad aliquod deſtinat, non deneget gratiam pro conſecutione illius neceſſariam: conſequitur euidenter ijs ipſum, quos ad hæc officia coniungit, gratiam ſuam donare, qua ſuo muneri reſpondeant, & congruẽter ſuæ vocationi viuant, ſi modò obicem non ponant. Quòd verò obijciunt aduerſarij D. Dionyſ. areopagitam in Hierarchia ſua eccleſiaſtica nuſquam docere mátrimonium eſſe ſacramentum, cùm tamen reliquorũ ſacramentorum meminerit, proinde recentem videri hanc doctrinam de matrimonio, facile fuerit reſpondere Dionyſ. eod libr. non ſuſcepiſſe tractare ex profeſſò de ſacramentis & maximè ijs, quæ nihil pertinent ad eccleſiaſticam Hierarchiam, de qua præcipuè agit, vt ipſe libri titulus præ ſe fert.

ARTICVLVS DECIMVSNONVS.

NVLLO vnquam tempore Chriſtianis licet cum alio vel alia matrimonium contrahere (etiam per diuortium ſeparatis) quamdiu alter coniugum vixerit.

HVNC articulum in primis intelliges de eodem matrimonio, de quo præcedens loquebatur, ex quo pẽdet & conſequitur. Docet ergo quòd poſt diuortium non ſoluatur vnquam matrimoniũ, ſic vt liceat cum alio contrahere, ne propter fornicationem quidem: quanquam propter hanc liceat dimittere vxorem, aut virum, quoad cohabitationem & thorum, imò vouere caſtitatem voto ſolenni tam per ingreſſum religionis, quàm per ſuſceptionem ſacri ordinis. Iſtud in primis liquet ex præcedenti articulo. Si enim matrimonium prorſus ſit indiſſolubile, tum ex ſua inſtitutione, tum etiam & multò ampliùs ex ſacramenti ratione, conſequitur, vt qui ſemel matrimonio iuncti ſunt, perpetuò maneant coniuges. Atqui coniugũ neuter iuxta doctrinam Apoſtoli habet poteſtatem ſui corporis: vir enim nõ habet poteſtatem corporis ſui, ſed mulier: neque mulier ſui corporis poteſtatem habet, ſed vir: non poteſt igitur, quamdiu coniux manet, transferre in alteram ſui corporis poteſtatem aut dominium, quare nec cum altero contrahere. Id quod adeò euidenter docent ſcripturæ, vt mirum ſit aduerſarios tam concorditer contra tam aperta ſcripturarum teſtimonia in hoc articulo ab eccleſiæ doctrina diſſentire, qui in alijs plus apparentiæ habentibus non minùs frequenter à ſe inuicem, quàm ab eccleſia diſſentiunt. Quemadmodum diffusè & doctè tradit Do. Auguſti. in li. duobus quos ſcripſit ad Pollentium, de adulterinis coniugijs, refellens ex propoſito in priori libello ſententiam, quam iſte Pollentius (vir alioqui vt apparet bonus, & in ſcripturis per quam exercitatus) ſcripto & edito libro

bro

bro docuerat de diſſolutione matrimonij, poſt diuortium ex cauſa fornicationis. In ſecundo autem libro ad quædam dubia reſpondenti poſteà ab eodem Pollentio mota circa eandem materiam. Libro igitur ij. capitul. iiij. concludit in hunc modum. Secundum doctrinam ſanam mulier allegata eſt, quandiu vir eius viuit, ideſt nondum è corpore migrauit: mulier enim ſub viro viuo marito iuncta eſt legi, hoc eſt in corpore conſtituto. Si autem mortuus fuerit, hoc eſt de corpore exierit, euacuata eſt à lege viri, vt non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro: igitur viuente viro vocabitur adultera, ſi cum altero fuerit. Et mox ſubiungit. Hæc verba Apoſtoli toties repetita, toties inculcata, vera ſunt, viua ſunt, ſana ſunt, plana ſunt. Nullius viri poſterioris mulier vxor eſſe incipit, niſi prioris eſſe deſierit: eſſe autem deſinet vxor prioris, ſi moriatur vir eius, non ſi fornicetur. Licitè itaque dimittitur coniunx ob cauſam fornicationis, ſed manet vinculum prioris. Propter quod fit reus adulterij, qui dimiſſam duxerit, etiam ob cauſam fornicationis: & capitul. ſequenti. Sicut enim manente in ſe ſacramento regenerationis, excommunicatur quis cuiuſquam reus criminis: nec illo ſacramento caret, etiam ſi nunquam reconcilietur Deo: ita manente in ſe fœderis coniugalis vinculo, vxor dimittitur ob cauſam fornicationis, nec carebit illo vinculo, etiam ſi nunquam reconcilietur viro: carebit autem, ſi mortuus fuerit vir eius. Vides quam nullam patiatur locus ille Pauli tergiuerſationem, quàm verè, quàm planè definiat, quod hoc noſtro articulo docemus. Id ſi diligentiùs conſyderaſſet Do. Eraſmus *Error Eraſmi.*
repreſſiſſet (vt opinamur) calamum in annotatione

quam fecit ſuper cap. vij. j. epiſt. ad Corin. vbi probabi le facere nititur licere contrahere cum altero poſt legitimum diuortium. Iſtud cum Auguſtino tradiderũt

Hieronymus. & reliqui patres concorditer ac conſtanter D. Hieronym. in Epitaphio Fabiolæ, eam agnoſcit meritò culpandam, quòd licet iure dimiſſo priore marito, cuius tanta fuerant vitia, quãta ne ſcortum quidem & vile mancipium ſuſtinere poſſet, & ſecundo viro nupſerit, quanquam adoleſcentula adhuc eſſet, & quæ per carnis imbecillitatem viduitatem ſeruare non poſſet, neque aliunde ei excuſationem eſſe aſtruit, quàm quod euangelicum rigorem ignorârit, in quo nubendi vniuerſa cauſatio viuentibus viris fœminis amputatur. Vnde miſerabilis coniugij vmbram eam ibidem fuiſſe dicit, & vulnus accepiſſe incautam, dum multa Diaboli vitare ſtudet vulnera. Ex quibus manifeſtè liquet rigorem euangelicum nulla ratione permittere viuente viro mulierem alteri nubere. Quodq́ue ſi quippiam attentet, mulier non modò peccat, verùm etiam in vanum contrahit, nec verum ſubit coniugiũ, ſed ſolùm miſerabilis coniugij vmbram. Eandem autem eſſe legem viri viuente vxore, ipſa paulò antè citata verba clarè pronunciant. Quicquid, viris iubetur (inquit) hoc conſequenter redundat in fœminas, & infrà: apud nos quod nõ licet fœminis, æquè non licet viris. & eadem ſeruitus pari conditione cenſetur, quamuis Cæſarum leges ſecus diſponant. Item in epiſtola ad Amandum ex profeſſo reſpondet ad quæſtionem hanc, quæ in hoc noſtro articulo deciditur. Quærebat enim Amand. Vtrum mulier relicto viro adultero & Sodomita, & alio per vim accepto, poſſit abſque pœnitentia communicare eccleſiæ viuente

adhuc

adhuc eo, quem prius reliquerat. Ad hoc reſpondet non ſuam ſed Apoſtoli ſentētiam. An ignoratis fratres (ſciētibus enim legem loquor) quoniam lex dominatur homini, quanto tempore viuit: mulier enim quæ ſub viro eſt, viuente viro aſtricta eſt legi: quòd ſi mortuus fuerit vir eius, liberata eſt à lege viri. Ergo viuēte viro, adultera erit, ſi fuerit cum alio viro. Et in alio loco. Mulier alligata quanto tēpore vir eius viuit, ſi dormierit vir eius, liberata eſt: cui vult nubat. Omnes igitur cauſationes Apoſtolus amputans, apertiſſimè definiuit, viuente viro adulteram eſſe mulierem, ſi alteri nupſerit. Nolo mihi proferas raptoris violentiam, matris perſuaſionem, patris authoritatē, propinquorum cateruam, ſeruorum inſidias atq; contemptū, damna rei familiaris: quandiu viuit vir eius, licèt adulter ſit, licèt ſodomita, licèt flagitijs omnibus coopertus, & ob hoc prorſos ab vxore derelictus, maritus eius deputatur, cui alterum virum accipere non licet. Nec Apoſtolus hoc propria authoritate decernit, ſed Chriſto in ſe loquente, Chriſti verba ſecutus eſt, quæ ait. Qui dimittit vxorem ſuam excepta cauſa fornicationis, facit eam mœchari: & qui dimiſſam acceperit, adulter eſt. Aduerte quid dicat. Qui dimiſſam duxerit, adulter eſt, ſiue ipſa dimiſerit virum, ſiue à viro dimiſſa ſit, adulter eſt qui eam acceperit. Hæc ille. Conſentit Orig. quem tamen D. Eraſmus trahere conatur in oppoſitā ſenten tiam cùm hom. vij. ſuper gen. palā teſtatur contra ſcripturā agere, quiſquis coniuge viuo, cum alio cōtraxerit, non obſtantibus exemplis, quæ in oppoſitum adferuntur. Idem quoq; clarè docet D. Chryſoſt. Breuiter, vniuerſi patres id ipſum concorditer tradidère, prout ex eorum monumentis liquet. Principiò quidem viſa

eſt Domino Auguſtino hæc quæſtio perplexa admodum, quemadmodum liquet ex capitul. vij. lib. de bono coniugali: vbi ait, ſcripturam de hac re nodum facere difficilem: An quemadmodum licet dimittere adulteram vxorem, ita liceat ea dimiſſa alteram ducere? Concludit tamen, quemadmodum etiam paulò antè præmiſerat, pro parte negatiua, dicens vſque adeò fœdus illud nuptiale cuiuſdam ſacramenti rem eſſe, vt nec ipſa ſeparatio ne irritum fiat, quando quidem viuente viro, à quo relicta eſt, mœchatur, ſi alteri nupſerit. Et infrà. Tantum valet illud ſociale vinculum coniugum, vt cùm cauſa procreandi colligetur, etiam nec ipſa cauſa procreandi ſoluatur. Et paucis interpoſitis. Interueniente diuortio non aboletur illa conſyderatio nuptialis, ita vt ſibi coniuges ſint etiam ſeparati, cum illis autem adulterium committant, quibus etiam fuerint poſt ſuum repudium copulati: vel illa viro, vel ille mulieri, nec tamen niſi in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius talis eſt cauſa cum vxore.

Item lib. de fide & operibus, cap. decimonono, & in ipſis diuinis ſententijs, ita obſcurum eſt: verum & iſte, cui quidem ſine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, ſi adulteram duxerit: vt quantum exiſtimo, venialiter ibi quiſque fallatur. Atque hoc fuit eo quidem tempore de huius queſtionis obſcuritate iudicium. Verùm vbi coactus fuit diligentiùs excutere, quid de hac re ſentiendum ſit, & maximè per illum Pollentium ad quem ſcripſit duos libros de hac re, planam facit & apertam eius ex Apoſtoli ſententia ad Roma. vij. & primę ad Corint. vij. reſolutionem, quemadmodum in ſuperiùs adductis ex

eò verbis vidimus. Atque hinc liquet, quantum boni pariant hæreſes in eccleſia Dei, dum hæreticorum importunitate adiguntur catholici ad ſingula diligentiùs rimanda, diſcutienda & perueſtiganda, quò magis eluceſcat in quaque re veritas catholica. Quòd ſi quæ adhuc reſtabat circa hanc rem obſcuritatis nebula, iam penitus diſcuſſit clara & aperta definitio circa hanc rem habita, in Concilio Florentino in hæc verba. Quamuis ex cauſa fornicationis liceat thori ſeparationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas eſt, cùm matrimonij vinculum legitimè contracti, perpetuum ſit. Id ipſum quoque multò antè declarauerat Concilium Miletanum, cui B. Auguſtinus interfuit, vbi ita ſancitum eſt. Placuit vt ſecundum Euangelicam & Apoſtolicam diſciplinam, neque dimiſſus ab vxore, neque dimiſſa à marito alteri cõiungatur: ſed ita maneant, aut ſibimet reconcilientur: quòd ſi contempſerint, ad pœnitentiam redigantur. Imò inter Canones Apoſtolorũ, qui eſt lxvij. numero, ſic habet interprete Holandro. Si quis laicus cùm ſuam à ſe vxorem abijcit, alteram duxerit, aut ab alio dimiſſam, à communione ſegregatur.

Lutherus in li. de captiuitate Babilonica.

Nunc reſtat, vt paucis proponamus ſententiam aduerſariorum. Martinus igitur Lutherus in ſua captiuitate Babilonica, multò tollerabiliùs de hac re loquitur, quàm nunc faciant eius ſequaces, imò quàm ipſe idem poſteà de hac re locutus eſt. Cùm enim in illa captiuitate Babylonica, ſe dicat valde horrere diuortium, vſque adeò, vt ſecundam ſuperniduci malit, ſimul cum priore, quàm hanc permittere à ſe ſeparari: tamen

concedit id permitti à domino, atque ex eo infert licere cum alio contrahere matrimonium. Idque probat hac ratione, quoniam melius eſt nubere, quàm vri. Rurſus, cœlibatus eſt res conſilij, ergo ad ipſum nullus alligatur. Idem quoque admittit conſequi, ſi alter coniugum ſeſe ſubtrahat, vt non poſſit alter eius habere copiã. Attamen nõ audet in hac re temere quicquam aſſerere, verùm fatetur adhuc rem obſcuram & dubiam, & ſuper ea clariorem & certiorem deſyderat habere definitionem. In Comment. verò quem ſcripſit ſuper vij. cap. prioris ad Corint. ibi contra dubitationem audet aſtruere in tribus caſibus his licere non ſolùm dimittere priorem vxorem, verùm etiam alteri nubere. Primus eſt, ſi impotens ſit coniunx per naturæ defectum ad generandum (atque hoc verum eſſet, ſi de impotentia ad coitum intelligeret.) Secundus caſus propter adulterium. Tertius eſt, quando alter negat alteri ſui corporis copiam citra ipſius culpam. Si tamen quia non vult, ſed quia reddere non poteſt debitum, neget: docet idcirco non rumpi poſſe fœdus nuptiale, ſed rogandum eſſe Deum pro continentia impetranda. Præcipuum verò argumentum ipſorum ſumitur ex cap. xix. Matt. vbi dominus ait. Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliã duxerit, mœchatur. Ex qua ſententia mox conſequi apparet, quòd qui ob fornicationis cauſam dimiſerit vxorem, & aliam duxerit, non mœchatur: quare ob cauſam fornicationis videtur diſſolui poſſe matrimonium. Neque enim licet aliam ducere, niſi diſſoluto vniculo matrimonij contracti cum altera. Et confirmat argumentum, quoniam exceptio hîc expreſſa, non poteſt referri ad ſolam dimiſſionem. Falſum enim

eſt

eſt non licere,niſi ob ſolam fornicationem dimittere, cùm multæ ſint aliæ cauſæ, ob quas dimitti poteſt vxor: interdum etiam debet, ergo exceptio ad alteram etiam partem ſubiecti referri debet, videlicet & aliam duxerit.Secundò confirmat ex apoſtolo primæ ad Corint.vij.Qui vbi præmiſiſſet de muliere. Præcipio non ego,ſed dominus, vxorem à viro non diſcedere,quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.De viro hoc tantùm ſubiunxit. Et vir vxorem non dimittat,non addens prout cùm de muliere loqueretur,quòd ſi dimiſerit,maneat ſine vxore, quo omnino videtur innuere, licere viro vbi iuſtè vxorem dimiſerit,aliam ducere.Atque id aduertit in illis D.Pauli verbis.Do. Ambr.ſic enim ſcribit in Comment.eiuſdem loci. Ideo non ſubiecit dicens ſicùt de muliere.Quòd ſi diſceſſerit,manere ſic,quia viro licet ducere vxorem,ſi vxorem dimiſerit peccantem, quia non ita lege conſtringitur, ſicut mulier: caput enim mulieris vir eſt.De primo argumento quoniam idem eſt cum eo quod obijciebat Pollent.vide Do. Auguſtinũ in li.aduerſus dictum Pollent.vbi diffuſè tractat illum locum, & eius veram aſſignat intelligentiam: tum ex textus circunſtantijs,tum ex alijs ſcripturæ locis apertioribus. Pollentio igitur quærenti cur dominus interpoſuiſſet cauſam fornicationis,& non potiùs generaliter dixerit. Quicunque dimiſerit vxorem ſuam,& aliam duxerit,mœchatur:ſi & ille mœchatus eſt,qui dimiſſa vxore fornicante alteram ducit.In hũc modum reſpondet lib.j.ca.ix.Credo,quòd illud quod maius eſt, hîc dominus commemorare voluit: maius enim adulterium quis negat, vxore non fornicante alteram ducere,quàm ſi fornicãtem quis dimiſerit, &

tunc alterã duxerit, non quia & hoc adulterium non eſt, ſed quia minus eſt, vbi fornicãte dimiſſa altera ducitur. Nam ſimili locutione vſus etiã Iac. Apo. ait. Scięti igitur bonum facere, & non facienti peccatum eſt illi: nunquid ideo non peccatum eſt illi, qui neſcit bonum facere, & ideo non facit, vtique peccatum eſt: ſed hoc grauius eſt, ſi ſciat & non faciat. Nec idem illud nullum, quia minus. Vt ergo eodem modo vtrumque dicamus, quicunque dimiſerit vxorem ſuam excepta cauſa fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur: ita quicunque ſcit bonum, & non facit, peccat. Sed quẽadmodum hîc rectè dici non poteſt, ergo ſi neſcit, nõ peccat. Sunt enim etiam peccata ignorantium, quamuis minora quàm ſcientium: ita nec illic rectè dici poteſt. Ergo ſi cauſa fornicationis dimiſerit, & aliam duxerit, non mœchatur. Eſt enim mœchatio etiam eorum, qui alias ducunt, relictis propter fornicationem prioribus, ſed vtique minor, quàm eorum, qui non propter fornicationem dimittunt, & alias ducunt. Poteſt quippe ſicut dictum eſt, Scienti bonum facere, & non facienti peccatum eſt illi, eo modo & illud dici: Dimittenti vxorem ſine cauſa fornicationis, & aliam ducenti mœchatio eſt illi: quemadmodum igitur ſi dixerimus: Quicunque mulierem à marito præter cauſam fornicationis dimiſſam duxerit, mœchatur, procul dubio verum dicimus: nec tamẽ ideo qui propter cauſam fornicationis dimiſſam duxerit, ab hoc crimine abſoluimus, ſed vtroſque mœchos eſſe minimè dubitamus: ita eum, qui præter cauſam fornicationis vxorem dimiſerit, & alteram duxerit, ab huius criminis labe abſoluimus: ambos enim (licèt alterum altero grauius) mœchos tamen eſſe cognoſcimus. Hactenus ille.

ille. Ex quo diſcimus quænam ſit vera intelligentia ſententia domini Saluatoris vtq; illa nihil faciat contra catholicam veritatem, quam in hoc articulo aſſeruimus. Si quidem dominus illis primis verbis ſuis id quod maius eſt, commemorare voluit, videlicet non licere præter fornicationis cauſam vxorem dimittere, & aliam ducere: interim quod minus, alterum nempe, quodque difficiliùs certo ſtudio prætermittens ac diſſimulans, quòd nondum videret interrogantes capaces eius doctrinæ, qua traderet ſimpliciter & abſolutè nulla omnino ex cauſa licere dimittere vxorem. Si enim nec hanc quidem reſponſionem ita prudẽter temperatam, à calumnia liberam fecerunt, vt pote qui acceſſerant non ad diſcendum, ſed tentandũ eam: vnde & mox audito reſponſo Saluatoris, quid ergo Moſes mandauit dare libellum repudij, & dimittere, quomodo non fuiſſent cauillati, ſi ſimpliciter & abſolutè pronunciaſſet dominus ipſam veritatem, nulla ex cauſa licere vxorem dimittere, & alteram ducere? Prudenter igitur dominus aduerſus horum calumniam, ſic ſermonem ſuam moderatus eſt, vt tantùm id quod certum meritò cuique eſſe debebat, & indubitatum, nempe extra fornicationis cauſam non licere dimittere vxorem, & alteram ducere aſtrueret, interim ſuſpenſam & intactam relinquens ſententiam de cauſa fornicationis. An ob hanc dimittere liceret vxorem, & ea dimiſſa alteram ducere: præſertim cùm huius rei determinationem non requireret quæſtio propoſita. Non enim quæſierant vtrum nulla ex cauſa liceret dimittere, verùm vtrùm liceret dimittere vxorem quacunque ex cauſa. Ad quam ſufficiebat reſponſio, qua determinaretur, quòd

non quacunque ex cauſa liceret dimittere vxorem: verùm ampliùs reſpondet dominus, docens nullam eſſe cauſam dimittendi, & aliam ducendi, niſi fortè, fornicationis cauſa,ſuper qua ferre iudicium ſuum ſuperſedit, quòd veritatis,præterquàm quòd indigni eſſent audire,vt qui non ad diſcendum, ſed ad tentandum venerant) capaces non eſſent. Vnde propoſitio hæc nõ eſt exceptiua:id quod etiam ex regulis Dialecticorum liquet: quoniam particula exceptiua includitur intra partes ſubiecti, vnde non refertur ad prædicatum principale propoſitionis, ſed eſt de exceptiua parte ſubiecti, imò veriùs nulla ſignificatur exceptio: ſed(niſi)accipitur negatiuè,pro(ſi non)non autem exceptiuè. Atque hanc eſſe veram domini ſententiam etiam ex circũſtantijs palàm colligitur: ſequitur enim mox poſt hæc verba generaliter & diſtinctè. Et qui dimiſſam duxerit,mœchatur. Quòd ſi dicas hîc exceptionem ex ſuperioribus intelligendam, vt videlicet intelligatur, & qui dimiſſam duxerit, niſi ob cauſam fornicationis ea dimiſſa ſit, mœchatur: vnde non ſequitur mœchari eum, qui duxerit dimiſſam ob cauſam fornicationis. Sed quis eſt tam abſurdus (inquit Do. Auguſtinus mox poſt verba ex ipſo adducta) vt mœchum neget eſſe eum,qui duxerit eam, quam maritus propter fornicationis cauſam abiecit? cùm mœchum dicat eum, qui duxerit eam, quæ præter cauſam fornicationis abiecta eſt,ſic enim melioris conditionis foret mulier improba propter fornicationis cauſam iuſtè dimiſſa,quàm mulier proba propter mariti improbitatem iniuſtè dimiſſa & expulſa.Ad hæc ſi dicta à domino Saluatore præcedentia apud Matthæum conſyderes,manifeſtum eſt quòd concludunt
nulla

nulla ex cauſa poſſe cum altera cõtrahi priore ſuperſtite: nam paulò antè ex ipſa inſtitutione matrimonij concluſerat matrimonium ſimpliciter non poſſe per vllum hominem diſſolui: quoniam enim ab initio fecerat Deus maſculum & fœminam, vbi ſignificatur propagationis officium, ad quod ſic conditi ſunt, & dixit, Propter hoc, quia ſcilicet conditi ſunt homines diuerſi ſexus, vt ſibi matrimonio iungantur ad propagationem generis humani: dimittet homo proinde & matrem, & adhærebit vxori ſuę: & erunt duo in carne vna, intulit dominus. Itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro, ideſt velut vnus homo cenſebuntur. Deinde nec illo cõtentus expreſſiùs ſignificauit indiſſolubilitatem matrimonij, ſubinferens & concludens. Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet. Atque hoc ipſum Pharizęi intelligentes ſtatim obijciunt ei ſuum Moſen: vbi eorum obiectioni reſpondens nihil aduerſatur ijs, quæ priùs dixerat, ſed prudenter ſic temperat ſermonem ſuum, vt & eorum quæſtioni abunde ſatisfaciat: & ne ampliùs ſine fructu eos exaggeret, veritatem cuius ipſi capaces non erant, eis celet. Interim tamen alibi apud eos qui capaces erant, id palàm docuit: atque hoc etiam diligenter ipſe Aug. aduertit & annotauit. Vndè ſubdit in præfato capite. Sed ſi hoc euangeliſta Matth. qui expreſſa vna ſpecie alteram tacuit, facit ad intelligendum difficile, nunquid non alij generaliter idipſum ita complexi ſunt, vt de vtroque poſſet intelligi? Nam ſecundum Marcum ſic ſcriptum eſt. Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, & alteram duxerit, adulterium committit ſuper eam: & ſi vxor dimiſerit virum, & alij nupſerit, mœchatur. Vides ſimpliciter & abſolutè enunciari citra vl- *Mar. 10.*

lam prorſus exceptionem: vbi & hoc imprimis aduerſione dignum eſt, quòd iterum in domo à diſcipulis interrogatus eſt de eodem, quod Pharizæis interrogantibus reſponderat: vt intelligas quòd reſponſum ſuum datum Pharizæis veriùs explicat diſcipulis, qui digni erant, quibus pateſieret veritas: ne fortè erroris anſam ſumerent ex interpoſita illa fornicationis cauſſa, in reſponſione ad obiectionem Pharizæorum: quæ res etiam fortaſſis mouerat diſcipulos, vt dominum iterum ſuper eodem priuatim interrogarent, atque ob id, ipſam nudam & ſimplicem veritatem tradit, ſine vlla vllius exceptionis à lege vniuerſali, aut ſignificatione, aut diſſimulatione. Eodem quoque modo apud Lucam xvj.c. ſimpliciter & generaliter effertur. Omnis qui dimiſerit vxorem ſuam, & alterã ducit, mœchatur: & qui dimiſſam à viro ducit, mœchatur. Qui ergo nos ſumus, vt dicamus (inquit D.Aug.) eſt, qui mœchatur vxore ſua dimiſſa, alterã ducens, & eſt qui hoc faciens nõ mœchatur: quum Euangeliũ dicat, omnem mœchari, qui hoc facit? Proinde ſi quicunque hoc fecerit, vt vxore ſua dimiſſa, alteramque ducat, mœchatur, ſine dubio ibi ſunt ambo: & qui præter, & qui propter cauſam fornicationis dimittũt vxores, hoc eſt enim, quicunq; dimiſerit vxorem, id eſt omnis qui dimiſerit. Atq; hoc ipſum palàm demonſtrant quæ ſuprà adduximus præcedenti articulo ex Apoſtolo Paulo, ad Rom. vij. & j.Cor. vij. quę omnia ſimul iuncta rem faciunt euidentiſſimã, vt non habeat vel proteruus quiſpiam vllum apparentis contradictionis fucum. At rurſus obijciunt aduerſarij. Nemo cogitur eſſe cœlebs: cùm cœlibatus res conſilij ſit, & quibuſdam impoſſibilis: quomodo ergo non per-

permittetur alteram ducere, qui priorem iuſtè dimi-ſit,& cum illa non velit reconciliari,aut fortè non debeat, aut poſſit admitti ad reconciliationem? Verùm hæc ipſa obiecit quondam Pollentius Auguſtino: & certè ſi ſuo Luthero crederent,huius obiectionis ſolutionem facilè aduerterent: nullam enim admittit iuſtam cauſationem ei, qui propter captiuitatem vxoris, ſiue ob morbum aliquem etiam perpetuum,quo impotens fit reddendi debitum, dicit ſe aliam poſſe aut debere ducere,eò quòd nequeat continere,verùm huic ſanum dat conſilium,vt ad preces cõfugiat,quibus à Deo impetret donum continentiæ: hinc ſi id ſedulò præſtet, non dubitat polliceri etiam perpetuam continentiam ac caſtitatem, citra vxoris vſum. Sed audiamus Pollentium has querelas, quas hi ipſi repetunt,exponentem.Continenter(inquit)viuere paucorum eſt:& ideo qui fornicantes coniuges dimiſerunt, quoniam non poſſunt reconciliari, tantùm ſe vident periclitari, vt legem Chriſti non humanam ſed ferialem pronuncient. Audi quid ad hæc Auguſ. reſpondeat.O frater(inquit) quantum ad incontinentes pertinet, multas querelas habere poſſunt, quibus, vt dicis,legem Chriſti ferialem pronuncient non humanam, & tamen non propter illos Euangelium Chriſti peruertere vel mutare debemus: te quippe ſola eorũ querela permouet, qui coniuges intercedente cauſa fornicationis dimittunt, ſi alias ducere non ſinantur: quoniam continere paucorum eſt, atque ad id laude debent exhortari,nõ lege cõpelli: itaque ſi dimiſſa adultera,non ducitur altera, iuſtam querelam, ſicut putas habebit hominũ incontinentia. Sed attende, quàmplura ſunt, vbi ſi querelas incontinentium

Luth. ri ſanũ cõſilium.

Li.ij.c.10.

velimus admittere, neceſſe nobis erit adulteria fienda permittere. Quid ſi enim aliquo diuturno & inſanabili morbo corporis tenetur coniunx, quo concubitus impediatur? Quid ſi captiuitas vel lis aliqua ſeparet, ita vt ſciat maritus viuere vxorem, cuius ſibi copia denegatur: cenſéſne admittenda incontinentium murmura, & permittenda adulteria? Quid in hoc ipſo, vnde interrogatus eſt dominus, reſponditque fieri non debere, ſed ad duritiam cordis illorum Moſen permiſiſſe dari libellum repudij: & quacũque cauſa dimittere coniugem: nonne lex Chriſti incontinentibus diſplicet, qui vxores litigioſas, iniurioſas, imperioſas, faſtidioſas, & ad reddendum debitum coniugale difficillimas, repudio interpoſito abijcere volunt, & alias ducere? Iam ergo quia horum incontinentia legem Chriſti horruit, ad eorum ne lex Chriſti arbitrium commutanda eſt? Iam porrò ſi maritum relinquat vxor, vel maritus vxorem, non cauſa fornicationis, ſed potius continentiæ, ſitque incontinens, cui repudium propter hoc datur: quæro vtrum non erit adulter vel adultera ſi alteri copuletur? Si non erit, dicitur, domino contradicitur, cuius hæc verba ſunt. Dictum eſt autem. Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, det illi libellum repudij: ego autem dico. Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, excepta cauſa fornicationis, facit eam mœchari: & qui dimiſſam duxerit, adulterat: ecce dimiſſa eſt, & non dimiſit: & quia continere paucorum eſt, incontinentiæ ceſſit, & nupſit: & tamen adulter adulteram duxit, ambo rei, ambo damnãdi ſunt, & quę nupſit viuo marito, & qui duxit eã cuius maritus viuit. Nunquid hîc legem Chriſti dicimus inhumanam, qua conſtituitur rea tanti criminis,

atque

atq; punitur,quã vir nulla eius precedente fornicatione dimiſit,& quia paucorum eſt continere,dimittendo compulit nubere?Cur non dicimus habendum eſſe pro mortuo,qui malè dimittendo, prior coniugale vinculum rupit?Nam qua ratione dicturus es eum rupiſſe vinculum coniugale, qui licèt ſit mœchus, non tamen dimiſit vxorem,& eum non rupiſſe, qui etiam caſtam dimiſit vxorẽ? Ego autẽ dico in vtroq; manere hoc vinculũ,quo mulier alligata eſt,quãdiu vir eius viuit.Nunc de querelis incontinentium diſputamus. Quid enim videtur iuſtius, huius mulieris querelas quæ dicit,Dimiſſa ſum, non dimiſi,& quoniam continere paucorum eſt,non me continui, ne fornicarer, nupſi,& dicor mœchata,quia nupſi? Nũquid propter huius quaſi iuſtã querelam, legem cenſebimus immutandam eſſe diuinam, vt iſtã non iudicemus adulterã? Abſit. Hact. Aug. Idem habet xix.eiuſdem libri. Hos igitur alloquor, inquit, (de huiuſmodi querulosis loquens,) vt quod facere deberent, ſi haberent coniuges diuturno languore marceſcentes, vel loco ſibi inacceſſibili abſentes, vel animoſitate illicita continentes, hoc faciant,ſi habuerint coniuges adulterina inquinatione ſordentes, & propter hoc à ſuo conſortio diuortiantes,non alia quærant coniugia,quia non erunt cõiugia,ſed adulteria:quum enim par forma ſit in hoc vinculo viri & vxoris, ſicut vxor viuente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro:ita & vir viuente vxore vocabitur adulter, ſi fuerit cum alia muliere. Et paucis interpoſitis. Non eos terreat ſarcina continentiæ,leuis erit,ſi Chriſti erit: Chriſti erit,ſi fides aderit,quæ impetrat à iubente quod iuſſerat.Non eos frangat, quòd eorum continentia vi-

detur neceſſitatis eſſe, non voluntatis: quia & illi qui illam voluntatẽ delegerunt, fecerunt eam eſſe neceſſitatis, quoniam vam ſine damnatione ab illa deuiari non poſſunt: & qui in eam neceſſitatem conſtruſi ſunt, faciunt eam eſſe voluntatis, ſi non de ſeipſis, ſed de illo, à quo bonum omne eſt, confidunt. Hac̃t. ille. Ex quo diſcimus, quàm nihil iuſtæ querelæ prætexant, qui dimiſſa vxore fornicante alteram ducere non permittuntur. Nunc ad alterum argumentum reſpondeamus: vbi in primis hoc aduertendum, nullius commentario plus tribuendũ, quàm textui: proinde cùm manifeſtum ſit ex textu non haberi viro licere aliam ducere priore dimiſſa. Neque enim ob id continuò putandus eſt hoc Paulus affirmare, quia id expreſsè non negat: vt interim omittamus, quod ſatis apertè innuit, ſuam de hac re ſententiam, cùm id palàm neget mulieri licere (nubere videlicet alteri) cuius (quod ad hanc rem attinet) æqualem priùs eſſe cum viro conditionem docuerat, dicens. Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier. Iſtud diligenter annotauit B. Augu. lib. j. capit. v. ad Pollent. Dedit (inquiens) intelligi talem formam etiam in viro eſſe ſeruandam, quoniam non ſolùm mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed nec vir ſui corporis poteſtatem habet, ſed mulier. Hinc apud Matt. de viro dominus expreſſit, de muliere autem nihil expreſſis verbis implicitè definiuit, relinquens tamen ex præmiſſa deductione (in qua eos pares quoad hanc rem fecerat) eodem modo ſentiendum de muliere, quòd ſi virum dimitteret, & alteri nuberet, mœcharetur. Proinde ſi qui Commen. ſecus habeant, eos

pa-

palàm aduerſari Apoſtolo manifeſtè liquet: neque in hoc,eorũ ſequenda eſt ſententia. Ad Commentariũ verò D. Amb. reſponſuri, vt interim omittamus, quòd nõ improbabiliter ſuſpicatur Lombardus & Gratianus, eam partem inſertam eſſe eius commentarijs à falſario quodam, quum alijs in locis palàm oppoſitum doceat, vt mox videbimus: nobis tamen videtur poſſe ſaluari, quod ibi habetur, ſi intelligatur D. Ambro. loqui non de lege Chriſti ceu diuina, verùm de lege ciuili, ceu imperiali, iuxta quam manifeſtum eſt non ita conſtringi mulierem vt virum: ea ſiquidem lex permittebat viro & vxorem dimittere, & aliam ducere, nõ autem proinde mulieri; verùm hæc lex aduerſatur diuinæ & naturali legi, iuxta quam pares ſunt coniuges quo ad hanc rem attinet. Nam quòd vir caput vxoris ſit, & Dominus non arguit, tamen hac in re plus iuris habere; verùm in alijs quæ ad rem pertinent familiarem. Do. igitur Ambr. ſpectans tam ad Pauli tempora, quàm ad ſua etiam, quo tempore needũ penitus deſtitutæ erant rigore ſuo leges illæ Imperiales, quamuis Euangelio repugnantes, ſcribit Paulum ob id certo ſtudio ſubticuiſſe, de viro, qui de muliere præmiſerat, nempe quòd ſi à marito diſcederet, innupta maneret: vt videlicet tunc temporis videret legem publicam Imperatoris, ſub quo viuebant, cuiuſque legibus adhuc vtebantur, & gubernabantur Corinthij. Nec iudicabat expedire palàm & expreſsè legem illam damnare, ſed ad tempus diſſimulare, donec ſucceſſu temporis capaciores fierent veritatis. Neque confictam aut extortam eſſe hanc Do. Ambr. ſententiã liquet ex eo, quod ipſe alijs locis iſtud apertè tradat, & velut ſeipſum interpretetur. Nam in commſuper

ca.Luc.xvj.circa illud.Qui dimittit vxorem & alteram ducit, mœchatur, ſic virum alloquitur. Dimittis ergo vxorem,quaſi iure id tibi liceat, quia lex humana id non prohibet:qui hominibus obſequeris,Deum vererere.Audi legem domini, cui obſequuntur etiam qui leges ferunt. Quæ Deus coniunxit, homo non ſeparet.Quare illo loco,vt patet, intellexit planè vtrique coniugi ablatam ex æquo facultatem contrahendi cum alio,viuo priore. Idem habetur in commen.c.vij. ad Rom.item li.x.de Abraham,c.iiij.Vides itaque conſtantem D.Amb.ſententiam, qua tradit,viro nõ licere hac in re, quod non licet mulieri. Vnde etiam nullus aduerſariorum eam pro ſe adduxit, quoniam non dubitauerunt Ambr.in alia eſſe ſententia, quàm ipſa verborum ſpecies præ ſe ferre poſſet. Certè ſi ea fuiſſet Amb.ſententia, quam prætendit agrumentũ, neq; Pollentius in ſuis ſcriptis id diſſimulaſſet. huius ſiquidem authoritas non paruum ſuæ ſententiæ patrocinium contuliſſet:neque Auguſti.ſilentio prçterijſſet, cùm hanc totam rem diligentiſſimè tractârit. Fuit enim egregius perſcrutator ſcriptorum Do. Ambroſij, ſicut ex eius libris conſtat. Interdum enim ſi quid in eo,quod aduerſari ſuæ ſententiæ videatur, non diſſimulat,verùm illud exponit, vel reuerenter eum excuſit: quemadmodum cùm contra cæleſtium agit, ſententiam producit, quæ ſuæ ſententiæ prima facie aduerſari videtur:ſed ex alijs locis eiuſdem oſtendit aliud accipiendum in verbis, quàm prima ſpecies præ ſe ferat. Ad hæc cùm ea quæſtio vſque adeò obſcura fuerit eo tempore,vt venialem duntaxat putent errorem, qui circa ipſam contigiſſet, non abſurdum foret etiam dicere,quod tamen falſum demonſtrauimus, ſi

dicere

diceretur D.Amb.veniali correptũ fuiſſe errore: quod & Cypria.accidit, circa baptiſma ab hæreticis collatũ. Nunc paucis explicabimus poſteriorem partem articuli,in qua vetatur pluralitas vxorum tempore Euangelij reuelati: non ſuſcipimus autem hoc loco diſputandum,an legi naturæ repugnet vxorum pluralitas, quod licèt exiſtimet Do. Thom. non improbabiliter tamen alij oppoſitum opinantur. Certè conſtat Philoſophos (quanquàm in ijs quæ naturale dictamen rationis concernunt) perſpicaciſſimos, hanc non improbaſſe.Nam & Cicero,prout Do. Hierony.refert li. j.aduerſus Iouinianum,ſecundam admiſit vxorem,repudiata Tullia.Similiter & Socrates plures legitur habuiſſe. Attamen ipſa natura ſaltem indecens hoc dictat tam diuortium, quàm vxorum pluralitas. Atque ob id hæc duò in ipſa inſtitutione matrimonij facta à domino in Paradiſo palàm expreſſa,atq; vetita. Quapropter lib. primo de voto & voti redemptione hæc non ad naturam matrimonij, ſed ad eius inſtitutionem factam à domino, quam in noua lege Chriſtus reuocat, ex ea deducens quæ Conditiones debeant deinceps competere matrimonio, videlicet quas habuit ab initio,dum à domino inſtitueretur:vbi legitur dominus maſculum & fœminã creaſſe eos,nõ maſculos & fœminas,aut maſculos & fœminam, neq; maſculum & fœminas: quo ſignificatur vnam duntaxat vni debere matrimonio iungi.Vnde mox ſubditur ex verbo domini.Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit non vxoribus ſuis, ſed vxori ſuæ.Et rurſus,& erunt non tres,aut quatuor, ſed duo in carne vna. Ex quibus verbis palàm liquet ex inſtitutione matrimonij non admittere vni viro plures vxores,vt nec vni vxori plures viros.Atqui hæc inſtitu-

tio à domino renouata eſt, in noua lege: quare repugnat Dei & Chriſti inſtitutioni in noua lege pluralitas vxorum, atq; ſancta & Apoſtolica ſedes palā fecit, atque ſanciuit: prout decreti verba citantur in capitulo *Argumentū.* Gaudemus, de diuortijs. Quòd ſi obijcias quoſdam Chriſtianos Imperatores, vt de Valentiniano legitur in Euſeb. permiſiſſe licentiam ducendi plures, Reſpondemus, quòd ad factum Valentiniani attinet, eius permiſſionem aduerſari Euangelicis & Apoſtolicis literis: & neque fieri potuit, vt ex malo fonte bonus ſcaturiret riuulus. Huius autem rei cauſa fuit libido, qua exardeſcebat in Iuſtinam, quam cùm ſine reprehenſione videret ſe habere non poſſe, permiſit alijs ſimilem, quam ipſe deſyderabat, libertatem: qua multitudo errantium pareret errori eius, qualecunq; patrocinium, ceu potiùs quo licitum putaretur, quòd non à ſe ſolo cerneretur factum. Et neq; mirum eſt, ꝙ in hunc errorem prolabi à domino ſit permiſſus, qui diſcedens à catholica fide plus ęquo fauebat Arrianis.

ARTICVLVS VIGESIMVS.

De impedimentis matrimonij.

MATRIMONIA contracta contra Canones ipſa dirimentes, ſimpliciter ſunt irrita & nulla.

CIRCA huius articuli declarationem in primis aduertendum eſt duplices eſſe Canones tractantes de impedimētis matrimonij. Quidam enim ſunt qui duntaxat prohibēt matrimonium contrahendum, ſed non dirimunt contractum: veluti ſunt illi, qui de ijs agunt, quæ tantùm ſpectant ad ſolennitatem matrimonij. Alij verò ſunt, qui non ſolùm

prohib

prohibent contrahendum, verùm etiam dirimunt contractum, quando videlicet tangunt impedimenta aduerſantia ſubſtantiæ matrimonij. Aduertendum enim, quòd quemadmodum in reliquis ſacramentis quædam ſunt quæ ſpectant ad ſubſtantiam ſacramēti, alia quæ duntaxat ad celebritatem, ita etiam & in ſacramento matrimonij: verbi gratia, de ſubſtātia matrimonij ſunt liber conſenſus viri & mulieris, quo mutua poteſtas corporum traditur: item legitimę perſonæ. Quæ igitur aduerſantur conſenſui, aut eius libertati, aut traditioni poteſtatis corporis proprij, aut perſonarum legitimationi, hæc dirimunt matrimonium contractum, id eſt, efficiunt, vt nullum ſit matrimonium: quamuis tentent contrahere, ij, qui huiuſmodi impedimentis irretiti ſunt. Neque enim eſt ibi propriè dicta diremptio: ſi quidem matrimonium ſemel legitimè contractum inter Chriſtianos, maximè ſi conſummatum fuerit, diſſolui non poteſt, vt ſuprà oſtenſum eſt, neque dirimi, cuiuſcunque etiam accedat authoritas, etiam ſi totius eccleſiæ: manet enim in æternum domini ſententia, Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet. Secundò aduertendum, quòd inter iſta impedimenta ſiue prioris, ſiue poſterioris generis, quædam ſunt quæ etiam ex iure naturali aut diuino impediunt contrahendum, aut dirimunt contractum, veluti votum perpetuæ continentiæ, ſeruitus autem eodem ſimul, & naturali iure dirimit contractum. Quædam verò ſunt, quibus ex iure poſitiuo ſuperaddito hoc competit: quanquam oportet etiam hæc iura inniti iuris naturalis aut diuini ęquitati. Eiuſmodi eſt ſecundum veriſimiliorem ſententiam ordo ſacer: non enim videtur eſſe ex iure diuino præceptiuo, quòd ſacerdos non poſſit contrahere matri-

monium,quanquam omnino deceat ſecũdum ius diuinum vt neque contrahat, neque poſſit contrahere: atq; ob id dicit D.Tho. & alij eius ſequaces, quod eſt ex iure diuino initiatiuè, ſiue diſpoſitiuè tantùm. Ex quo ſequitur quòd ob grauiſſimam aliquam cauſam Pontifex poſſit diſpenſare, veluti eſt ſpes magna reducendi patriam in hæreſim lapſam ad eccleſiæ gremiũ: ob quam conniuere videtur ſummus Pont. vt ſacerdotes,qui in Germania contraxerunt, non ſeparentur à ſuis. Simile quidem eſt de grãdibus conſanguinitatis.Item & de imparitate coniugij, qua fidelis contrahit cum infideli. Et rurſus de impotentia coẽundi, quanquàm magis dubium ſit, ánne hæc ex ipſo iure diuino aut naturali impediant contrahendum & dirimant contractum. His præmiſſis articulum probamus hac ratione.Contractus reliqui, quicunque fiunt contra leges ipſos dirimentes ſunt irriti,inanes & nulli.Igitur neque contractus matrimonialis erit validus, ſi initus ſit contra diſpoſitionem legis ipſam dirimentis: quare ſi contra Canones matrimonium dirimentes attentent aliqui contrahere, irritum erit & nullum matrimonium. Antecedens patet de contractibus factis contra diſpoſitionem legum ſiue ciuilium, ſiue eccleſiaſticarum: quorum quidam ſunt irriti, alij verò facti tenent, ſed tamen malè & non ſine peccato fiunt, veluti ſi duntaxat ſint prohibiti, ſed non irritati. Exemplum prioris. Si quis vendat aut emat aliquid ab eo,qui adhuc ſubeſt poteſtati paternæ.Item ſi quis citra iuſtam cauſam exhęredet filium ſuum,aut inſtituat alienum. Exemplum ſecundi,ſi quis die feſto emat,aut vendat, paciſcatur, locet, cõducat domum,aut quippiam ſimile. Competit autem poteſtas condendi huiuſmodi leges magiſtratui

ſæc

ſœculari & eccleſiaſtico, ex iure diuino: ex quo enim præfecti ſunt populo ad regimen(ſicut eccleſiaſticos præſides præficit dominus, & præficiendos ſœculares tam ipſe quàm naturale rationis dictamen demõſtrauit) ſtatim conſequitur eſſe per media conuenientia perducere populum ad finem, propter quem conſequendum coadiuuantur. Iſtud autẽ cùm nequeat fieri, niſi adhibeantur variæ leges, ſtatuta &c. mox euidens fit his oportere magiſtratum vti in regendo populo ſibi commiſſo, prout viderit cõgruere fini, quem ſpectare dicitur, ſiue is ſit naturalis tantùm, ciuilis & politicus: veluti eſt pax & cõcordia inter ciues, & vtilitas temporalis Reibu. ſiue ſpiritualis, qui eſt, vt populus continuatur in timore, amore & vero cultu Dei, quorum hũc ſpectat eccleſiaſticus magiſtratus, illum autem ſœcularis, inquantum huiuſmodi. Ex quibus liquet hos magiſtratus habere poteſtatem diſponendi atq; adeò leges condendi, quas obſeruent ſubditi in contractibus ſuis: cùm ex his potiſſimùm pendeat cõcordia communitatis. Verùm inter contractus præcipui ſunt matrimoniales, quòd hi in primis ſint totius amicitiæ humanæ ſeminarium, imò vnicum communitatis conſeruandæ, & augmentandæ principium: quapropter conuenit, vt penes magiſtratum ſit authoritas de his diſponendi. Quòd ſi addas cõtractus iſtos matrimoniales in chriſtiano populo nõ naturales tantùm eſſe, ſed de genere ſupernaturalium, tum propter rationem ſacramenti accedenti contractibus, tum vt finem propter quem ineuntur: vt videlicet fiat multiplicatio populi Dei, perſpicuè videbis maximè ad magiſtratum eccleſiaſticũ ſpectare leges & canones condere, quibus ita ordinentur matrimonia in populo Chriſtiano, vt ſuo fini congruant. Ad magiſtratum

verò ſæcularem videntur duntaxat ſpectare ea, quæ concernunt finem naturalem, cui ſeruiunt matrimonia. Verbi gratia. Quanquam neque ius naturæ, neque lex Dei poſitiuè matrimonium contrahendum inter cognatos prohibeat, neque etiam dirimat contractum:tamen quoniam hoc & honeſtas requirit, & amicitiæ diffuſio poſtulat, prout etiam ipſi Philoſophi agnouerunt. Ariſt.ij. Politic. & Plutarc. in problemat. ſuis: ideo iuſtiſſima ratione ſancitum eſt ab eccleſia, ne non ſolùm inter hos contractus fiant matrimoniales, verùm etiam vt ſi attentati fuerint, nulli habeantur. Qua de re pulchrè D. Auguſtin. lib. xv. de ciui. Dei cap. xvj. Quod quidem cùm latere non poſſet aduerſarios, decentiſſimum eſſe, & Reip. bono neceſſarium, maluerunt in Iudaiſmum cadere, quàm admittere penes eccleſiam eſſe poteſtatem quippiam hac de re ſtatuendi. Vnde tradit Lutherus præter gradus iure naturæ prohibitos etiam eos eximendos, quos dominus exemit, Leuiti xviij. reliquaque quæ ibi præſcribuntur dat eſſe obſeruanda, vſq; adeò vt etiam non vereatur ſcribere. Si frater moriatur ſine prolibus, teneri fratrē ad ſuſcitandum ei ſemen, etiam ſi alteri matrimonio iungatur vxori: quemadmodū patet in lib. quem ſcripſit de bigamia Epiſcoporum. Vbi vides, quantū exercet mentem eius inſuperabile odium, quod concepit aduerſus eccleſiæ præſidē Rom. Pont. vt potiùs quiduis patiatur etiam redigi in ſeruitutem legis Moſaicæ, quàm eum velit agnoſcere, eiq; obedientiam pręſtare. Neq; iſta dum ſtatuit eccleſia, nubere prohibet, vt ipſi calumniātur, quemadmodū nec Moſes: imò dominus per Moſen nubere prohibebat, dum illos gradibus affinitatis cōiunctos arcebat à mutuis matrimonijs, verùm miſericordiam legitimā matrimonij determina-

bat,

bat, prout videbat congruere bono reipud. & ne naturalis honeſtas violaretur vllo modo. Rurſus, neque quicquam immutat circa ſacramentum, quoniam non de ſubſtantia ſacramenti quicquam diſponit, ſed de contractu cui accedit ratio ſacramenti à domino ſuperaddita, pro ſtatu nouæ legis. Neque etiam ſeparat, quod Deus coniunxit: vt patet ex ijs, quæ ſuprà diximus, declarantes quo ſenſu Canones dirimant contracta matrimonia. Sed nec non ſunt iſti Canones, verùm à primis temporibus eccleſiæ obſeruati: quemadmodum patet ex ijs, quæ tradit Magiſter diſt. xxx. & xxxj. iiij. ſententiarũ. Imperatores quoq; nõ Chriſtianos modò, ſed etiã Aethnicos ſimilia cõdidiſſe ſtatuta liquet, tam ex loco mox citato D. Auguſtin. quam Amb. Epiſtola. lxvj. quæ eſt ad Paternum.

ARTICVLVS VIGESIMVS PRIMVS.

FIRMA fide tenendum eſt, vnam eſſe in terris veram atq; catholicam Chriſti eccleſiam, eanq; viſibilem, quæ ab Apoſtolis fundata eſt: & in hanc vſq; noſtram durans ætatem, retinet ac ſuſcipit, quicquid de fide & religione tradit, tradidit, vel traditura eſt Cathedra Petri, ſuper quã ita à Chriſto ſuo ſponſo eſt ædificata, vt in his quæ fidei ſunt & religionis, errare non poſsit.

PRÆSENS articulus eiuſmodi eſt, vt ſi in eo nobiſcum conuenirent aduerſarij, nulli negotio ſopirentur quæcunq; inter nos & ipſos exiſtũt cõtrouerſiæ: ſi quidem tribunal conſtitutũ foret, in quo vtrique veniremus iudicandi. Principiò igitur omnium docet vnam eſſe in terris verã Chriſti

eccleſiam, id quod præterquam quod docēt ſcripturæ innumeræ, manifeſtum habetur ex confeſſione ſymboli Niceni, vbi ſupra id quod expreſſerat ſymbolum Apoſtolicum, adiecit non modò ſanctā eſſe & catholicam eccleſiam, verùm inſuper vnam eam eſſe necnō Apoſtolicam. Vna autem eſt, non quidem quòd ijſdē conſtet membris, ex quibus olim in ſui initio fuit cōpoſita, verùm vna eſt propter vnitatem doctrinæ, atq; ordinis, quam in ea ab initio conſtituit qui eam ædificauit. Quemadmodū regnum aliquod vnum, aut ciuitas vna & eadem dicitur, non q̄ ſemper ex ijſdem cōſtet hominibus, ſed quoniam prioribus decedentibus continuò alij ſuccedunt, ſuſcipientes eaſdem leges, & eandem viuendi rationem. Sic vnus fuit Iudæorū populus, vnum regnum Iſrael, dum alijs migrantibus ex hoc ſæculo, alij ſuccedebant vitæ rationem eam tenētes, quam à patribus acceperant. Verùm non quēadmodum nunc non eſt cuiquā ſpes ſalutis extra eccleſiam, ita tunc ſpe ſalutis carebant, qui ſub Iudæorū ſynagoga nō continebantur. Nam & Iob vir erat in terra Hus ſimplex, rectus ac timens Deum: plures quoq; alios non defuiſſe, (quanquàm ſcriptura huius vnius duntaxat meminerit) teſtis eſt tam Aug. xviij. de ciuitate Dei, ca. xlvij. quàm multò ante eū Dion. areopag. Ad hunc igitur modum & ipſa Chriſti eccleſia ex quo cœpit ædificari vna & eadē eſt ac ſemper manſit; quāquàm enim complures ex ea deceſſerūt, alij per mortem corporalē, alij per hæreſim & ſchiſma, nōnulli per excōmunicationem ex ea eiecti ſunt: tamē ſemper his ſuccedunt alij, qui eandē amplectuntur doctrinam, & ſub eiuſdē paſtoris & vtilis rectoris obediētia vitam agunt, qui eodē ſpiritu viuificātur & gubernantur. Vnde quēadmodū nullus dicere dubitat hominē ſemper

manere

manere vnum & eundẽ quamdiu viuit ,& ſi fieri poſ-ſet,vt nullam eandem partẽ integralem retineat ſenex quam habuit iuuenis , dum præexiſtentes per continuam actionem caloris naturalis,tandem ſunt omnes defluxæ & deperditæ,alijs in earundem locum ſuccedentibus:tamen quoniam idem ſpiritus ſemper in eo remanet,ipſum viuificãs,in eſſe conſeruans,& augmẽtum in eo faciens,quouſque ipſum ad ſtatum perfectũ perduxerit:idem planè homo nũc eſt ſenex, qui quondam iuuenis: ita quis dubitauerit eandem eccleſiam, nõ obſtãte hac cõtinua partiũ ſucceſſione, cùm in eadem ſemper maneat idẽ ſpiritus ipſam viuificans,& in eſſe conſeruans?Et quemadmodũ rurſus in eodem homine cum eodem ſpiritu eædẽ ſemper ſiſtunt potentię, idẽ potentiarũ adinuicẽ ordo ipſorũq; membrorũ ſitus eſſentialis & immutatus,ita & in eccleſia per hũc ſpiritum conſeruãtur ijdem ordines in eccleſia, ijdem gradus,quorum alij alijs ſubordinantur: per quod fit, vt inter membra eccleſiæ ordo ſit, ſecundum quẽ alij ſubſunt,alij præſunt,omneſq; ad vnũ ſupremũ à quo vnitatis origo manat,reducuntur,generalem videlicet immediatum Chriſti vicarium,cui ipſe vniuerſam eccleſiam ſubiecit.Additur autem in articulo reſtrictiua particula (in terris) ad ſignandum diſcrimen huius eccleſiæ militantis ab ea quæ triũphat in cælis: quãuis enim ex ipſis duabus aliquomodo vna cõſtituta ſit eccleſia,tamen quoniã diuerſa eſt ratio adminiſtrationis vtriuſque,prout exigit diuerſus ſtatus earũ:hinc fit, vt duę non immeritò dicãtur,& quæ in terris adhuc degit à domino peregrina cũ hoſtibus cõflictatur,diſtinguitur ab ea,quę iã ſecura triũphat in cælis nõ ampliùs ambulans per fidem , ſed dominum ſuum videns facie ad faciem,eiuſque beata viſione perfruens.

Secunda pars articuli tradit non modò vnam, ſed & catholicã eſſe eccleſiam. Catholica autẽ dicitur eccleſia, hoc eſt vniuerſalis, quoniam nullis mundi terminis clauditur, nulli determinatæ nationi aſtringitur; ſed per vniuerſum orbem eſt diffuſa omnium nationum homines in ſe complectens, omnis generis ſexus conditionis, ætatis. In Chriſto enim Ieſu non eſt Iudæus, neque Græcus, non eſt maſculus neq; fœmina, nõ eſt ſeruus, neque liber, diues aut pauper, ſed omnes vnũ ſumus in illo, quotquot in illo baptizati ſumus: nõ enim eſt acceptio apud Deum. Sed in omni gente qui timet Deũ, & facit iuſtitiam, acceptus eſt illi. Hinc ipſe ſaluator mittens ſuos Apoſtolos ad congregandam eccleſiam, Ite (inquit) non in vnum aliquem locum orbis, ſed in mundũ vniuerſum, prædicate Euangeliũ: non vni alicui genti determinatæ, ſed omni creaturæ. Rurſus catholica eſt & vniuerſalis ratione temporis, quoniam ex quo cœpit, ſemper perdurat, & vſque in finem ſœculi perduraturam firmiter credimus. Verùm hac fide ſuppoſita, iam certò cognoſcere poteſt quiſquis apud quos maneat deinceps ea vera Chriſti eccleſia tunc cœpta ædificari: id quod ex ipſa ſola ſucceſſione & cõtinuatione euidens fit. Cùm enim vnica ſit Chriſti eccleſia, vſque in finem ſœculi duratura, nõ poteſt vera dici eccleſia, niſi quæ illi primæ à Chriſto in die Penthecoſtes erectæ ſecundum legitimam ſucceſſionis ſeriem continuatur, & adiungitur. Id quod pulchrè D. Augu. deducit tract. j. ſuper epiſtolam Ioannis. Ex quo ſtatim euidens fit Lutherũ cum ſuis ſequacibus, item Oecolampadium cum ſuis non pertinere ad veram Chriſti eccleſiam, quorũ hic à 50. annis cœpit, ille verò à 30. ſpargere ſua dogmata, in eccleſia catholica nunquàm anteà audita: vterq; tamẽ renatus in eccle

eccleſia,& in ea educatus,ſeipſos ſeparauerunt, & matrem ſuam,quæ ipſos genuerat,non ſolùm reliquerũt, verùm etiam ſuperbè ſpreuerunt, imò blaſphemauerunt,& adulterij accuſare nõ formidârunt. Quoniam igitur receſſerunt à ſocietate,quæ iuxta ſeriem ſucceſſionis ortum ducit ab illa eccleſia, quam indubitanter credimus ipſum (iuxta quod promiſerat) ædificaſſe,manifeſtum eſt neutrum eorũ eſſe in vera Chriſti eccleſia,ſeu ad eam pertinere.Hoc argumento ſem per vſi ſunt patres vniuerſi aduerſus hæreticos, quo irrefragabiliter omnes hęreſes ſuppullulantes funditus extirpârunt.Vide etiam Auguſtin. in epiſtol.ad Dardanum.Item Cyprian.in li.de ſimpli.prælatorũ. Item in epiſtol.ad Florentium. Quibus locis ſucceſsionem epiſcoporum adferunt tanquàm ſignũ euidens eccleſiæ perdurantis apud eos, qui agnoſcunt ſuccedentes hos epiſcopos,ſummos inquam, Pont.Petro ſuccedentes,quoniam ab initio ſuper Petrum Chriſtus ædificauit eccleſiam,eamque promiſit perpetuò permãſuram ſeque ac ſpiritum ſuum cum ea, ita vt nec inferorum portæ aduerſus eam præualerent. Quicunque igitur ab huius ſummi paſtoris obediẽtia & cura ſe ſubducũt, neque vocem audire volunt, hi certò cognoſcuntur ad ouile Chriſti non pertinere.Certè quidem fatemur eam eſſe duntaxat veram eccleſiam,in qua eſt ſyncera doctrina Chriſtiana,& rectus vſus ſacramentorum:verùm hæc duo non inconuenienter aſsignãtur,vt ſigna & notæ,quibus diſcernatur vera eccleſia,à falſa.Nam hoc ipſum eſt,quod in dubiũ reuocatur:apud quos ſit hæc vera doctrina,& quęnã ſit ſyncera doctrina Chriſtiana, certè compertũ eſt eã quam diximus,videlicet legitima ſucceſsione ortum ducentem ab illa primitiua eccleſia,quæ ex ſucceſsione eorũ, qui poſt Petrum

vicarij Chriſti in terrris fuêre ſemper imbutam fuiſſe ſana & incõcuſſa fide & doctrina, iuxta ſaluatoris promiſſum. Ex quo patet eam dirimi à conciliabulis hæreticorum, quæ à ſeipſis ortum habuêre: neque enim ei quę à Chriſto exordium habet & progreſſum coniungi eccleſiæ, ſed ab ea ſe diuidunt, ſibi nouam fidem, nouam viuendi formam & normam ex ſuo cerebro confingentes. Quod ſatis euidens argumentum etiam ipſi Auguſt. fuit, ad diſcernenda hæreticorum conuenticula à vera Chriſti eccleſia: vt patet in multis locis librorum eius, & maximè in l. ij. quem ſcripſit contra epiſtolam fundamenti, & in epiſt. ad Generoſum. Is nanque ſemper fuit mos hæreticorum, vt ſibi ſolis vendicare voluerint nomen eccleſiæ, & cæteros qui non ſecum conſentirent, ad eccleſiam pertinere negauerint. Verùm cùm ad ortum ipſarum hæreſeωn quis oculũ deflexerit, ſtatim conſpiciet alienas eas eſſe à vera doctrina eccleſiæ catholicæ, quæ ſemper vna & eadem permanſit ab initio conditionis ipſius. Aut certè ſi in longam interdum protrahere contingat temporum ſeriẽ ſuę doctrinæ principia, ea tamen non in vniuerſum orbem diſſeminata extitêre, ſed in vno aliquo orbis angulo. Qua de re pulchrè admodùm antiquus ſcriptor Vincen. Lirenen. in li. aduerſus prophanas nouationes. Habes igitur cur catholica dicatur Chriſti eccleſia, nẽpe ratione loci & perſonarum, & quia nullo loco concluditur, neque vlli hominum generi eſt aſtricta. Imò etiam nec bonos tantùm, verùm etiam & malos complectitur, imò etiam non rarò contingit hos eſſe præcipuas & primarias partes ædificij eccleſiæ (hoc eſt paſtores, doctores, aut alijs publicis officijs fungentes in eccleſia.) Quòd enim malicia non excludat credentes ab eccleſia, id ſcripturæ euidenter demonſtrant euangeli-

gelicæ parabolæ, quæ eccleſiã comparant ſagenæ cõgreganti ex omni genere piſcium. Item decem virginibus, quarum quinque erant fatuæ, & quinque prudentes. Rurſus conuiuio nuptiali &c. Hi in domo quidem ſunt (inquit Aug. lib. vij. contra Donatiſt.) verùm non ſunt ipſi domus Dei: neque enim Deus eos inhabitat: non eos poſſidet, non ijs iuxta voluntatem ſuã vtitur: verùm ipſi contra voluntatem Dei ſeipſis dum fruuntur, turpiter abutuntur, quapropter non ſunt domus Dei: quoniam quicunque domum habet, eam inhabitat, eam poſſidet, & prout vult vtitur. Chriſti autẽ dicitur hæc eccleſia, quoniam ipſe eſt caput eius: ipſe eſt, qui eam ædificauit, & in dies ædificat, qui eam ſuo ſpiritu viuificat, regit, & adminiſtrat. Sequitur declarãda tertia pars articuli, in qua dicitur hæc eccleſia eſſe viſibilis, non modò quia ex hominibus conſtat, qui viſibiles ſunt: verùm quoniam certò & euidenter cognoſcitur, quænam ſit ea congregatio hominũ, quæ veram Chriſti eccleſiam conſtituit. Viſibilem ortum habuit ipſa eccleſia in die Penthecoſtes, quo die cœpit primùm à Chriſto ędificari, dum in linguis igneis cecidit ſuper eos ſpirituſſanctus. Deinde illis pauculis adiuncti ſunt plures, quod etiam ſignis iſtis aliquãdiu etiam ad ſenſum videre licuit in primitiua eccleſia, & vſque in hodiernum diem, quanquam ceſſarint ſigna fidei iam ſatis confirmatiua, non tamen minùs euidenter cognoſcere licet, eam videlicet veram duntaxat eſſe Chriſti eccleſiam agnoſcebant, qui proximè ſecuti ſunt Apoſtolos, qui illi quam Apoſtoli rexerant adiungebantur, qui cum illa cõſentiebant in doctrina fidei & morum, quæ præpoſitos agnoſcebat, quos illi ſibi ſucceſſores reliquerant: & ita deinceps poſteriores agniti ſunt pertinere ad eccleſiam Chriſti, quoniam le-

gitima ſucceſſionis ſerie conglutinabantur ei, quæ ab ipſis Apoſtolis,atque ab ipſo Chriſto ortum habebat; conſentiens cum ea per omnia, & in ſe habens & ea ipſa quæ illi inſeruerant ecclesiæ doctrinam eandem; præpoſitos,gubernatores,& rectores,qui ſecundũ ſucceſſionis ſeriem ſucceſſere primis illis eccleſiæ rectoribus Chriſti videlicet Apoſtolicis,& præcipuè primo illi & ſupremo totius gregis dominici Petro. Vt ergo certò,& euidenter,& velut ad ſenſum cognoſci poteſt iſta ſucceſſio ſummorum Pont. ab Petro ſcilicet vſque ad eum,qui noſtro tempore gubernacula tenet, Paulum tertium,ita & ipſa ſucceſſio perpetua eccleſiarũ, imò eiuſmodi eccleſiæ nunquam intromiſſa cõtinuatio eſt,quod certè non minùs euidenter conſpici poteſt,quàm conſpicitur,quod ſit verum regnum Franciæ,aut quæ ſit vera Brabãtia,ceu quæ ſit vera ciuitas Louanium. At obijciet fortaſſis quiſpiã. Credimus ſanctam eccleſiam catholicam. Fides autem non eſt apparentiũ,quare non videtur rectè aſſeri,eccleſiam ipſam eſſe viſibilem. Ad quod reſpondemus,fatendũ eſſe hac in re aliquid eſſe ineuidẽs,quodque ſola fide cognoſci poteſt,nempe vnã eſſe aliquã eiuſmodi congregationem,quę ſit à Chriſto inſtituta & recta,& ſuper ipſum fundata,ac deinceps ipſius ſpiritu directa & gubernata &c. Non enim aliter quàm fide cognoſcere poſſumus ipſum ſpiritũſanctum deſcendiſſe in die Penthecoſtes ſuper Apoſtolos,& alijs cum eis ibi congregatis ibique Chriſtũ cœpiſſe ædificare eccleſiam ſuam,quę poſteà diffuſa eſt per vniuerſum orbẽ, cùm nec ipſum Chriſtum fuiſſe aliter quàm fide cognoſcamus. Additur poſthac in articulo: in hãc vſque noſtrã ætatem eã perdurare, non quidem per identitatem numeralem partium integralium,ſicut ſuprà diximus: ſed quonã

in partibus ſuccedentibus idem manet ſpiritus vegetans,ita vt ſit idem partium ordo, eædem functiones, eadem officia, gradus & dignitates, ſecundum quæ connexio ſit ordinata partium. De huius perpetua directione & amplitudine crebrò vaticinantur Prophetæ, Daniel.ij. Item Eſai. Hieremi. & Dauid frequenter & apertè. Sequitur demum hanc eccleſiam retinere & recipere quicquid de fide & religione tradit,& tradidit, & traditura eſt cathedra Petri: non dicimus, Quicquid tradit Petrus, verùm quicquid cathedra Petri tradit,idem ſedes Apoſtolica: vt intelligamus non perſonam Petri, aut ſucceſſorum eius, in ſe conſyderatorum: qui ſicut peccatis ſubiacere poſſunt multiplicibus,ita & ignorantiæ & errori in multis: qui proinde falſa vt ſentire ,ita & tradere poſſũt, in ijs etiam quæ fidem & mores concernũt. Verùm volumus conſyderari horũ cathedram, ideſt Apoſtolicam authoritatem,paſtorale munus,ratione cuius dicimus ipſos à fide nullo modo poſſe deficere:ita quòd ſedẽtes pro tribunali in negótio religionis nõ poſsint definire ceu fide credendũ tradere, quod à veritate ſit alienum.Vnde non perſonam Petri,ſunt intelligendæ ſpectare promiſsiones ipſi à Chriſto factæ (alioquin ipſo mortuo perijſſent)verùm paſtoralẽ eius authoritatẽ & curam, vt ad illos omnes ſpectare non dubitẽtur,quotquot ei in hoc munere paſtorali ſuccedunt. Vnde vehementer falluntur, qui offenſi vita ſummorum Pont.ob hoc eorum authoritati derogandũ putant.Attendere debent ij,quoniã & Cayphas licèt alioquin peſsimus, tamen quia Pont. erat,prophetauit.At tendere rurſus, quòd nõ modo Cayphæ,ſed omnibus Scribis & Pharizæis ſedentibus ſuper cathedrã Moyſi

obedire iubet,& tamen monet eorum opera diligenter cauere:quæ generalia fuerint,liquet ex hiſtoria euangelica.Non igitur perſona hominis aſpicienda,nō ſecundum faciem iudicandum : verùm agnoſcendus Chriſti vicarius,agnoſcenda vox Chriſti in eo loquentis,videlicet promiſſionem ſuam , & ſuſcipiendū eius verbum,non vt hominis verbū, ſed vt verè eſt verbū Dei, & ſpiritus in ipſo loquentis. Vide quid ſcripſerit ante annos quadringētos B.Bernard.in epiſtola ad Innocentium tertium,ſuo tempore Rom. Ponti. quantum tribuerit authoritatis,quantum fidei huic cathedræ: quàm firmiter credendum,quicquid illa definierit,quàm inuiolabiliter obſeruādum cenſuerit.Neque huius catholicæ ſententiæ vnicus Bern. tantùm teſtis eſt hac in re:ſed quotquot ante eū fuère catholici ſcriptores concordi ſententia idem ſentiunt & tradunt de hac cathedra,idque ex euidentibus & apertis ſcripturæ teſtimonijs,in quibus huius ſedis priuilegia nō obſcurè continentur, & magnificæ promiſſiones eidem factæ de fidei indefectibilitate.Oraui(inquit dominus) pro te Petre,vt non deficiat fides tua . Deinde vt intelligamus cur ei tantopere curæ fuit vnus præ ceteris, adiecit. Et tu aliquando conuerſus , confirma fratres tuos:quo ſignificauit ſe hanc ſtabilitatem fidei potiſſimùm impetraſſe:vt eſſet talis,qui reliquos eccleſiæ prę ſides,& per hos totam eccleſiam poſſet in fide confirmare . Vnde eccleſiæ quodammodo potiùs intelligi debet facta hęc promiſſio,quàm Petro:quoniam huic non niſi propter eccleſiam facta eſt,vnde eius perſona poteſt à fide deuiare,ſicut quibuſdam accidit : at non eius cathedra.

Tradit deinceps articulus eccleſiam hanc Chriſti

veram,quam vnam eſſe & catholicam, atque viſibilē demonſtrauimus (ab Apoſtolis eſſe fundatam) quod quidem non ſic intelligendum eſt,quaſi Apoſtoli eccleſiam ſuper fundamentum poſuerunt: hoc enim liquet nō eſſe verum, niſi intelligas quòd qui deinceps ſunt appoſiti illis primis, in quibus Chriſtus initio & per ſeipſum & ſpiritum ſuum ædificârat eccleſiam ſuā. Hi nanque omnes mediantibus Apoſtolis, Chriſto ſunt ſuperædificati: hinc eſt quòd Chriſtus vnicum ſit fundamentum primariū eccleſiæ.Duodecim Apoſtoli dicuntur nihilominus xij. fundamenta eiuſdem apoca. xxj. Imò præter hos etiam Prophetæ fundamenta dicuntur à Paulo ad Ephe.qui ſecundaria duntaxat fundamenta dicuntur,à ſcriptura,& innixa vno ſummo angulari lapidi Chriſto Ieſu, qui ſolus fundamentum eſt, præter quod nemo poteſt aliud ponere. Vide Auguſtinum ſuper illud Pſal. Fundamenta eius in montibus ſanctis. Quinimo nec ipſe Chriſtus homo inquantum homo à ſeipſo habuit, quòd funda mentum factus ſit huius ædificij, aut caput huius ſui corporis myſtici:hæc enim ſecuta ſunt gratiam hypoſtaticæ vnionis,quæ quidem mera gratia fuit, quæ ſub nullius merito cadere potuit: quemadmodum Auguſtinus docet in Euchri.& in li.de prędeſt.ſanctorum.Vide & Apoſtolum de eodē in Epiſto.Ad Hebr. vbi dicit,quòd Chriſtus non ſeipſum clarificauit, vt Pontifex fieret, verùm hunc honorem gratis citra vllum meritum detulit ei pater: qui quidem honor maximus eſt, nimirum qui nulli puræ creaturæ deferri poteſt.Per Apoſtolos verò prædicta eccleſia eſt ſtabilita ſuper Chriſtū, & firmata fundataq; vt fixa & inconcuſſa deinceps perſeueret vſque ad conſumma-

tionem ſœculi. Inſuper conſeruata, aucta & multiplicata, nec per Apoſtolos modò, verùm etiam per eorũ ſucceſſores, qui in labores eorum introierunt. Non enim ſolùm poſuit Deus in eccleſia Apoſtolos & Euãgeliſtas in ædificationem corporis ſui, verùm etiam doctores & Paſtores, nec in ipſo eius initio duntaxat, ſed vſque in conſummationem ſœculi, vt eorum miniſterio, prædicatione, exhortatione eccleſia cõſeruaretur, ſtabiliretur, & tandem conſummaretur, vt conſummata exhibeatur Deo patri per Chriſtũ, ſine ruga: cùm tradiderit ille regnum Deo & patri ſibi perfectè ſubactum. Quemadmodum enim initio Deus per ſeipſum condidit ſpecies rerum, animantia & plantas, hiſque indidit virtutẽ ſeminalem, qua ipſæ alias res ſibi ſimiles valerent producere ad conſeruationem ſui: ita in ipſo exordio naſcentis eccleſiæ, hanc ipſe per ſe ipſum immediatè extruxit, deinde huic virtutem indidit, qua ſe in eſſe conſeruaret, corroboraret, imò ad finem perduceret, ſic tamen vt non ſubtraxerit ſuam cooperationem: ſine hac enim neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, neque poterit humana induſtria vt ſapiens architectus fundamentum ponere, niſi incrementum det Deus. Niſi dominus ædificauerit & cuſtodierit domum, in vanum laborãt & vigilant, qui cuſtodiunt & ædificant eam. Non defuturum autem ſe in hoc ædificio vnquam ipſe qui cœpit, repromiſit dicens, Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationẽ ſœculi: ſed nec contentus illa ipſe corporali & viſibili præſentia, diſcedens non reliquit nos orphanos, ſed miſit ſpiritum ſuum, primùm quidem per Apoſtolos, deinde per eorum ſucceſſores, quorũ fidem nunquã defecturam ipſe claris verbis promiſit: ita tamẽ vt ipſi

confir

cõfirmarent fratres ſuos. Additur autẽ reſtrictiua particula (in ijs quæ ſunt fidei & religionis) vt intelligamus non omnia fide credenda, quæcunq; ab hac cathedra traduntur: quoniã nec ipſa vult omnibus fidẽ adhiberi certam & indubitatam. Quædam enim tradit tanquàm eiuſmodi, quæ nõ aduerſantur fidei. Veluti dum Gelaſius approbat opera, quæ compoſuerũt catholici patres, quorum multos nominatim recenſet: non tamen intendit omnia eſſe certa fide tenenda, quæcũnq; illi in ſuis ſcriptis tradiderunt, ſed duntaxat in his docet fidei pietatem non vacillare. Quædam item tradit hæc cathedra, velut probabilia duntaxat, ſuſcipienda: voluit quòd B. virgo concepta fuerit ſine originali peccato. Ad id genus etiam pertinere videtur Canonizatio ſanctorum, vt non ſtatim hæreticus habendus videatur, qui dubitat de eius ſanctitate, quẽ Canonizauit eccleſia, ſed ſuperbus, præſumptuoſusq;. Rurſus nonnulla ſunt quæ ex facto pẽdent, ſuper quibus definitio, quoniã pendet ex teſtimonijs & diſpoſitionibus hominũ, qui falli & fallere poſſunt, nõ eſt cõſentanea. Attamẽ neq; ob id huic citra iuſtam cauſam repugnare licet, cũ & in veteri lege morte mulctetur, qui noluerit obedire ſacerdotis imperio, ſedẽtis in hoc loco, quẽ elegerit dominus. Et quod mirum, cùm nec culpa vacet, qui cuiuſcunq; iudicis ſentẽtiæ parere recuſat, cuius nõ poteſt probari iniquitas, & fortaſſis reuera iniquus ſit. Si tanta præſidi illius veteris legis, imò ciuili iudici debetur obedientia, quomodo pœna vacabit & culpa, qui ſuperbus noluerit obedire vicario Chriſti? Sub his quæ ſunt fidei comprehendes, quæcunq; fidei opponuntur. Neque enim ſolùm credendum eſt ei definienti quippiam ad fidem pertinere,

verùm etiam dum definit quippiam fidei aduerſari, quia id tale eſſe indubitata fide credẽdum eſt:& idem iudicium habendum eſt de his, quæ mores concernunt. Sequitur in articulo: Super quam Petri ſedem eccleſia Chriſti ita fundata eſt,vt in his quæ ſunt fidei & religionis errare non poſſit. Primum ædificatam eſſe eccleſiam ſuper Petrum, id eſt, ſuper Petri ſedem, expreſſis verbis affirmat Chriſtus, dum id ipſe futurum promittit.Ego(inquit)dico tibi,quia tu es Petrus, & ſuper hanc ædificabo eccleſiam meam. Quibus verbis palàm promittit ſe ædificaturum eccleſiam ſuper hanc petram,id eſt,ſuper Petrum ipſum,qui à fidei ſoliditate hoc nomen ab ipſa ſortitus eſt. Vide Comment.Hiero.& Chryſoſt.in hunc locum, & Cyprian. in Epiſtola iij.j.libri.& Epiſt.penult.vlt. lib. & in tract. de ſimpli.prælatorum, & alijs pleriſque locis. Hi concorditer tradunt petram,ſuper quam ædificata eſt eccleſia,intelligi Petrum. Idipſum euidentiſſimè palàm tradiderunt reliqui patres,etiam D.Augu. quanquàm idem pleriſque locis per petram Chriſtum intelligi docuerit:vt patet lib.retract. primo. Ex quo patet quàm impudens ſit mẽdacium aduerſariorum, qui non verentur dicere diuum Auguſt. docere hanc interpretationem eſſe hæreticam, qua per petram intelligitur Petrus,profectò tradit Auguſtinus Chriſtum eſſe primarium fundamentum,præter quod non poteſt aliud poni: & ipſum ſolum eſſe ſummum lapidem angularem conuertentem Iudæos & Gentes in vnam eccleſiam.Verùm, vt illi non repugnat, quod & Apoſtoli dicantur & ſint fundamenta eccleſiæ, ita imò multò minùs repugnat,quòd cùm ipſo vnus Petrus ſimul dicatur Petra ſed ſecundaria, & illi innitens, ab eaque

ſoliditatem ſuam omnem & vim accipiens, vt talis petra ſuper quam ædificata ſit eccleſia, cuique totum pondus eccleſiæ, tota eius moles innitatur. Non quidem quaſi ipſe Chriſtus per ſe ſit inſufficiens ſuſtinere onus eccleſiæ. Ipſe enim eſt qui fundat vniuerſa verbo virtutis ſuæ: verùm quoniã ipſe ſecundum pœnitentiam corporalẽ abſceſſurus erat à nobis, conueniebat, vt vicariũ ſufficeret in locũ ſuum, qui corporaliter & viſibiliter nobis præſens eſſet: cum quo homines humano modo poſſemus agere, ab eo accepturi cibũ ſalutaris doctrinæ. Ideo Petrum conſtituit ſuper totam familiam ipſe peregrè profectus, vt paſceret eius gregem, & eum in ijs quæ ad ſalutem pertinent, dirigeret. Quapropter ab eo inſtructio omnis petenda in fide & moribus, & reſolutio dubiorum, quæ circa hæc mouentur exquirenda, vt vnico indefectibili magiſtro toti eccleſiæ à Chriſto miſericorditer dato, vt cõfratres ſuos, id eſt, coëpiſcopos emendet & corrigat, ſi quando vacillare eos contingat, ſecundum verbum ſuper allegatum. Et tu conuerſus aliquando confirma fratres tuos: profectò nihil aliud voluit, quàm quòd omnes tanquam eis ſubditi & ſubiecti particulares Epiſcopi obediant, & obſequãtur, & primatem agnoſcãt.

ARTICVLVS VIGESIMVS SECVNDVS.

De excommunicationis ſententia.

EXTRA hanc nulli ſperanda eſt ſalus: ſuntque extra eam hæretici, ſchiſmatici, & excommunicati. Vnde valde formidanda eſt excommunicatio nec humana, ſed diuina eſt excommunicandi poteſtas.

PRIMA pars articuli tradit extra eccleſiam nulli eſſe ſpem ſalutis, quod nobiſcum confitentur aduerſarij, & expreſsè docet Apoſtolus ad Ephe. v. Chriſtus (inquiēs) dilexit eccleſiam, & ſemet ipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, mūdans eam lauacro in verbo vitæ. Quiſquis igitur extra hanc eſt, non ſanctificatur, aut mundatur, ſed neq; vnquam exhibebitur à Chriſto Deo patri ſine macula aut ruga: quare neque vnquam ſalutem aſſequetur. Quod verò extra illam eccleſiam, quam ſuperiori articulo deſcripſimus, ſcilicet Roma. nulli ſit ſpes ſalutis, id nō perinde admittunt aduerſarij, cùm Rom. eccleſiam negent eſſe veram Chriſti eccleſiā, ſed ſuprà hoc euidenter ſatis monſtrauimus vnicam eſſe Chriſti eccleſiam, eamq; non aliam, quàm eam, quæ fundata eſt ſuper cathedram Petri, quęque recipit & retinet, quicquid illa tradit in fide & religione: quoniam ea ſola ſucceſſit, tam quoad membra, quàm quoad caput, illi multitudini, in qua credimus Chriſtum cœpiſſe ædificare eccleſiam ſuam in die Penthecoſtes. Idipſum non obſcurè tradiderunt vniuerſi patres Ambr. Aug. Hieronimus

Cyprianus. Cyprianus in Epiſtola ad Pomponium, quæ eſt li. prim. qui dicit. Neq; enim viuere foris poſſunt, cùm domus Dei vna ſit: & nemini ſalus niſi in eccleſiā eſſe poteſt. Item Epiſt. ij. lib. iiij. Quiſquis ille eſt, & qualiſcunque eſt, Chriſtianus non eſt, qui in Chriſti eccleſia non eſt. Item, qui nec fraternam charitatem, nec eccleſiaſticam vnitatem tenuit, etiam quod priùs fuit, amiſit. Et infrà. Cùm ſit à Chriſto vna eccleſia per totum mundum in multa membra diuiſa. Item Epiſcopus vnus Epiſcoporum multorū concordi numeroſitate

roſitate diffuſus ille poſt Dei traditionẽ, poſt connexã catholicæ eccleſiæ vnitatem, humanam conetur eccleſiam facere, & per plurimas ciuitates nouos Apoſtolos mittat, vt quædã recentia inſtitutionis ſuæ fundamenta conſtituat. Cumq; iampridẽ per omnes prouincias, & per vrbes ſingulas ordinati ſint Epiſcopi in ætate antiqui, in fide integri, in præſſura probati, in perſecutione proſcripti: ille ſuper eos creare alios pſeudoepiſcopos audeat, quaſi poſſit totum orbem noui conatus obſtinatione peragrare, aut eccleſiaſtici corporis compaginem diſcordiæ ſuæ ſeminatione reſcindere, neſciẽs ſchiſmaticos ſemper initio ſuo feruere, incrementa verò habere non poſſe. hactenus ille. Cuius verba ob id diffuſiùs in medium produximus, ꝙ non ſolùm demonſtrarent extra eccleſiã nemini eſſe ſpem ſalutis, verùm etiã clarè demonſtrat, qui nam ſe ab eccleſia ſeparent, nempe qui ſibijpſis Epiſcopum conſtituunt, deſerẽtes numeroſitatem Epiſcoporum, qui legitima ſucceſſionis ſerie ſuccedũt Apoſtolis primis eccleſiæ Epiſcopis. Alia ſunt loca apud eundẽ quãplurima, quibus breuitatis gratia ſuperſedemus. Vide Do. Thornout. li. iiij. de doct. Chriſtiana. Pro eodẽ ſunt inſignes ſententiæ apud Augu. lib. de fide ad Petrum, ca. xxxvij. & xxxix. Item apud Hieron. in Epiſt. ad Damaſ. & apud Amb. in Comment. Epiſt. ad Titũ, circa illud. Vt ſcias quomodo te oporteat &c. Ex quorũ omniũ concordi ſentẽtia, liquet nõ modò verũ eſſe, quòd extra eccleſiã nulli ſit ſpes ſalutis, verùm etiã (id quod articulus aſtruit) extra hanc eccleſiã, quæ fundata eſt ſuper cathedra Petri, neminẽ ſaluari poſſe: cùm hæc ſola ſit vera Chriſti eccleſia, illi quam Chriſtus in initio per ſeipſum ædificauit, legitimè ſuccedẽs, & legitimã ſuc-

ceſſionem Epiſcoporum irrefragabile ſignum habẽs. Quòd ſi aduerſus hanc ſententiam obijcias, Cathecuminos extra eccleſiam eſſe, & ſimiliter excommunicatos, & tamen horum quoſdam ſaluari priuſquàm ad eccleſiam veniant, aut redeant. Reſpondendum ꝙ quemadmodum de baptiſmo ſuperiùs diximus, quòd vbi ipſum neceſſitatis articulus excludit, plena conuerſio cordis cum eius ſuſcipiendi deſyderio, vicem eius ſupplet: ſicuti ex Aug. capit. xx. lib. iiij. contra Donatiſt. demonſtrauimus. Ita dicendum, quòd quando excommunicatus affectu eſt in eccleſia, quanquam necdum ab ex communicatione abſolutus, ſupplet affectus, quod articulus neceſſitatis excludit: ſupplet inquam, non quòd tantùm conſequitur gratiæ ſalutaris, ac ſi eſſet in eccleſia, ſed quòd ſi contingat eum in eo ſtatu decedere, nõ ob id damnabitur, quòd re ipſa non fuerit, vt merito, ita & numero, ſed ſaluabitur. An verò eiuſmodi ſit coram Deo abſolutus, an non, & nõ ampliùs excommunicatus, dubium eſt, & nõ hîc diſcutiendum. Partem affirmatiuam videtur probare ca. à nobis, de ſentẽtia excommunicationis. Exprimit articulus tria genera eorum qui ſunt extra eccleſiam, hæreticos, ſchiſmaticos, & excommunicatos, non quidem quaſi non ſint alij extra eccleſiam: nam conſtat neque Iudæos, neque Ethnicos in ea contineri: verùm quoniam hęc ſola crimina, hæreſis inquam, & ſchiſma ſeparant ab eccleſia eos, qui priùs in ea fuerunt: hoc ipſo enim quo quis hæreticus eſt, aut ſchiſmaticus, diuiſus eſt à reliquis eccleſiæ membris, nõ quidem quia errat in fide, ſed quia pertinaciter erret: ita quòd ipſa pertinacia oppoſita directè piæ voluntati ceu affectioni, ex qua procedit fides, ſeparat ab eccleſia hæreticũ,

quoniã eũ à reliquis eccleſię mẽbris diuidit:ſchiſma autẽ primariò diuidit à capite mẽbrũ. Reliqua omnia crimina quãtumuis enormia hunc affectum non habẽt, quẽadmodũ tradit Hier. in comm. epiſt. ad Titũ circa illud, Hęreticum hominẽ, poſt vnam & alteram correptionem deuita, &c. Accedens autem per Canones excommunicatio, eos ſponte recedentes de eccleſia ampliùs protrudit, qui tamen nihilominus reuera extra eam eſſent, etiã ſi nulla accederet excõmunicatio humana. Neque eſt quod quis dicat, eos diuina excõmunicatione excommunicatos. Eiuſmodi enim excõmunicationẽ latã in vllas perſonas nõ agnoſcimus in ſcripturis: verùm quæcunque excommunicatio fertur, ea ab homine fertur, tametſi in quoſdã ferendum declaret primum ius diuinum. Quod ſi obijciat quis, Hęretici, ſchiſmatici, & excõmunicati ſubſunt adhuc poteſtati eccleſię, vt manifeſtum eſt: ergo nõ ſunt extra eã. Reſpondeo, quòd hæretici quidem ſunt foris, ſimiliter & ſchiſmatici: verùm aliter, quàm infideles, qui nunquã in eccleſia fuerunt. Sunt enim foris velut ſerui fugitiui, à dominis ſuis ſunt extra familiam dominorum: neque tamen idcirco deſinũt eſſe de iuriſdictione dominorum. Sed de his alibi ſæpe dictum eſt. Secunda pars articuli tractat de excommunicatione: & infertur ex præcedentibus, & primùm dicit. Valde formidanda eſt excommunicatio. Si enim extra eccleſiam eijciatur quiſquis excõmunicatur: extra eccleſiã autem nemini ſit ſalus, ſequitur non minùs formidandam eſſe excommunicationẽ, quàm æternam damnationẽ, niſi quod excommunicato adhuc liber ſit reditus ad gremiũ eccleſię, in quo ſibi ſalutis ſpes reſtituitur. In inferno autem nulla eſt redemptio. Vide Aug. libr. j. contra

aduerſarium legis & Prophetarum cap.xvij. & in epiſtolà ad Adimantiũ,& pleriſq; alijs locis. Tertia pars articuli dicit,quòd excommunicandi poteſtas non humana ſed diuina ſit: quod ſic intellige,quoniam præter hoc, quod originem habet ex Deo,etiã ſuper hoc eſt diuina ratione cõfirmata,ſicut & poteſtates ſacramentales. Vt enim non poteſt quiſquam inſeri & incorporari eccleſię niſi Deo inſerente,ita etiam ab eadẽ nullus amputari poteſt,niſi Deo hoc faciente: tametſi id quod & in ſacramentis contingit, non faciat niſi medio miniſterio humano. Poteſtas legiſlatiua in prælato eccleſiaſtico (vt quod dicimus, meliùs intelligatur) eſt quidem à Deo, imò & ab ipſo Chriſto origine, qui Petro oues ſuas paſcendas commiſit: verùm non perinde ipſa legiſlatio eſt ab eo. Hæc enim naturaliter conſequitur paſcendi ceu regendi poteſtatem & officium: eo enim ipſo quo quis alij rector pręficitur, competit ei pręcipere, prohibere, leges condere, tranſgeſſores punire, &c. Neque oportet vt Deus ſpecialiter hæc per ipſum efficiat, ſicut in ſacramentorum effectibus res ſe habet: & ſimile eſt in ipſo effectu excommunicationis. Hunc enim ſicut & ſacramentorum effectus Deus immediatè operatur, non tamen excludendo (vt diximus) qualemcunque inſtrumentalẽ cooperationem creaturæ: ſed non tam reſpectu effectus ipſius ſacramenti, quàm reſpectu ſacramenti vt ſacramẽtum eſt: aut ſi comparatione effectus, etiam longè tamen aliter ſe ſe habet ad illum producendum, quàm prælatus, ſiue eccleſiaſticus, ſiue ſœcularis: nam quoad effectum in vtraque parte pares ſunt ad imperandũ & prohibendum. Et vt magis intelligas, confer ciuile exilium, aut excommunicationem vete.leg. (quæ erat

extra

extra ſynagogam eiectio, pœna ſcilicet ciuilis & politica)hanc inquam, conferas cum excommunicatione eccleſiaſtica, & facilè perſpicies verum eſſe quod diximus:neque obſcurum eſt ei qui attenderit, quod ſit ſeparari ab eccleſia.Quod optimè ex eius oppoſito diſces,ſi videlicet attendas,quid ſit eſſe in eccleſia,eſſe in communione ac Trinitate eccleſiæ, item in Chriſti corpore.Rurſum attende effectum minoris excommunicationis,item degradationis ac depoſitionis,quę quoniam ſolùm inhibitionem continent, non ſunt ita à Deo, quemadmodum ipſa poteſtas ſic excommunicandi,degradandi,aut deponendi, aut quemadmodum effectus maioris excommunicationis(de qua ſola in articulo loquimur)verùm prorſus ſimile foret, de excommunicatione, atque de illis ſi, vt fingunt aduerſarij,excommunicatio duntaxat foret pœna externa,velut politicum exilium,aut eiectio ex ſynagoga in lege veteri.

ARTICVLVS VIGESIMVSTERTIVS.

De primatu Romani Pontificis.

VNVS eſt eccleſiæ ſummus Paſtor,cui omnes obedire tenentur, ad cuius iudicium controuerſiæ, quæ ſuper fide & religione exiſtunt, ſunt referendæ.

CVM duo præcedentes articuli de eccleſia egerint, præſens articulus cum mox ſubſequente tractat de eccleſiæ præpoſitis. Intelligendum eſt autem quòd in articulo dicitur(Vnũ eſſe eccleſiæ ſummũ paſtorem)ex inſtitutioneChriſti:nõ au-

tem humana ortum habere, hanc vnitatẽ ſummi paſtoris eccleſiæ.Non enim quemadmodum in vna ciuitate plures poſſunt eſſe curati, imò plures epiſcopi, (niſi eccleſia conſtitutis rationabiliter introducta obſtaret)ita putandum,quòd licèt ſit vnus dũtaxat ſummus eccleſiæ paſtor,poſſint tamen eſſe plures:hoc enim obuiare dicimus inſtitutioni Chriſti,qui vnicũ cõſtituit ſuper familiã ſuã, qui vni tantùm nõ multis,ſiue ſimul, ſiue ſingulatim commiſit paſcendas oues ſuas: id quod & ſcripturæ hæ euidenter tradunt. Loquitur enim vni Petro dominus,dũ ait.Paſce oues meas. Imò nec ſufficit cum proprio nomine eum appellare,quod & ipſe fecerat,dum & multò antè ei hoc officium cõmiſerat,verùm etiam palàm ab alijs ſecernit. Diligis (inquiens) me plùs his Simon Bariona? & illo reſpondente:Tu ſcis domine,quia amo te,ait dominus.Paſce oues meas.Vbi non geſſiſſe Petrum perſonam aliorũ, ideſt totius collegij Apoſtolici,inde liquet,quòd eum ſegregat ab alijs Apoſtolis, dum ſingularem ab eo exigit dilectionem: quoniam ſingulare munus ei commiſſurus erat, quod vtique ſingularem requireret dilectionem.Atque hoc modo hunc locum interpretati ſunt concorditer vniuerſi ſcriptores eccleſiaſtici.Vide Bernar.lib.ij.ad Eugenium. Age (inquit) modò indagemus adhuc diligentiùs commiſſam,videlicet quã geras pro tempore perſonam in eccleſia Dei.Quis es? Sacerdos magnus,ſummus Pontifex, tu princeps epiſcoporum,tu hęres Apoſtolorum,tu primatu Abel,gubernatu Noë,patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech,dignitate Aarõ, iudicatu Samuel,poteſtate Petrus,vnctione Chriſtus,tu es cui claues traditæ,cui oues creditæ ſunt. Quidam etiam alij ianitores ſunt,

Bernardus.

&

& gregum paſtores, ſed tu tantò glorioſiùs, quantò & differentiùs vtrunque pręcæteris nomen hæreditaſti: habent illi ſibi aſſignatos greges: ſinguli ſingulos, ſed tibi vniuerſi ſunt crediti vni: vnus nec modò ouium, ſed & paſtorum tu vnus omnium paſtor. Vnde id probem quæris? Ex verbo domini: non enim dico Epiſcoporum, ſed & Apoſtolorum, ſic abſolutè & indiſcretè totę commiſſę ſunt oues. Si me amas Petre, paſce oues meas: non illius, vel illius populi, cõmunitatis, aut religionis, aut certè regni. Oues meas (inquit) inde planum eſt non deſignâſſe aliquas, ſed omnes, nihil excipitur, vbi diſtribuitur, & fortè pręſentes cæteri condiſcipuli erant, cùm committeret vnitatẽ omnium in vno grege, & vno paſtore, ſecundum illud. Vna eſt columba mea, vna eſt perfecta formoſa mea, vbi vnitas, ibi perfectio: vbi reliqui numeri, ibi perfectio non eſt. Inde eſt quòd alij ſinguli ſingulas ſortiti ſunt plebes ſcientes ſacramentum. Denique Iacobus qui videbatur columna eſſe eccleſiæ, vna contentus eſt Hieroſolyma Petro vniuerſitatem cedens: hactenus ille. Vbi iam vnius Bernardi clarum & apertum catholicæ fidei teſtimonium ſuper hoc articulo velim agnoſcas: ſed cæterorum omnium patrum eccleſiaſticorum vnà totius eccleſiæ catholicæ per eam expreſſum aſpicere licet. Frequentiſſimus eſt D. Cyprian. in aſtruendo hoc primatu, hoc vno apertiſſimè demonſtrans nouatianos ad eccleſiam non pertinere, quòd non agnita hac cathedra, ipſi ſibi aliam ſedem epiſcopalem conſtituerẽt: quemadmodum præcedenti articulo ex eo verba producta demonſtrant. Inſignè quoque huius rei teſtimonium eſt apud Grego. epiſt. xxxij. lib. iiij. Hæc eſt, ſi oculos conuertamus ad ordinem, quẽ inſtituerat Deus *Cyprianus.*

in vete. ſynagoga Iudæorũ, quæ vmbra fuit & figura eccleſię Chriſtianorũ, ſtatim cuiq; perſpicuũ erit, quòd quemadmodum ibi inter ſacerdotes vnus fuit ſummus, qui & reliquis ſacerdotibus inferioriſque miniſterij ordinibus, ſimulque etiam toti plebi præerat, ita nunc quoque in eccleſia omniũ conuenit pręeſſe ſummum aliquem ſacerdotem, cuius directioni commiſſi ſint, tam vicarij Dei inferiores & eccleſiæ miniſtri, quàm tota eccleſia. Certè vel ipſa (proh dolor) experientia nos abundè edocet, hanc eſſe cauſam omnis diſſidij, quòd iam cernimus non ſolùm hæreticorum aduerſus orthodoxos, verùm etiã hæreticorũ inter ſe, quod non agnoſcitur aliquis in eccleſia, penes quem poteſtas ſit & authoritas, ſubortas controuerſias dirimendi, dubia exorta decidendi, ac definiendi. Non aliũde (inquit Cypria. epiſt. iij. li. j.) hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſchiſmata, quàm quòd ſacerdoti Dei non obtemperatur: nec vnus in eccleſia ad tempus ſacerdos & iudex vice Chriſti cogitatur. Cui ſi ſecũdum magiſteria diuina obtemperaret fraternitas vniuerſa, nemo aduerſus ſacerdotum collegium quicquam moueret: nemo poſt diuinum iudicium, poſt populi ſuffragium poſt communem epiſcoporum cõſenſum, iudicem ſe non iam epiſcopi ſed Dei faceret: nemo diſſidio vnitatis Chriſti eccleſiam ſcinderet: nemo ſibi placens ac tumens ſeorſum foras nouam hæreſim conderet. Hęc ille. In quibus quidẽ nedũ hoc continetur, quod habet hæc prior pars articuli, *vnum videlicet eſſe ſummum eccleſiæ paſtorem, vnum ſummum ſacerdotem, vnum iudicem, qui Chriſti vices gerat: verùm etiam id quod proximè ſequens pars articuli docet, omnes eidem deberè obedire, & ad eius iudicium referendas eſſe cauſas, & cõtrouer*

uerſias, quæ ſuper fide & religione exiſtunt, quod quidem ex præcedentibus manifeſtum euadit. Nam ad quem potiùs referendæ veniunt eiuſmodi controuerſię, quàm ad ipſum ſummum eccleſię paſtorē? Quemadmodū olim ſi quę apud Iudæos exortę fuiſſent diffi cultates, ad eius iudicium referebant, qui ſedebat in loco Domini, quem elegerat ſibi dominus. Et breuiter hoc habet naturalis ordo, vt ſemper ad præſidē cōmunitatis referantur quæcūque controuerſię. Et ſi nefas erat veteri illi populo non obedire ſacerdotis iudicio, quinimò morte iuxta domini mandatum plectebantur inobedientes: Imò ſi cuiquam iudici illicitum ſit citra legitimam cauſam negare obedientiam, quomodo non peruerſiſſimum erit hanc negare ſummo eccleſiæ paſtori, atque iudici vice Chriſti? Audi quid de hac re ante multorum annorum curricula liberrima voce ſcripſerit inſignis ille epiſcopus Gregorius Nazianzenus, in orationem xv. habentur eius verba, & citantur diſtinct. x. capitu. xv. Suſcipitis. Imperatoribus Cōnſtantinopolitanis loquitur in hunc modum. Suſci pitiſne libertatem verbi, & libenter accipitis quòd lex Chriſti ſacerdotali nos ſubijcit poteſtati, atque iſtis tribunalibus ſubdit? *Dedit enim & nobis poteſtatem longè perfectiorem principatibus veſtris.* Aut non iuſtum vobis videtur, ſi cedat caro ſpiritui, & ſi à cæleſtibus terrena ſeparentur, & ſi humanis pręferantur diuina? Simile habetur apud Euſeb. libr. x. capitu. ij. Item in tripar. lib. ij. cap. ij. & lib. v. ca. xviij. Ex quibus omni bus eccleſię poteſtati ſubiectas, nō mòdò plebē verùm omnes omnino homines Chriſtianos, quacūq; dignitate pręcellētes, Duces, Reges, Imperatores: id quod etiā ſuprà monente ſcriptura manifeſtè conuincitur: &

Greg. Nazian.

Euſe.

Tripar.

Bernar. verba apertè teſtantur. *Cum enim omnes ſuas oues dominus Petro commiſerit paſcendas, quiſquis ſe eius curæ paſtorali ſubducit, conuincit ſe non eſſe ouem Chriſti, & ab ipſa familia Chriſti ſe ſeparat, quiſquis eum ſupra ſe poſitum non agnoſcit. Ruat quoque neceſſe eſt & excidat à Chriſti ædificio, quiſquis illi firmiſsimæ Petræ non ſuperædificatur, ſuper quam dominus ædificauit eccleſiam ſuam.* Sed de hoc in præcedenti articulo. Vide vlteriùs de hac re articulo ſequenti, in fine.

ARTICVLVS VIGESIMVS QVARTVS.

De legitima ſucceſsione Roma. Pontificum.

SVMMAM hanc præpoſituram primus omniũ geſsit ſanctus Petrus verus Chriſti in terris vicarius, & totius familiæ eius paſtor. Poſt Petrum verò ex Chriſti inſtitutione omnes deinceps Pontifices Petri in cathedra ſucceſſores.

PRIMA pars articuli ex ijs quæ ſuperiùs dicta ſunt, manifeſtè ſequitur, indeque hic paruus ſcrupulus venit ſoluendus. *An ne Chriſtus ante Petrum geſſerit hanc præpoſituram?* Ad hoc paucis reſpondemus: quòd quemadmodum in veteri lege Aaron rectè dictus eſt primus ſummus ſacerdos, & ab eo non autem à Moſe ducitur linea & ſeries ſacerdotum: quanquàm & Moſes quoq; ſacerdos fuerit. Moſes enim & Aaron in ſacerdotibus eius, canit Propheta

ta Dauid, ſed quoniam Moſes pluſquā ſacerdos erat, in ſe plenè cōtinens omnem poteſtatem tam ciuilem, quàm ſacerdotalem: ita & Chriſtus ſacerdos quidem fuit, & ſummus Pontifex, verùm alterius & longè ſublimioris ordinis quàm Petrus. Hinc eſt quòd non ab ipſo ſed à Petro ortum habet ſeries ſummorum Pont. Ad hæc Chriſtus non deſijt eſſe ſummus ſacerdos, ad huc enim fungitur ſuo ſacerdotio, nō deſinens pro nobis patrem interpellare, vnde nō propriè habet ſucceſſorem. Eſſe nanq; deſinit, cui alius in officio ſuccedit, ſed vicarium habet in terris. In cælis nanq; euacuatis omni principatu & poteſtate, ipſe ſolus per ſeipſum dominabitur. In terris autem reliquit ipſe peregrè profectus, qui vices ſuas gerat, dum ait Petro. Paſce oues meas, hoc eſt interprete Chryſoſt. *Loco meo præpoſitus ſis fratribus tuis, vicesq́ meas geras.* Chriſtus autem nō modò promiſcuæ plebis, ſed & cuiuſcunq; quacunq; dignitate pollentis, ita vt idem Chryſoſt. eum appellet principem Apoſtolorum, & verticem totius conſortij. Dominus etiam poſtquàm præmiſiſſet ſe ſingulariter oraſſe pro ipſo, cùm tamen ex æquo omnes tentaſſet Satan, ſubiunxit. Et tu aliquando conuerſus, confirma infirmos in fide, aut ſubditos tuos, nō hoc inquam, dixit: ſed, confirma fratres tuos: volens indicare iniungi *ſibi in primis curam fratrum, id eſt, Coapoſtolorum, ceu Epiſcoporum, hos quoque ab ipſo debere inſtrui, & dirigi tam in credendis, quàm in agendis*: aut niſi fortè quiſquam negauerit Apoſtolos & Epiſcopos non eſſe de ouibus Chriſti, aut eius familia, qui etiam fateātur neceſſe eſt, Apoſtolum falſum ſcribere, qui dicit. Quòd Deus poſuit quoſdam eſſe in eccleſia Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios Paſtores & doctores.

Hoc tamen apud doctores catholicos in dubium reuocatur, *An Apoſtoli cæteri, quemadmodum ordinis, ita & iuriſdictionis poteſtatem à Chriſto acceperint immediatè?* Videtur enim quibuſdã pars affirmatiua vera. Miſit enim dominus omnes ex æquo in vniuerſum orbem vt prædicarent, &c. baptizantes in nomine patris, filij & ſpiritus ſancti. Vnde ſuſtinent hi Petrum nõ potuiſſe arctare hanc vniuerſalem iuriſdictionem, eis aut cuiquam Epiſcoporum à domino conceſſam, ſed poſteà cum conſenſu diſtributas eſſe prouincias: vt quoniam ſinguli totam terram peragrare non poterant, ſua cuiq; portio aſſignaretur. Verùm extra omnem controuerſiã eſſe debet apud omnes, quotquot catholici videri volunt, Petrum à Chriſto ſuper cœteros accepiſſe poteſtatem, nõ autem ipſos ſuper Petrũ, de quo Leo Papa. Sicut (inquit) in vno corpore multa membra habemus: omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi ſumus vnum corpus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius mẽbra. Hæc connexio totius, quidem corporis vnitatem requirit, ſed præcipuè exigit cõcordiam ſacerdotũ, quibus tametſi ſacerdotij ſit dignitas communis, non eſt tamen ordo æqualis: quoniam & inter beatiſſimos apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit quædã diſcretio poteſtatis: & cùm omnium par eſſet electio, vni tamen datum eſt, vt cæteris præemineat. Deinde mox ſubiungit, quod facit pro probatione ſequentis partis articuli, quæ non tam ſcripturis expreſſis, quàm traditione patrum concordi, & eccleſię obſeruatione probatur. De hac igitur re ſic ſcribit præfatus Leo. De qua forma, ſcilicet inter apoſtolos ex ipſa Chriſti inſtitutione epiſcoporũ quoque orta eſt diſtinctio, & neceſſaria diſpẽſatione pro-

uiſum

uiſum,ne omnes ſibi omnia vendicarent, ſed eſſent in ſingulis prouincijs ſinguli,quorum inter fratres haberetur vna ſentẽtia:& rurſus quidam in maioribus vrbibus conſtituti ſolicitudinem ſuſciperent ampliorem, per quos ad vnam Petri ſedem vniuerſalis eccleſię cura confluerer. Id quoque tradit B. Anacletus B. Petri diſcipulus,& in Cathedra ſucceſſor, tam de ipſius Petri,quàm ſucceſſorum primatu. Hæc quiſquis negare præſumpſerit, fateatur neceſſe eſt Chriſto illam duntaxat primitiuam eccleſiã curæ fuiſſe: vt cui vni dum ab ea abſceſſit,dedit vicarium paſtorem,cuius quanta ſit neceſſitas,ſuperiùs demonſtrauimus.Et ipſa rei euidentia nobis tacentibus; liquet non poſſe aliter conſeruari vnitatem & pacem,quæ in eccleſia ſummopere eſt neceſſaria.Si ergo vt nec illi primæ eccleſiæ, ita nec deinceps legitimæ eius ſoboli voluit Chriſtus deeſſe:ita oportuit vt quemadmodum illi, ita & huic de ſummo aliquo paſtore prouideret. Non igitur vnà cum Petro migrante ex ſæculo finem ſortita eſt poteſtas hæc ſumma & prima paſtoralis in eccleſia, verùm in legitimum Petri ſucceſſorem vſque ad noſtra tempora continuò inde & inde deriuata eſt, quæ in ijſdem vſq; ad finem ſæculi continuanda eſt.Certè nõ obſcurè indicauit dominus nõ in ſolo Petro futuram hanc prępoſituram,dum Matt.xxiiij.indicat futurũ,vt ſeruus quem conſtitueret ſuper familiam ſuam,ſit aliquando futurus malus & infidelis, percutiens conſeruos,& mãducans & bibẽs cum ebrioſis atq; huiuſmodi.Quæ cùm in Petrũ non cõpetant, manifeſtũ eſt nõ ſolum Petrũ cõſtitutũ ſuper familiam domini, verùm vniuerſos, quotquot legitima ſucceſſionis ſerie ei in epiſcopali cathedra ſuccedunt. Iſtud cùm aduerteret

D. Auguſtinus vt ſuprà, non cum perſona Petri deſituras claues regni cælorum in eccleſia: frequenter aſſerit has claues non perſonæ Petri, aut Petro pro propria perſona datas, verùm potiùs eas datas eccleſiæ. Quod quidem non ad hunc modum intelligendum eſt, quaſi Petri perſona non habuerit has claues, ſed quoniam nō pro ſe ſolo eas accepit, verùm etiam pro omnibus ſucceſſoribus ſuis. Neq; in ſuum ſolus commodum, aut etiam propriè in ſuum commodum, ſed in commodum & vtilitatem totius eccleſiæ: quemadmodum de Adam dicere conſueuimus, quòd non pro ſua perſona acceperit iuſtitiam originalē, verùm quòd acceperit eam, vt principium humani generis transfundendam in totam poſteritatem, quemadmodum nunc transfunditur peccatum originale. Ad eum igitur ſenſum quo diceremus perſonæ Adam non eſſe communicatam originalem iuſtitiam: quoniam non pro ipſius, ſed prò totius ſuæ poſteritatis perſonis communicata ipſi erat, veluti principio totius humani generis. Ad eundem itaq; ſenſum dicit D. Aug. non perſonæ Petri datas claues eccleſiæ, ſed eius generali vicario vſque in finem ſœculi ei ſucceſſuro. Aduerte tamē hoc diſcriminis eſſe inter Petrum & eius ſucceſſores, quòd illi habent à Chriſto ſummum ſacerdotiū atq; Petrus, ſed hic à Chriſto immediatè ſine vllo hominum miniſterio ordinatus eſt, ſicuti in ſacerdotem & Apoſtolum, ita & in ſummum Pontificem: illi verò non niſi accedente miniſterio hominum conſtituuntur, eorum videlicet penes quos eſt electio: quicunq; illi ſint: nam varij ij fuerunt pro horum varietate. Ex quo ſequitur, quòd quamuis hæreticus ſit, quiſquis negat D. Petrum fuiſſe primum & ſummū eccleſiæ Paſtorem,

ſtorem,

ſtorem, non tamen ſtatim hæreticus cenſendus erit, quiſquis negauerit Clementem fuiſſe ſummum Pont. aut nunc Paulum tertium eſſe ſummum Pont. quoniam huius propoſitionis veritas pendet ex facto hominum fallibili: iſta tamen propoſitio eſt hæretica. Legitimus D. Petri in cathedra ſucceſſor nõ eſt ſummus Pont. aut Paulus tertius, quanquàm ſit legitimus Petri ſucceſſor, non tamen eſt ſummus Pontifex.

ARTICVLVS XXV.

CERTA fide tenendum eſt, non ſolùm quod expreſsè nobis atq; apertè per ſcripturam traditur, verùm etiam quod nobis ab eccleſia catholica & ſancta credendum proponitur, traditurq;. Neq; minùs credendum eſt quicquid definitur, determinatur, & concluditur per cathedram Petri, atque generalia Concilia legitimè ad hoc congregata, quo ad ea quæ fidẽ & mores Chriſtianos attinẽt.

ARTICVLVS XXVI.

ECCLESIASTICAE traditiones & ordinationes, vt ſunt ea quæ de ieiunijs, ciborum abſtinentijs & delectu, feſtorum celebrationibus ceu feriationibus, & huiuſmodi, obligant conſcientiam, & coram Deo, etiam etſi in priuato, & abſque ſcandalo alicuius hæc tranſgrediantur.

ARTICVLVS XXVII.

RECTE fit in eccleſia, quòd ſanctos in

cælis cum Chriſto agentes veneramur, & inuocamus, vt pro nobis orent:quorũ etiam meritis & interceſsione Chriſtus hîc nobis multa largitur, aliàs nõ largiturus: per quos etiam in terris multa miracula operatur.

ARTICVLVS XXVIII.

ET idcirco ſanctè & piè inuiſuntur loca in eorum honorem conſecrata, & religiosè eorum reliquię venerantur, & hoc modo ab ipſis opitulationem quærunt.

ARTICVLVS XXIX.

GRATVS inſuper Deo eſt imaginum vſus, rectéque coram eis procumbimus, inuocaturi ſanctos quos repræſentant.

ARTICVLVS XXX.

FIRMITER inſuper credendum eſt poſt hanc vitam eſſe purgatorium pro animabus, in quo pœna exoluitur adhuc peccatis debita. Quibus tamen ſubuenitur ſacrificio altaris, orationibus, ieiunijs, eleemoſynis, atq; alijs pijs operibus viuorum, ſicut & indulgentijs: quò citiùs ab eis liberentur.

ARTICVLVS XXXI.

FIDELIVM animæ ex hoc ſæculo migrantes, mox vt à peccatorum macula fuerint expurgatæ, regnant cum Chriſto in cælis: ſed animæ in peccatis mortalibus diſcedentes

dentes, æternæ damnationis pœnis tradūtur.

ARTICVLVS XXXII.

PIVM atq; meritorium eſt, Deo vota vouere, ſiue in cœnobijs, ſiue alibi. Quæ vbi facta atq; expreſſa fuerint, obligāt vouētes coram Deo, neq; contrariantur libertati Euangelicæ, quæ eſt libertas à peccatis, & ijs quæ ſpiritum noſtrum aliquo modo poſſunt impedire, ne ex corde Deo ſeruiat. Neq; Euangelica libertas non rumpit nec impedit voti, ceu alicuius iuramenti: ſed neque quenquam eripit ex obedientia ſuorum ſuperiorum ſiue ſpiritualium, ſiue ſœcularium.

Τὸ τέλος ἔστιν.

Lugduni,
Excudebat Mathias Bonhomme.

De septe ecclie sacris — ar. 1 fo 5
De baptismo — ar. 2 fo 24
De sacro pnia — ar. 3 fo 51
De contritione — ar. 4 fo 67
De confessione — ar. 5 fo 73
De satisfactione — ar. 6 fo 99
De libero arbitrio — ar. 7 fo 127
De fide & justificatione — ar. 8 fo 145
De obiecto fidei — ar. 9 fo 175
De incertitudine grae in via — ar. 10 fo 191
De opibus bonis, adultis, ad saltem necessariis — ar. 11 fo 192
De sacro confirmationis — ar 12 fo 203
De sacro extrema unctionis — ar. 13 fo 211
De veritate Eucharistiae — ar. 13 fo 217
opiniones haereticorum — fo 227
De transubstantiatione — fo 239
De comunione sub una specie tm — ar. 15 fo 253
De utilitate Missae — ar 16 fo 278
De ordinatione ministrorum huius sacri — ar. 17 fo 287
De matrimonio — ar. 18 fo 295
Dimente altero coniugum utrum alteri fugi — fo 301
De impedimentis matrimonij — ar. 20 fo 322
De una vera catholica visibili ecclia ar. 21 fo 327
De sacra excommunicationis — ar. 22 fo 341
De primatu Romani pontificis — ar. 23 fo 347
De legitima successione Romanorum pontificum — ar 24 fo 352
& quae sequuntur.

De confeſſione
De ſatiſfactione
De ...
Opinatus
De ... alterum ...